



Property of

COSA

Please return to

Graduate Theological Union Library

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/epitomeiuriscano02unse

EPITOME IURIS CANONICI

MUSEUM LESSIANUM

PUBLICATIONS

DIRIGÉES PAR

DES PÈRES DE LA COMPAGNIE DE JÉSUS

LOUVAIN

SECTION ASCÉTIQUE ET MYSTIQUE
SECTION THÉOLOGIQUE
SECTION PHILOSOPHIQUE
SECTION MISSIOLOGIQUE

Direction MUSEUM LESSIANUM, *11, rue des Récollets, Louvain.*
Dépositaire : E. DESBARAX, *Libraire, 24, rue de Namur, Louvain.*

MUSEUM LESSIANUM - SECTION THÉOLOGIQUE

A. VERMEERSCH, S. I.
DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI
PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS
IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

J. CREUSEN, S. I.
DOCTOR PHIL. ET B. I. C.
PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS
IN COLLEGIO MAXIMO S. I. LOVANIENSI

EPITOME

IURIS CANONICI

CUM COMMENTARIIS

AD SCHOLAS ET AD USUM PRIVA[illegible]M

Tomus II

Liber III Codicis

QUARTA EDI[illegible]

ACCURATE RECOGNITA

Property of
COS[illegible]
Please return to
Graduate Theological
Union Library

MECHLINIAE — ROMAE, H. DESSAIN
SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUUM ET DE PROPAGANDA FIDE
NECNON ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.

BRUGIS : BEYAERT. | BRUXELLIS : DEWIT.

1930

BX
1935
C66
V523
1929
v. 2

DE LICENTIA SUPERIORUM ORDINIS

IMPRIMATUR

Mechliniae, die 24 Aprilis 1930

J. VAN CAUWENBERGH, Vic. Gen.

Prodiere :

Prima editio : *mense aprili* 1922..... 4000 exempl.

Altera editio : *mense ianuario* 1925..... 5000 exempl.

Tertia editio : *mense novembri* 1927..... 6000 exempl.

Quarta editio : *mense aprili* 1930..... 6000 exempl.

COPYRIGHT 1930, BY H. DESSAIN.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

Dal Vaticano, 28 Luglio 1923.

REV. PADRE,

Ho il piacere di significarle che il Santo Padre ha ricevuto con vivo gradimento l'omaggio di filiale devozione, che la P. V. Rev.ma ed il P. CREUSEN hanno voluto fargli umiliando al Suo Trono l' « Epitome Iuris Canonici ».

Sua Santità si è compiaciuta nel rilevare la diligenza e lo studio con cui Ella ed il suo confratello hanno cercato di interpretare, anche in questo bellissimo ed utile lavoro, il genuino pensiero della Chiesa nel dare le sue leggi e mi ha incaricato di far giungere loro i Suoi sovrani ringraziamenti, unitamente all' Apostolica Benedizione che di cuore ha loro impartito in auspicio di celesti favori.

Mi valgo intanto della presente occasione per professarmi con sensi di distinta e perfetta stima,

della P. V. Rev.ma
Aff.mo nel Signore,
(Sig.) P. CARD. GASPARRI

Rev.mo Padre
P. A. VERMEERSCH, S. I.
Università Gregoriana
ROMA

12099

Segretaria di Stato
di Sua Santità

Dal Vaticano, 19 Febbraio 1930

N. 87903

REV.MO PADRE,

Il devoto omaggio delle due opere *Theologia moralis* ed *Epitome Iuris Canonici,* di cui la P. V. Rev.ma ha curato recentemente una nuova edizione, è stato per la Santità Sua una ben gradita occasione di ripetere a Lei il Suo augusto compiacimento per l'importante contributo, che Ella porta alla soda formazione della gioventù ecclesiastica di ogni paese, nel centro stesso del Cattolicismo.

Ravvisando in questa attività intellettuale un vero ed efficace apostolato, l'Augusto Pontefice invoca su la P. V. e sul suo lavoro larga copia dei divini lumi e favori, mentre Le invia di cuore, in segno di paterna benevolenza, la confortatrice Apostolica Benedizione.

Con senso di distinta stima mi raffermo

di V. P. Rev.ma,
aff.mo nel Signore
E. CARD. PACELLI

Rev.mo Padre
P. A. VERMEERSCH, S. J.
Professore nell' Università Gregoriana
ROMA

SIGNA FREQUENTIUS USURPATA

AAS = Acta Apostolicae Sedis.
Arch. f. k. KR = Archiv für katholisches Kirchenrecht.
ASS = Acta S. Sedis.
Can. cont. = Le canoniste contemporain.
CE = The Catholic Encyclopedia.
Coll. P. F. = Collectanea S. Congr. de Prop. Fide, altera editio.
Coll. Brug., Gand., Nam., Torn. = Collationes Brugenses, Gandavenses, Namurcenses, Tornacenses.
Coll. Mechl. = Collectanea Mechliniensia.
Comm. pro rel. = Commentarium pro religiosis.
D. Ap. = Dictionnaire Apologétique (d'Alès).
D. Th. = Dictionnaire de théologie catholique (Vacant-Mangenot).
Ephem. th. Lov. = Ephemerides theologicae Lovanienses.
KL. = Kirchenlexikon.
Mon. eccl. = Monitore ecclesiastico.
N R Th. = Nouvelle revue théologique.
Per. = De religiosis et missionariis supplementa periodica, edit. A. VERMEERSCH, S. I. — Nunc edita Romae, in Pont. Univ. Gregoriana, sub titulo : Periodica de re morali, canonica, liturgica.
de Rel. = A. VERMEERSCH, S. I., De religiosis institutis et personis t. I, 2ª ed. ; t. II, 4ª ed.
Rev. eccl. Liége. = Revue ecclésiastique de Liége.

EX PRAEFATIONE TERTIAE EDITIONIS

Hoc altero volumine totum proponendum et explanandum suscipimus tertium Codicis librum, qui, cum 830 canonibus constet, ultra tertiam summae eorum partem continet.

Tam amplam autem materiam eadem qua antea ratione ambo auctores inter se partiti sunt. Itaque P. Creusen articulum de irregularitatibus (c. 983-991), titulos de matrimonio (c. 1012-1143) et de sepultura ecclesiastica (c. 1203-1242) exponet, cetera vero omnia P. Vermeersch tractanda habebit.

In materia huius tomi iterum retractanda, haud satis visum est nova documenta afferre sed, praeter perpolitam in multis locis expositionem, commentarios pluries addidimus et haud unam sententiam in altera editione propositam novis rationibus confirmavimus aut contra mutavimus.

Notanda de hac quarta editione

Qui non contentus dispositione numerorum et paginarum inspicienda, ipsum textum examinaverit, additiones et emendationes non paucas deteget, praesertim in titulis de matrimonio et de sepultura. Cuius rei praecipua causa est numerus responsorum Comm. pontif. ad Cod. interpr. de his materiis.

Confidimus fore ut non minore benevolentia quam priores, haec quarta editio a iuris canonici studiosis excipiatur.

Lovanii, d. 25 mart. 1930.

INDEX ANALYTICUS

LIBER TERTIUS

De Rebus

(A. VERMEERSCH, S. I.)

PARS SECUNDA

De locis et temporibus sacris (cc. 1154-1254)

PARS QUARTA. - De magisterio ecclesiastico (cc. 1322-1408).

PARS QUINTA

De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus (cc. 1409-1494).

PAG.

PARS SEXTA

De bonis ecclesiae temporalibus (cc. 1495-1551)

LIBER TERTIUS
DE REBUS

A. VERMEERSCH, S. I.

INTRODUCTIO

Rerum notio. - Simonia
(cc. 726-730)

Scriptores : Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.*^{3} II, 430-508. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, t. 6, n. 338-351. — Augustine, O. S. B., *A commentary on canon law*, t. IV, in hos canones. — Chelodi, *Ius poenale*, n. 59. 93. 104. — Eichmann, *Das Strafrecht des Codex Iuris canonici*, § 80. 100. — Noldin-Schmitt, S. I., *Summa Theologiae moralis*, t. 2, *De Praeceptis*, n. 181-196. — Prümmer, O. P., *Manuale iuris ecclesiastici*. q. 275-277. — Schoenegger, S. I., *De Poenis ecclesiasticis*, n. 84. 85. 118. — Vermeersch, S. I., *Theol. mor.*, II, n. 275-284.

1. - Ratio ordinis. Sicut libro I. *De normis generalibus*, praepositi sunt septem canones universaliores de ambitu Codicis eiusque relatione ad disciplinam praecedentem, et de vi nominis *Sedis Apostolicae* ; libro vero alteri, *De personis*, notiones generaliores de constitutione et distinctione personarum in Ecclesia ratione aetatis, originis, domicilii, propinquitatis, ritus, naturae physicae aut moralis, praecedentiae, dignitatis ; ita placuit quoque ante librum tertium, *De rebus*, ipsas res definire (c. 726), et canones proponere de sacrilega abusione rerum spiritualium per simoniam (cc. 727-730), cum potissima pars istius libri deputetur sacramentis, et Simon Magus, qui nomen dedit delicto, pecunia potestatem in sacramenta emere voluerit.

I. RERUM ECCLESIASTICARUM NOTIO. LIBRI DIVISIO

2. - I. Res latissime opponuntur *personis* ea essentiali nota qua personae, ut tales, rationem *finis* habent, res vero rationem *medii* ; priores exsistunt propter se, posteriores, propter personas. Aptissime ergo **c. 726** describuntur res : « *totidem media ad Ecclesiae finem consequendum* ».

Istae res porro aliae sunt *spirituales* : sacramenta, indulgentiae ; aliae *temporales* : bona ecclesiastica ; aliae *mixtae* : calix consecratus.

3. - II. Libri divisio. — Liber tertius ordine gradationis descendentis disponitur. Etenim, in 1^a parte, excellentissima media, divinitus data et constituta, i. e. *sacramenta* (quibus *sacramentalia* coniunguntur), explicat ; 2^a pars agit de *locis sacris* ubi sacramenta et sacramentalia per se conficiuntur vel conferuntur ; et de *temporibus sacris*, quae Deo tum pietate tum mortificatione honorando reservantur ; 3^a pars, *De cultu divino*, actiones humanas ordinat quae ad Deum colendum terminantur ; 4^a pars inscribitur *De magisterio ecclesiastico*, quae sacra potestas erga homines exercetur per praedicationem, institutionem seu

educationem in seminariis, etc. per cautiones de usu librorum et scriptorum ; 5a pars res temporales mixtas continet, quae sunt *beneficia ecclesiastica* ; 6a demum pars destinatur *rebus* mere *temporalibus* etc.

II. DE SIMONIA

4. - Notio et divisio. Simonia est *reale sacrilegium consistens pactionibus quae de re spirituali vel de connexa temporali, intuitu religionis sunt prohibitae.* Cf. WERNZ, *Ius decr.* t. 6, p. 340, nota 6.

Distinguitur simonia strictius dicta seu *iuris divini*, et laties dicta seu *iuris ecclesiastici*. Cf. LAYMANN, *Theol. mor.* L. 4, tr. 10, c. ult. n. 61.

Pure *mentalis* fit sine pacto exteriore ; *conventionalis* fit per pactum formale ; *realis* est ipsa conventionalis quae partiali saltem partis exsecutione completur. *Mixta* dicebatur ante Codicem quae ab una tantum parte exsecutione perficiebatur. Simonia in materia beneficiorum dici consuevit *confidentialis*, quia committitur secretis condicionibus pactione speciei honestae contentis.

5. - Simonia iuris divini canone 727, § 1 sic definitur : « *Studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, ex. gr. Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias, etc. vel rem temporalem rei spirituali annexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, ex. gr. beneficium ecclesiasticum, etc. aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, ex. gr. consecratio in calicis consecrati venditione* ».

Verba canonis explicemus.

a) *Studiosa.* In hac definitione, quam Codex ut classicam usurpavit, vox *studiosa* ad solam deliberationem, quae in omni peccato et delicto supponitur, non refertur, sed voluntatem designat electricem mediorum : sive actionis in qua dissimuletur (simonia *mentalis*), sive apertae pactionis (*conventionalis*), vel factae vel traditione rei spiritualis aut conexae temporalis completae (*realis*) (1). Sin aliter, potius quam simonia, propositum simoniae definiretur. Cf. BALL-PALM., *Opus theol.* II, 445.

Qualitas *studiosa*, quae ad verbum *voluntas* additur, dicit de se applicationem mentis, et desumpta videtur ex c. 11, C. 1, q. 1, qui sic incipit : « Qui studet donum Dei pretio mercari ». Varias istius vocis explicationes propositas refert SUAREZ, *Rel.* T. III, L. 4, c. 1, n. 9.

b) *Voluntas* dicitur potius quam *pactio*, quia ad simoniae *peccatum* sufficit voluntas interior, nec ad ipsum *delictum* opus est formali et expressa pactione.

---

(1) Sola pretii traditione simonia nondum fit realis. Sufficitne traditio rei spiritualis ? Plures eam sufficere putant ; tuta est tamen benignior sententia ; quod in poenis attendendum est, nam poenae latae sententiae sola reali simonia contrahi censentur. Cf. BALLERINI-PALMIERI, *Op. theol.* II, 482.

c) *Emendi vel vendendi* : his verbis intelligitur quaelibet pactio onerosa, sive locationis, sive permutationis, sive renuntiationis, licet ad effectum non deducta, etiam tacita, « in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur sed ex circumstantiis colligatur » (c. 728). Quotiescumque igitur habetur intentio obligandi ex pacto non gratuito, seu commutandi, adest studiosa voluntas quae simoniae sufficit. Sine tamen pactione reciproca, simonia non habetur ; quare simoniacus non est qui mere *sub spe* gratitudinis donum temporale confert qui ex gratitudine spirituale reddere potest.

d) *Pro pretio temporali*. Pretium istud dici consueverat *munus* ; et quia in *pecunia*, seu re quae pretio est aestimabilis ; in *laude*, *vituperio*, *commendatione*, *patrocinio* ; et in *servitiis* seu famulatu consistere potest ; pretium temporale dividebatur in munus *a manu*, munus *a lingua* et munus *ab obsequio*.

Observes *pretium* proprie et stricte definiri valorem rei *pecunia* expressum. Latiore usu est valor rei alia qualibet re expressus. Pretium istud locum in commutationibus et normam in aequivalentia habet. Latissime pretium est lucrum cuiuslibet generis perceptum propter praestationem quamlibet rei vel actionis, sive cum praestatione comparetur sive non comparetur.

e) *Rem spiritualem* vel *in se*, vel propter *conexionem* cum re spirituali.

Ante Codicem, distinguebant res spirituales temporalibus annexas *antecedenter*, seu per modum antecedentis ; i. e. quae spiritualibus natura priores erant : vasa, vestes sacrae, respectu sacramentorum, ius patronatus respectu beneficii : haec pro valore materiae emi et vendi per se possunt (**c. 730**). Ius tamen patronatus vendi nequit (c. 1470) ; — res temporales annexas *concomitanter*, seu quae simul cum spiritualibus exsistebant, ut labor in administratione sacramentorum : de hoc infra ; — res temporales annexas *consequenter*, seu quae rem spiritualem consequuntur, ut reditus beneficii, qui dantur propter officium spirituale : horum emptio et venditio est simoniaca.

Codex his dicendi modis, non ita perspicuis, limpidiores et pleniores surrogavit, duplicem conexionem distinguens : alteram *nexus individui* seu necessarii, v. gr. qualem habet beneficium ecclesiasticum, seu ius percipiendi reditus ecclesiasticos, quod necessario supponit officium ecclesiasticum : « beneficium propter officium » ; alteram, *participationis contractus*, ut si, vendendo calicem consecratum, pretium propter consecrationem augeas : haec fit tunc partiale contractus obiectum.

In re temporali *concomitante* rem spiritualem, v. gr. in labore coniuncto cum administratione spirituali, distingui debet labor *extrinsecus*, qui praestationi accedit nec semper necessarius est, puta missam *tarde* dicendam vel *canendam* vel in loco *distante*, vel *ad nutum cuiusdam personae* : huiusmodi labor stricte vendi vel locari certo potest ab eo qui illum iam non debet ex iustitia, ratione officii sui ; et labor *intrinsecus*, qui a praestatione separari nequit : v. g. opera, tempus impendendum in celebranda missa ; etc. De isto *labore* non modica est contro-

versia. *Terminative* sumptus, iste labor nullo pretio vendi potest, cum ad rem spiritualem terminetur ; id constat. Non nulli velint laborem in se consideratum seu ipsam *operam* impensam locari-conduci posse sicut ipsum aurum calicis consecrati. Sed bene ipsis obicitur in casu non agi de locatione et conductione operae, cum nullus labor, sed fructus spiritualis quaeratur, ita ut labor non sit pretio aestimabilis nisi ex opere cuius causa suscipitur. Quare, si opus vendi vetatur, nec labor pro opere intrinsece requisitus vendi permittitur. Cf. LAYMANN, L. 4, tr. 10, c. 8, n. 41. 42. ARENDT, S. I., *De laesione iustitiae commutativae in missae manualis stipendio alteri celebranti diminuto*, Parergon : p. 44-55.

Nihil tamen prohibet ministrum sacrum qui propter istum laborem alium frugiferum facere non potuerit, quin *lucri cessantis* compensationem postulet.

Positive autem vetatur ne maius stipendium exigas ad dicendam missam ad altare privilegiatum (can. 918). Maius tamen non exigit sacerdos qui, cum varia stipendia receperit, applicationes ad altare privilegiatum pinguioribus reservat et de re petentes monet, dummodo sincere agat.

Verbis canonis « rem temporalem rei spirituali annexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit » videtur tamquam obiectum simoniae includi labor qui a spirituali actione vel administratione separari nequit, quod ceterum, iam ante Codicem, communior opinio tenebat. Ob generalem tamen legislatoris mentem, qui non praesumitur, nisi id clare enuntiet, huiusmodi quaestiones authentice definire, controversiam adhuc moveri posse de hac re arbitramur.

f) *Rem intrinsece spiritualem*. Res spiritualis intellegitur res supernaturalis ad salutem ordinata : sive sit *formaliter* talis, ut gratia et dona Spiritus Sancti ; sive *causaliter* : ut sunt sacramenta, contio, sacramentalia, preces ; sive sit *effectus* et usus potestatis supernaturalis, ut consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, praesentatio, confirmatio (nominationis vel electionis ad officium ecclesiasticum), collatio beneficii, aliquis actus iurisdictionis ecclesiasticae.

Communicatio autem scientiae, etiam sacrae, non censetur spiritualis. Quare pretium verum accipi potest ad docendam theologiam, ad tradendam pueris doctrinam christianam in *schola*, sicut pro disciplina profana. Aliter dicendum est de instructione quae in solam spiritualem aliorum utilitatem dirigitur, ut instructio catechetica ad praeparandam primam communionem. Pari modo distinguendum est inter consilia quae mere ad alterius bonum spirituale diriguntur, et consilia quae temporalem dant instructionem. (Cf. BALL-PALM., II. 466.)

N. B. Magis stricte obiectum simoniae habetur, ubi ex opere operato spirituale confertur, sicut fuisset potestas sacra quam Simon Magus emere cupiebat, quam quando effectus spiritualis tantum ex opere operantis vel per huius occasionem confertur, utputa per preces, per contionem.

g) *Vel rem temporalem rei spirituali annexam*. Itaque propter quandam conexionem cum re spirituali, etiam res temporales pro

pretio commutari non possunt. Non omnis tamen connexio hanc prohibitionem secum fert, sed ea quae canone definitur.

6. - Simonia iuris ecclesiastici est : « Dare... res temporales spirituali annexas pro temporalibus spirituali annexis, vel res spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur » (**c. 727**, § 2).

Quia hic nulla fit comparatio rei spiritualis cum temporali, est quaedam extensio simoniae ad casus lege naturali non comprehensos ; sed, cum eodem motivo vetetur, utraque simonia eiusdem speciei moralis (*realis sacrilegii*) est. Quamquam haec simonia parvitatem materiae admittit.

7. - **Simoniae malitia.** — Post S. THOMAM, 2, 2, q. 100 art. 1, simoniam triplici malitia notamus. Simoniacus enim, spirituale vendendo, *usurpat* rei spiritualis *dominium* quod est penes Deum ; *ordinem rerum spiritualium*, quae est gratuita Dei benevolentia, *offendit*, et earundem *transcendentiam contemnit*, cum, per ipsam commutationem, eas rei temporali aequiperet. Ista aequiperatio est rei sacrae potissimum iniuriosa.

Porro malitia simoniae esse dicitur specialis ratio *sacrilegii realis*.

Quia autem nullum donum gratiae sine gravi irreverentia tam dono quam ipsi Deo irrogata, venale haberi potest, nec quantitas pretii irreverentiam istam mutat, in simonia *iuris divini* (non item in simonia iuris ecclesiasiastici) nulla parvitas materiae agnosci potest. Saepe tamen praemii exiguitas mentem simoniacam afuisse demonstrari potest.

8. - Quaeres, quomodo simonia absit a *stipendiis* missarum et functionum sacrarum, a *taxis* et variis *oblationibus a ministris sacris* recipi solitis ?

Nomine *stipendii* venit retributio quae ministro sacris operanti debetur et solvitur ; *taxa* vero est oblatio quam, secundum leges ecclesiasticas, a fidelibus exigit qui ius reddit, dispensationem vel gratiam largitur. Etiam extra ista adiuncta, oblationes, aliae libere aliae coacte, a fidelibus obtinentur.

Abesse autem simoniam, sic paucis efficere posse arbitramur. Teste ipso S. PAULO, 1 Cor. 9, 7-14, « Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant de evangelio vivere. »

Potestas ista divinitus facta quae, ut ex sacro textu fit manifestum, correlativam admittit ministeriorum spiritualium et stipendiorum vel oblationum obligationem, duas priores simoniae malitias evacuat. Quod, auctore Domino, Ecclesia agit, non est contra Dei dominium vel gratuitam eius intentionem. Ut tertia malitia, i. e. aequiperatio

rei spiritualis et temporalis auferatur, sufficit ut pecunia vel temporalis non detur ratione rei sed ratione subiecti ; i. e. non de ut pretium commensuratum vel commensurabile ministerio sacro labori operantis, sed indigentiis personae secundum suum statu seu propter eius convenientem sustentationem.

Scilicet Ecclesia, quae, ut omnis societas perfecta, munera cont et alendis officialibus suis sicut ceteris necessitatibus communi prospicere potest et debet, freta divina auctoritate, providenti istam partim per stipendia et taxas exercet. I. e. aliis munia vult omnino gratis exerceantur, aliis titulum sustentationis pruden adiungit, seu contenta est minore gratuitate quae solam *commutat nem* excludit. Mutua autem iustitiae obligatio exercendi ministeri et solvendi stipendia vel taxam radicem suam habet in iure comm nitatis ut spiritualiter administretur et in correlativo officio ale sibi ministrantes. Munus susceptum est unica causa obligatio ministri sacri ; stipendio autem vel oblatione sua fidelis libere obligatus, pro parte sua, commune officium alendi ministros impl Si praeterea, ut v. g. pro missae applicatione, intervenit contract formae *do ut facias*, contractus iste mere determinat, intra limit ab Ecclesia permissos, personam ministrantis, adiuncta varia et ipsa stipendii quantitatem. Sic dicere existimamus cum S. THOMA, 2, 2, 100 ; cum SUAREZ, *Rel.* Tr. 3, L. 4, c. 46 ; LEHMKUHL, I, 534, non alii sollicitis, contra ac plures, etiam hodie, qui post LAYMANN, *Theol. mo* L. 4, tr. 10, c. ult. n. 13 (is tamen hanc ut alteram non necessaria explicationem proponit) in ipso contractu de stipendiis rem stric commutabilem reperire conantur. Cf. plura in *Theol. mor.* nostra, l. Digna quoque sunt attenta consideratione quae iuridice perpend Professor VIN. DEL GIUDICE, in erudito suo opere *Stipend. Missarum.*

Ipsa nostra expositione commentati sumus c. 730, 3, quo Code introductionem Libri III concludit :

« Non habetur simonia, cum temporale datur non pro re spiritua sed eius occasione ex iusto titulo a sacris canonibus vel a legitin consuetudine recognito ; item cum datur res temporalis pro re ten porali, quae tamquam subiectum habeat adnexum aliquid spiritual ex. gr. calix consecratus, dummodo pretium non augeatur propte adnexam rem spiritualem. »

In contractu de stipendiis nihil datur *pro re spirituali*, quaten nulla fit commutatio rei cum re, seu nulla « conventio pro re ten porali sub ratione pretii » (SUAREZ, *l. c.*).

Quinam stipendia et taxas definiant, infra dicetur, in hoc ipso libr (Cf. cc. 831. 1234. 1235. 1303. 1507. 1909.)

9. - Varii casus unde abest simonia. *Simoniacus* non est qui *stipendio* ad celebrandum movetur ; — qui redimit *reliquias* ne pereant vel profanentur ; — qui vexationem iniustam, suae electioni contrariam removet, nisi simul velit postea ab eadem personae auxilium obtinere ; — qui alium pecunia allicit ad exercendos actus pietatis vel religionis vel alius virtutis.

Nisi tamen periculum sit in mora, de reliquiis quae venales prostant monendus est Ordinarius, ut ipse provideat. Cf. c. 1289. decr. 21 dec. 1878 *S. C. Indulg. et SS. Reliq.* (*Coll. P. F.* n. 1506 ; *A. S. S.* XI, 365) et comment. BALL-PALM., t. 2, tr. 6, n. 475.

10. - Casus controversi. — Qui taxam *iusto aut lege maiorem* exigit, graviter peccat contra iustitiam, et excessum restituere debet ; sed, contra ac quidam tenent (v. g. BALL.-PALM., t. 2, tr. 6, n. 465), non est simoniacus : de se enim nihil aliud facit quam titulum, qui re vera exsistit, iusto magis urgere.

Iniustus vero per se non est, sed *simoniacus*, qui taxam vel stipendium percipit quando nihil recipi poterat : v. g. stipendium pro binatione. Prohibitiones enim huiusmodi ad avertendum simoniae periculum factae videntur.

11. - Quid de *pauperibus* dicendum esse qui pro certo pretio preces quasdam fundunt, novendiales devotiones peragunt ad intentiones solventium ?

Cum ipsi non sint ministri sacri, res explicanda videtur per intentionem liberalis beneficentiae eorum qui sub spe obtinendae orationis eleemosynam largiuntur ; sic ipse S. THOMAS, 2, 2, q. 100 art. 3 ad 2.

12. - Casus certae simoniae. 1. Ecclesia definit pro quibusnam ministeriis stipendium peti possit. Simoniacus fuerit qui stipendium peteret pro aliis quae Ecclesia gratis omnino exerceri vult.

2. Praeterea simonia conventionalis *iuris* saltem *ecclesiastici* committitur :

a) Permutatione *beneficiorum* quae fiat propria auctoritate vel contra alia praescripta cc. 1487. 1488 ; — privata transactione de titulo beneficii (c. 1927, § 1) ; — privata resignatione beneficii in favorem tertii aut sub condicione quae redituum erogationem attingat (c. 1486).

b) Variis solutionibus vel compensationibus quae clerico in actu provisionis beneficii faciendae imponantur (c. 1441).

c) Postulata remuneratione laboris impensi in colligendis et distribuendis missis, nisi quam concesserit Ap. Sedes. Integrae enim transmitti debent stipes manuales, ex c. 840. Cf. FERRERES, I, 375 (1).

d) Postulata, sine episcopi venia, remuneratione pro expensis celebrationis missae (c. 1303). (Qui autem maiorem stipem quam concessam postulaverit, potius iniustus quam simoniacus esse videtur. (Contra FERRERES, I, 376.) Nulla vero hodie simonia committi videtur ab iis qui, pro valore materiae, vendunt res sacras, benedictas, indulgentiis ditatas (cf. c. 1539) quamvis indulgentiae reipsa pereant (cf. c. 924).

N. B. Venditione officii quod *extrinsece* tantum ad res sacras est ordinatum, uti officium aeditui, oeconomi, iam non videtur committi simonia iuris ecclesiastici ; sed, nisi consuetudo plus permittat, venditio talis officii turpe lucrum sapit. Cf D'ANNIBALE, *Summula*, III, 113.

13. - Sanctiones canonicae. 1. Praeter poenas in simoniacos iure statutas, quae in libro quinto explicabuntur, c. 729 irritat pleno iure omnem *contractum* simoniacum ; et in materia beneficiorum.

---

(1) Contra atque existimat FERRERES, non putamus simoniacum esse qui pro receptis stipendiis merces tribuat celebrantibus, contra praescriptum c. 827.

officiorum, dignitatum, provisionem seu nominationem inde secutam, etiamsi, inscio proviso, simonia a tertia persona commissa sit, dummodo ne facta sit in fraudem eiusdem provisi (v. g. ad impediendam eius promotionem, alioquin certam), aut eo contradicente.

« Quare, — sic pergit c. 729, — 1° ante quamlibet iudicis sententiam, res simoniace data et accepta, si restitutionis sit capax nec obstet reverentia rei spirituali debita, restitui debet; et beneficium, officium, dignitas dimitti; — 2° simoniace provisus non facit fructus suos; quod si eos bona fide perceperit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte eidem condonare. »

Idcirco, qui vel stipendia pro missis binationis, vel, occasione administrationis sacrae, quidpiam, praeter legitime admissas oblationes, promiserit, promissis stare non debet. Cum tamen missa celebrata vel facta administratio sacra restitui nequeat, ne hodie quidem constat quidpiam restituendum esse ab illo qui remunerationes istas male receperit, nisi simul iniustus fuerit, ut si pecuniam postulaverit pro administratione quae ipsi ex iustitia, v. g. qua parocho, facienda incumbebat.

2. Poenae autem iure statutae: *a*) plectunt *excommunicatione* latae sententiae S. Sedi simpliciter reservatae; perpetua *privatione*, ipso facto commissa, iuris eligendi, praesentandi, nominandi; et, si clerici sint, ipsa *suspensione*, quotquot simoniae rei sunt in quibuslibet *officiis, beneficiis* aut *dignitatibus ecclesiasticis* (c. 2392).

Ut supra, n. 4, nota, monuimus, sola simonia *realis* poenis latae sententiae plectitur. Nec simonia in aliis materiis commissa poena latae sententiae sancitur.

Quia autem in his materiis simonia cum iuris divini tum iuris ecclesiastici committi potest, quaeritur praeterea utrum propter solam simoniam iuris divini an etiam propter simoniam iuris ecclesiastici poenae l. s. contrahantur. Sub vetere iure id controvertebatur. SCHMALZGRUEBER (*Ius eccl.* L. v. t, 3 n. 275) communiorem et longe probabiliorem habet sententiam quae poenas in utraque incurri tenet. Contra etiam hodie CERATO, *Censurae*, c. 87, 2° c; PIGLI, *De praeceptis*, n. 540; GÉN.-SALSM., II, 603, censent excommunicationem pro sola simonia iuris divini latam esse existimant. Ratio est quia versamur in odiosis et simonia iuris ecclesiastici haberi potest pro minus proprie vel saltem minus stricte dicta. Sed cfr t. III n. 597, ubi P. CREUSEN severiorem sententiam ut certam tuetur.

b) *Suspecti de haeresi* declarantur omnes, etiam episcopi, qui quemquam per simoniam ad ordines sacros scienter promoverint, vel qui eodem modo scienter promoti fuerint, aut simoniace alia sacramenta ministraverint vel receperint; clerici praeterea *suspensionem* incurrunt Apostolicae Sedi reservatam (c. 2371). — Suppressae sunt poenae contra simoniam in ingressu religionis, in negotiatione seu mercatura ope stipendiorum missae (PRÜMMER, q. 277).

PARS PRIMA. - DE SACRAMENTIS

INTRODUCTIO

De Sacramentis in genere

(cc. 731-736)

Scriptores : Wernz, S. I. *Ius Decretalium*, t. 3, n. 720-726. — Augustine O. S. B., *A commentary*, in hos canones. — Cappello, S. I., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, I, n. 27-29. 64. 73. 94. 130. 196. — Noldin-Schmitt, S. J., *Summa Theologiae moralis*, III, n. 26. 27. 36. 59. 60. 86. — Prümmer, O. Pr., *Manuale, Prooemium*, p. 351. — Vermeersch, S. I., *Theol. mor.*, III, 172-314

14. - **Ratio ordinis.** Titulis de singulis sacramentis sex praescribuntur canones quibus, cum monitione de reverentia sacramentis exhibenda conectitur vetitum ea ministrandi haereticis aut schismaticis (c. 731); iteratio prohibetur sacramentorum quae characterem imprimunt, si tamen de valida eorum collatione prudenter dubitari nequeat (c. 732); observatio ritus proprii et sacrarum caerimoniarum praecipitur accurata (c. 733); definitur modus renovandi et asservandi olea sacra (c. 734. 735); ac gratuita sacramentorum administratio imponitur (c. 736).

Cum de sacramentis satis fuse in theologia morali agatur, nisi materia proprie canonica occurrat, propositione et brevi canonum commentatione fere contenti erimus.

15. - I. Ministri et suscipientis diligentia. « Cum omnia sacramenta Novae Legis, a Christo Domino instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est » (c. 731, § 1).

Sacramentum novae legis definiri potest : *Res sensibilis quae ex stabili institutione Christi vim habet efficiendi sanctitatem seu gratiam quam significat.*

Fide definitum est in C. Tridentini s. VII, canone 1, septem, nec plus nec minus, esse sacramenta vera et proprie talia, et omnia et singula a Iesu Christo Domino Nostro fuisse instituta.

Definitio ista non impedit quin Christus, auctor sacramentorum, ultimam determinationem elementorum sacramenti Ecclesiae committere potuerit.

Sanctificatio nostra supernaturalis, quamvis nostram cooperationem, si simus adulti, exigat, multo magis tamen est opus Dei quam nostra efficientia. Et cum sacramenta nobis ex opere operato, sine ulla causalitate nostra proprie tali, gratiam nobis largiantur, et propter hunc finem sint instituta, dicuntur esse praecipua sanctificationis et salutis media. Quare cum eorum auctori tum eorum naturae summa diligentia et reverentia debentur.

16. - II. Subiectum exclusum. Non quidem ex regula generali qua

sacramenta deneganda sunt indignis, sed ex propria ratione suae separationis cum Ecclesia, quae sacramenta ut bonum suum possidet. « Vetitum est sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus, eaque petentibus nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint » (c. **731**, § 2).

Minus accurate, ut nobis videtur, plures scriptores haereticos et schismaticos ponunt inter indignos quibus ideo sacramenta sint neganda. Nam qui bona fide errant digniores esse possunt catholicis quibus dantur. Ideo aliam rationem formalem denegationis assignandam esse putavimus.

Regula haec nulli exceptioni locum dat cum agitur de personis bene valentibus. Necessitas tamen consulendi, in periculo mortis, saluti animae, permittit ut moribundis acatholicis sacramenta necessitatis stricte vel late dictae (paenitentia et extrema unctio) administrentur, saltem condicionate, si sensibus destituti sint, vel si, sensibus praesentes, in bona fide prudenter linquendi videantur. Ac sensibus destitutus, certius quam absolutione sacramentali, iuvabitur extrema unctione, quae non exigit actus subiecti tamquam quasi-materiam sacramenti. Cavendum tamen est a scandalo vel miratione populi, si extrema unctio non possit satis secreto ministrari. (Cf. *S. C. S. Off.*, concil. 1898. *Fontes*, IV, n. 1203).

Quid si devotus schismaticus viaticum ardenter cupiat a ministro catholico qui solus adsit ? Eucharistia per se potius neganda ipsi est. Adiuncta tamen esse possunt, in quibus ex ipsa denegatione periculum sit ne bona eius fides turbetur. Quo casu locum esse putamus epikeiae, remoto scandalo. Cf. *Theol. mor.*, III, 196 ; et CAPPELLO, S. I., I, 73.

17. - III. Sacramentorum iteratio. Tria sacramenta quae characterem imprimunt, baptismus, confirmatio et ordo, iterari nequeunt (c. **732**). Character enim est signum Christi per qualitatem physicam eamque indelebilem animae impressum, quo homo configuratur Christo ut ad eius famulatum in diverso statu et gradu deputetur : per baptismum tamquam *ovis* Christi, per confirmationem tamquam *miles* Christi, per ordinem tamquam *minister* Christi. Character signo sacramentali immediate significatur, est titulus cui gratia sacramentalis proxime debetur atque in omni valida sacramenti collatione imprimitur. Ideo sacramentum iterari nequit.

Stante autem dubio rationabili, necessitas suscipiendis vel praecavenda aliorum damna (v. g. cum agitur de ordinatione sacerdotali) obligationem sacramentum iterandi imponunt. Quo magis autem est sacramentum necessarium, eo minor causa sufficit ut licite iteretur. Quare, ubi agitur de baptismo vel de ordinatione, *licita*, quamvis *non praescripta* erit iteratio si aliqua apparens ratio vel doctorum auctoritas animum sollicitet, quamvis dubium nulla ratione intrinseca at...

idonea auctoritate fulcitur. Cf. Lugo, *Resp. mor.* L. 1, d. 3, n. 2.

18. - IV. **Observandi ritus.** C. **733** praecipit ut « in sacramentis conficiendis, administrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caerimoniae quae in libris ritualibus ab Ecclesia approbatis praecipiuntur ». His verbis confirmatur, non autem augetur vis Ritualis. Non ideo igitur omnes caerimoniae sunt sub peccato impositae.

Praeterea ritus proprius sequendus dicitur. Licet tamen fidelibus, devotionis causa, ss. eucharistiam quolibet ritu confectam suscipere. Ac necessitate urgente, licet sacerdoti qui fermentato utitur eucharistiam in azymo consecratam ministrare, et contra (c. 866 et 851).

Ritus designant partes principaliores modi offerendi sacrificium et conficiendi vel ministrandi sacramenta, praecipue adhibendas formulas et orationes ; *caerimoniae* sunt potius secundaria observanda, maxime comitantes gestus.

19. - V. **De sacris oleis.** 1. « Sacra olea quae quibusdam sacramentis administrandis inserviunt debent esse ab episcopo benedicta feria V in Cena Domini proxime superiore ; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat » (c. **734**, § 1).

Sacramenta ista sunt baptismus, confirmatio, extrema unctio, ordo sacerdotalis. Nullo modo autem est necesse ut ipsa olea sint recentia, sicut responsum est a *S. C. Prop. Fid.* 13 aug. 1669 ; et a *S. Rit. Congr.* 22 mart. 1862 (*Coll. P. F.* n. 183 et 1225, 4) ; sed debent esse recenter benedicta. Urgens autem necessitas est administrandi sacramenti, quod sine notabili incommodo non differatur. Et quando agitur de aqua baptismali, in qua olea sacra miscenda sunt, necessitas ita intelligenda videtur : *a)* ut si in sabbato sancto desint olea recens benedicta, benedictio fontis cum oleis veteribus facienda sit, et aqua sic benedicta adhibeatur usque ad pervigilium Pentecostes ; *b)* ut alio tempore exspectetur donec necessitas administrationis baptismi postulet confectionem aquae baptismalis. Cf. resp. *S. Officii* 14 febr. 1704 (*Fontes*, IV, 758 ; *Coll. P. F.* n. 263), *S. C. Prop. Fid.* 18 febr. 1783 et 5 iul. 1841 (*Coll. P. F.* n. 561 et 924), et *S. Rit. Congr.* 23 sept. 1837 (*Coll. P. F.* n. 2266).

2. « Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia » (c. 734, § 2).

Applicatur regula haec : pars maior trahit ad se minorem. Unde postquam minore quantitate oleum non benedictum benedicto est additum, tota massa est benedicta. Quare saepius huiusmodi additio fieri potest, salva massae benedictione.

Olea sacra ab episcopo proprii ritus sunt benedicenda.

3. Parochus olea sacra a proprio Ordinario petere debet. Servari autem debent in ecclesia, sub clavi, in tuta ac decenti custodia, non tamen in tabernaculo ss. eucharistiae ; obstat iam ratio vitandi confusionem cultus. Non sunt custodienda in domo parochiali. Ordinarius tamen propter necessitatem vel rationabilem causam permittere potest ut in ea domo retineantur (c. 735). Causa rationabilis non raro ipsa distantia domus ab ecclesia suppeditatur.

20. - VI. Gratuitas administrationis. « Pro administratione Sacramentorum minister nihil quavis de causa vel occasione sive directe sive indirecte exigat aut petat » (c. 736). Permittitur tamen ut exigatur taxa a Concilio provinciali aut a conventu episcoporum definita et a S. Sede approbata (can. 736. 1507, § 1).

TITULUS I

DE BAPTISMO

(cc. 737-779)

Scriptores : Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, t. 3, n. 727-731. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, in hos canones. — Cappello, S. I., *De Sacramentis*, t. 1, n. 123-192. — Noldin-Schmitt, S. I., *Summarium Theol. mor.* III, n. 55-83. — Prümmer, O. Pr., *Manuale*, p. 351 etc. q. 270-283. — Vermeersch, S. I., *Theol. mor.*, III, 214-260.

21. - Ratio ordinis. Post brevem introductionem canonis 737, quo baptismus honoratur ut ianua et fundamentum omnium sacramentorum, eius necessitas medii in re vel saltem in voto praedicatur, eiusque describitur ritus essentialis : ablutio aquae verae et naturalis cum praescripta verborum forma ; et subinde distinguitur *sollemnis*, qui ministratur servatis omnibus ritibus et caerimoniis quae in ritualibus libris praecipiuntur, et *non sollemnis* seu *privatus*. Codex titulum partitur in sex capita : I. *De ministro baptismi ;* — II. *De subiecto baptismi ;* — III. *De ritibus et caerimoniis baptismi ;* — IV. *De patrinis ;* — V. *De tempore et loco baptismi conferendi ;* — VI. *De collati baptismi annotatione et probatione.*

Caput I. - De Ministro baptismi

22. - Valide baptismum ministrat *omnis homo*, ratione utens, cuiuslibet fidei aut infidelitatis, status aut sexus. Nemo tamen *se ipsum* baptizare potest, quia sola propria voluntate nemo potest in societatem visibilem cooptari. Pro *licita* administratione, baptismus *sollemnis*, seu quem ritus et caerimoniae Ecclesiae comitantur, a non sollemni distinguendus est.

23. - Attenta potestate ordinis : 1. **ordinarius** minister baptismi sollemnis est *sacerdos* : collatio tamen baptismi est functio *paroecialis* quam, praeter Ordinarium loci vel parochum proprium, in proprio territorio, alius sacerdos licite non administrat nisi de parochi vel Ordinarii loci licentia : haec tamen, in casu necessitatis, legitime praesumitur (**c. 738, § 1**).

Parochus autem *proprius*, e c. 94, est parochus domicilii vel quasi-domicilii, qui tamen, extra territorium suum, sine debita licentia

Ordinarii vel parochi loci, sollemniter baptizare prohibetur (c. 739).

Peregrinus baptizandus est a parocho proprio in sua paroecia, si id facile et sine mora fieri potest; secus baptizari sollemniter potest a quolibet parocho in suo territorio.

Statuta interdum definiunt distantiam quae nimia censetur ut puer ad proprium parochum deferri debeat: quod tamen semper fieri licet (c. 738, § 1). Tolerari potest ab episcopo consuetudo saltem centenaria quae semper tribuerit ius parocho loci baptizandi pueros in sua paroecia natos.

Reservatur quoque parocho proprio suppletio caerimoniarum post baptismum, in necessitate, sine caerimoniis collatum. Minus constat parocho reservari baptismum qui privatim sub condicione repetendus sit (Lehmkuhl, *Theol. mor.* II, 94).

Vagorum vel eorum qui non habent nisi domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum, parochus proprius est parochus loci ubi actu versantur (c. 94), ita ut a quolibet parocho in suo territorio licite baptizentur.

Ubi desiderantur adhuc paroeciae vel quasi-paroeciae in quas dioecesis vel quasi-dioecesis dividantur, proprius baptismi minister (praeter Ordinarium loci), statutis peculiaribus et receptis consuetudinibus definitur (c. 740).

Parochus alienus qui, sine notabili causa vel praesumpto proprii parochi aut Ordinarii consensu, infantem ad se delatum baptizat, censetur graviter usurpare alienam iurisdictionem. Timor ne baptismus negligatur saepe ipsum prorsus excusat.

24. - 2. Extraordinarius baptismi sollemnis minister est *diaconus*. Verum licitus usus eius potestatis exigit: *a*) licentiam loci Ordinarii vel parochi; — *b*) iustam causam concedendi istam licentiam. Urgente necessitate, diaconus licentiam legitime *praesumere* potest (c. 741).

Sed, etiam cum baptizat, *salem et aquam* benedicere non potest (cf. S. R. C. 10 feb. 1888, *Decr. auth.*, n. 3684.).

Iusta causa non dicit gravem causam. Multitudo baptizandorum, vel multitudo poenitentium quorum confessiones audiendae sint, vel aliud officium incumbens parocho permittunt ut baptismum diacono committat. Atque, ubi mos iste vigeat, non repugnamus quin iusta causa existimetur solatium parentum qui cupiant filium a fratre diacono baptizari.

Verum causa praesumendi hanc licentiam multo gravior esse debet. Oportet ut urgeat necessitas baptismum conferendi.

Numquam vero laicus vel clericus infra diaconum *sollemniter* baptizare possunt. Ac sollemnis ista ministratio eosdem facit irregulares e delicto (c. 985, 7°). Verbis generalibus quibus utitur, canon iste solvere videtur controversiam utrum soli clerici an etiam laici hac usurpatione irregulares fierent. Irregularitas ista quoque incurritur a sacerdote qui poena canonica hac ministratione sit prohibitus (c. 985, 7°). Sed, nisi agatur de censuratis vitandis vel de quibus intercessit sententia condemnatoria aut declaratoria, excommunicati, interdicti et suspensi a fidelibus rogati sacramenta licite conferre possunt (cc. 2261, § 2 : 2275, 2° et 2284).

Diaconus vero qui sine commissione sollemniter baptizat, cum ex ipso c. 741, potestatem habeat, etsi ea male utatur, hanc irregularitatem effugit.

25. - 3. In *necessitate*, baptismus *non sollemnis* a *quovis* legitime ministratur, « servata debita materia, forma et intentione ; quatenus

vero fieri potest, adhibeantur duo testes vel saltem unus, quibus baptismi collatio probari possit » (c. 742, § 1).

Necessitas ista, in nostris regionibus, fere erit periculum mortis ; in regionibus vero missionum, ipsa absentia sacerdotis vel difficultas eum adeundi. Namque *S. C. P. F.* 27 ian. 1788 ; 13 ian. 1804 ad 2 (*Coll.* P. F. n. 593. 674), consuetudinem laudavit iniungendi catechistis vel prudentioribus laicis ut christianorum infantes, etiam qui bene valeant, cito baptizent.

Ordo tamen servandus est, ut sacerdos praeferetur diacono, diaconus subdiacono, clericus laico, vir feminae, nisi ratio pudoris vel maior peritia feminae suadeat ut haec praeferatur (c. 742, § 2). Praeferendus quoque semper est catholicus parti acatholicae.

Mutatio istius ordinis censetur esse levis. Excipiunt tamen si coram fideli haereticus adhibeatur, vel coram sacerdote laicus. Hoc postremum tamen severius dictum arbitramur. Agitur enim de baptismo privato, de quo Codex principium statuit, eundem a quovis ministrari posse, et una eademque sententia ordinem exhibet quo sacerdos laico, vir feminae praeferendus dicatur. Parum veri simile videtur ut neglecta praelatio sit in uno casu mortalis, in altero mere venialis.

26. - Speciali tamen vetito ambo parentes prolem suam baptizare prohibentur, nisi in mortis periculo, cum alius praesto non est qui baptizet (c. 742, § 3).

Hodierna causa istius vetiti non iam quaeri potest ex cognatione spirituali quam, qua baptizans, vir cum uxore sua contraheret, quia ex c. 768, nulla iam cognatione baptizans cum parentibus baptizati devincitur. Subsistit haec alia : quod non decet ut in eadem persona duplex paternitas, naturalis ex generatione, spiritualis ex administratione regenerationis sacramento, coniungatur. Quae ratio gravem obligationem inducere non videtur.

Ut per se patet, si parens magis peritus sit, tuto poterit saluti prolis melius consulere, dum ipse potius quam minus idoneus infantem baptizat.

27. - Parochus curare debet ut fideles, maxime obstetrices, medici et chirurgi rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant (c. 743).

Opportunitas istius praecepti lugendis erroribus demonstratur (1).

28. - « Adultorum baptismus, ubi commode fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur, ut, si voluerit, ab eo vel eius delegato sollemnius conferatur » (c. 744).

Verba ista ita temperate sunt posita ut, potius quam praeceptum, continere videantur votum quod ipse Ordinarius complere potest statuto quo baptismum adultorum sibi reservet. Id in nostris partibus satis fieri consuevit. Alibi, ipsa locorum adiuncta isti reservationi obstabunt.

Praeterea agitur hic de baptismo absolute conferendo, non autem de condicionata iteratione, quae saepe secretum postulat et sine caerimoniis fieri consuevit.

---

(1) Cf. HOORNAERT, A., *Le baptême d'urgence*, Bruxelles, 1924.

Caput II. - De subiecto baptismi

29. - Ab hoc summo principio exordiendum est. Subiectum capax, et, per se licitum, baptismi est omnis et solus homo viator, ab Adamo descendens, nondum baptizatus ; qui praeterea, *si adultus* fuerit, in suum baptismum sufficienter consenserit (Cf. c. 745, § 1).

Rectus usus istius principii postulat ut distinguamus infantem *in utero*, fetum *abortivum* aut editum *monstrum*, *infantem natum*, *adultum sanum*, *adultum in periculo mortis*, infantem vel adultum *dubie baptizatum*.

30. - I. **De infante in utero.** 1. Per se exspectanda est completa nativitas. Periculum ne edatur mortuus causam dat tentandi baptismum infantis clausi in utero. Sed fetus sic baptizatus denuo sub condicione baptizari debet (**c. 746**, § 1 et 5).

Canon 746, § 1, baptismum infantis clausi in utero prohibet, « donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit ». Verum summa istius sacramenti necessitas sinere videtur ut verba ista de tam probabili spe intelligamus quae moralem certitudinem adaequet. Quare si probabile periculum sit mortis ante nativitatem, tentandum diximus baptismum in utero.

2. Infans qui caput emiserit, est, urgente periculo mortis, in capite absolute baptizandus : nec baptismus iste postea iterandus est (c. 746, § 2).

Si vero aliud membrum emiserit, est, urgente eodem periculo, sub condicione baptizandus : qui baptismus post nativitatem sub condicione repetendus erit (c. 746, § 3).

Omissa alia partium distinctione, Codex controversias de his motas supprimit, baptismum absolutum in solo capite, in omni alia parte condicionatum solummodo baptismum admittens.

3. *Mortua* matre praegnante, « fetus ab iis ad quos spectat extractus, si certo vivat, baptizetur absolute ; si dubie, sub conditione » (c. 746, § 4).

Extrahitur fetus operatione quae a Caesare cui profuit, caesarea vocatur. Operatio ista certo facienda est, etsi recens fuerit conceptio. Quare, quam citissime advocandus est chirurgus aut alius qui eam facere possit, servando interim calidum mortuae matris uterum, eiusque os aperiendo ; « nec facile credendum est medico forte dicenti omnem conatum incassum fieri, eo quod fetus iam sit emortuus : siquidem id raro omnino certo sciunt ». Lehmkuhl, II, 104.

Ipse tamen sacerdos, ne reus fiat gravis poenae civilis, vel religionem exosam reddat, sectionem istam nec peraget nec eam faciendam directe mandabit ; sed gravi monitione maritum defunctae vel propinquos vel medicum vel virum auctoritate publica praeditum inducere conabitur ut sectionem istam curent. Etenim iam ipse effectus dubius sacerdotem excusat cui subeunda sint gravissima incommoda ; atque ipsum religionis damnum publicam abstinendi rationem suppeditat. Ratio ista S. Sedem movit ut, 15 febr. 1780, missionariis in Sinis

praeciperet ut rem oneri ac muneri chirurgicorum committerent. Ad quod decretum, *S. Officium*, 13 dec. 1899, iterum remisit. Cf. *Fontes*, IV, 1139 et 1223, vel *Coll. P. F.*, n. 541 et 2073.

Seclusis huiusmodi incommodis, quilibet, deficiente medico, incisionem e caritate erga infantem fortasse salvandum perficere posset vel deberet.

Vivente matre, ut baptismus infantis, qui vivus via naturali edi non posse videtur, certius procuretur, sectio caesarea licita est etiam cum gravi mortis periculo pro matre.

Hodie, sectio ista, cum multo minus exitialis evaserit, et, procurato somno, omnis horror amoveatur, non raro enixe suadenda est, et quidem mature, ne mater impar viribus fiat. Ac nisi ipsa in grave discrimen adducatur, *obiective* ad sectionem istam admittendam obligari videtur. Monitio tamen prudenter facienda erit, ne bona fides periclitantis matris turbetur. Obligatio ipsa, quatenus ex conferendo baptismo oriatur, minuitur quando probabilis spes est infantem in ipso utero valide baptizandi.

31. - II. 1. De fetu abortivo. Nisi certo constet eosdem esse demortuos, — quod raro constabit, — omnes fetus abortivi etiam minimi, sunt saltem sub condicione baptizandi. Nescimus enim quonam momento anima spiritualis infundatur : nec pauci putant animam illam a primo instanti infundi. Obiciunt tamen plures scientiarum physiologicarum periti, nullam allegari posse rationem positivam differendi infusionem animae rationalis a primo conceptionis momento : nullas autem id negandi rationes sana philosophia scholastica suppeditat.

C. 747 prima specie videtur controversiam pro prima opinione solvisse, cum statuat fetus qui certo vivant esse *absolute* baptizandos. Verum huiusmodi controversias solvere alienum erat a legislatore. Quare verba : « si certo vivant » hoc modo complenda sunt : si certo vivant anima rationali.

Certum mortis signum fere non est nisi putrefactio, nec sufficit inchoata. Fit autem satis saepe ut mulier gravida, dum agonizat, fetum eiciat. Cavendum igitur est ne fetus in lecto suffocetur.

Melior ac tutior ratio hos fetus baptizandi est per *immersionem* in aquam *tepidam*, procurando ut dum formam pronuntias fetum immergas et subinde ex aqua educas.

Baptismus conferendus non videtur in *ovo clauso*, quia exterior membrana minime ad fetum pertinet. Probante LEHMKUHL, II, n. 103 nota, et FERRERES, II, n. 323, CAPELLMANN, *Medicina pastoralis* ed. lat. p. 112, hunc modum proponit baptizandi minimos fetus ovo inclusos, ut, caute aperto ovo, liquor amnii sinatur lente dilabi ; utque deinde utriusque manus pollice et digito, aliquam velamenti plicaturam apprehendas, atque ita dirumpas ut materia ovi effluat.

Interdum pro fetu editur *mola*, seu massa carnis informis et sine vita, quae ex ovulo fecundato remanet, quando inaequalis nutritio secundinae et fetus id effecit ut is ab illa veluti absorbeatur. « Ceterum, ait ESCHBACH, *Disp. physiologico-theologicae*, Disp. 3, c. 2, art. 2, p. 103, expedit et ipsas molas discindere et inspicere, cum non semel in iis infantulos inventos fuisse experientia testetur ».

Sed dissimulandum non est fetus, nisi ab aliquot hebdomadis concepti sint, vix dignosci posse. Opportunissima tamen fit monitio de obligatione baptizandi fetus, cum nimis frequenter proiciantur fetus iam grandiores qui baptizari et in loco sacro sepeliri debebant.

32. - 2. De monstro. Hodie satis constat mulierem ex bruto con-

cipere non posse, nec proprie e daemone, qui valet tantum ad semen humanum inferendum. Quare quidquid vivum, quidquid non plane constat esse vita destitutum et editur a muliere, est saltem sub condicione baptizandum.

Monstrum acardiacum, quod corde et cerebro caret, sub condicione « *si vivis* », baptizandum est. Semper cum fetu bene evoluto et post hunc fetum editur. Monet autem ANTONELLI, t. 2, n. 401, ut baptismo uterino donetur, statim postquam fetus evolutus est editus ; quia vix aliter ac mortuus edatur.

De *unitate subiecti* potius quam de eius veritate dubitari potest (cfr. **c. 748**). Itaque, si in monstro formae ceterum humanae, geminata sint pectora et capita, in utroque capite baptismus absolute conferatur ; sin tantum vel capita vel pectora geminata sint, baptismus absolute in uno capite, condicionate in altero vel capite vel pectore conferatur (D'ANNIBALE, *Summula theol. mor.* III, 274, et nota 38). Si solum plura sint brachia vel crura, nulla est ratio bis baptizandi.

33. - III. De infante nato. 1. Ut *extra mortis periculum* infans ante usum rationis, licite baptizetur, oportet ut, sine parentum iniuria, *probabiliter* amoveri possit grave perversionis periculum. Reverentiae enim sacramenti consulendum est ; nec male facienda sunt ut eveniant bona.

Quare : *a*) dummodo catholicae eius educationi cautum sit, licite baptizatur infans *infidelium*, « si parentes vel tutores aut saltem unus eorum consentiant ; si parentes, i. e. pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut ius in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant » (**c. 750**, § 2).

b) « Circa baptismum infantium duorum haereticorum aut schismaticorum aut duorum catholicorum qui in apostasiam vel haeresim vel schisma prolapsi sint, generatim » eadem norma servanda est (**c. 751**).

Norma minus absolute ponitur, quia hic non tam ius parentum, qui baptismo sunt Ecclesiae subditi, quam ipsius negotii difficultas et periculum, seu timenda incommoda privata vel publica, catholicae educationi obstant.

Quando ipsi parentes filium baptizandum offerunt, nisi solo fine superstitioso moveantur, iam virtualiter in educationem catholicam consentire videntur. Prudentia tamen impedire potest quominus baptizentur pueri qui apud ethnicos manere debent ; missionariis ergo praescripta Ordinariorum observanda sunt, vel Ordinarii de cautionibus sufficientibus a missionariis interrogari debent.

Longe facilius sufficiens spes catholicae educationis aderit, si christianus fuerit ipse parens offerens aut consentiens in baptismum. Immo de filio nato ex catholico et infideli, etiam post mortem partis fidelis, respondit *S. Off.* 6-8 iul. 1898 ad 4 (*Coll. P. F.* n. 2007, vel *Fontes* IV, n. 1209) : « Si *possibilis spes* affulgeat fore ut huiusmodi pueri possint suo tempore in vera religione instrui, tunc datis cautionibus (i. e. promissa educatione catholica), baptizentur. »

Cavere quoque debent missionarii ne sua agendi ratione superstitionem parentum fovere videantur. Superstitione tamen non peccat pater qui filium vere baptizari velit ut a morbo liberetur.

2. *In periculo mortis* i. e. « cum in eo versatur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat » etiam invitis parentibus licite infans infidelium baptizatur (c. 750, § 1). Tunc enim necessitas spiritualis infantis cuilibet iuri parentum praeferri debet.

In regionibus quae raro a missionariis visitantur, fieri potest ut sic, invitis

quoque parentibus, infans licite baptizetur : si v. g. perspectis eius macie et condicionibus regionis, praevideatur probabiliter moriturus ante usum rationis nec melior baptismi occasio affutura prospiciatur. Oportet vero ut periculum sit personale pueri : lues regionem vastans non sufficit ut omnes ethnicorum pueri baptizentur.

Maiora tamen odia vitanda religioni catholicae et timendae saevitiae in catholicos ob tare possunt quominus, etiam in periculo mortis, infantes, invitis parentibus, baptizentur (Cf. Instr. *S. C. Pr. Fid.* 17 april. 1777, VI fine; *Coll. P. F.* I, 522, quae in ed. 1, n. 514, ascribitur ad 17 aug. 1777).

34. - IV. De adulto non moribundo. — 1. *Adultus* hic censetur *quicumque rationis usum adeptus est* ; qui enim ratione potitur, est sui iuris pro aeternae salutis negotio (cfr **c. 745**, § 2, 2°).

2. In adulto, *voluntas* aliqua suscipiendi baptismum seu acceptandi actionem baptizantis est ad *valorem* necessaria. Voluntas ista debet, ut minimum habitualis esse, non retractata, saltem in alia explicita voluntate contenta.

Licita autem susceptio praeterea in ipso supponit :

a) *Fidem,* cuius defectus nulla alia dispositione suppleri potest. Quare omnino procurandus est actus fidei et cognitio veritatum quae, sive ex certa sive ex probabili sententia, necessitate medii explicite credendae sunt. Hic enim tutior sententia sequenda est.

Regulariter quoque baptismus praeparandus est *competente instructione*, quae omnia divinae legis praecepta complectatur, licet quandoque instructio de quibusdam mysteriis, v. g. de Eucharistia, *prudenter* baptismo postponi possit.

b) *Paenitentiam.* Admonendus ergo est baptizandus ut de peccatis suis doleat (**c. 752**, § 1), et iuvandus ut saltem veram habeat attritionem.

Nec ipsa attritio cum conexo proposito habebitur sine *sincera conversione,* i. e. nisi recto fine baptismum postulet, positivas christianae religionis obligationes amplectatur, et tali voluntate moveatur quae sacramentum non exponat periculo profanationis per apostasiam vel huiusmodi enormia et scandalosa crimina.

Itaque regulariter quaedam *probatio in fide et moribus* exigenda erit, quae ubi speciales difficultates fuerint, v. g. tempore persecutionum, per se maior ac diuturnior esse debet. — Ob similes rationes, fit interdum ut ipsa receptio in Ecclesiam catholicam prudenter differatur minorenni quem conversum graves vexationes manent, praeter odium quodpiam Ecclesiae catholicae.

35. - V. De adulto versante in mortis periculo. — 1. Onus completae instructionis levatur, quantum postulet necessitas. Quare, « si nequeat in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui, satis est, ad baptismum conferendum, ut aliquo modo ostendat se iisdem assentire, serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum » (c. 752, § 2). De quibusdam obligationibus in quibus bona fides defectum tegit, poterit prudenter taceri, semper cavendo a scandalo.

2. Qui baptismum formaliter petere nequit, « sed vel antea vel in

praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo intentionem illum suscipiendi, baptizandus est sub condicione ; si deinde convaluerit et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub condicione baptismus rursus conferatur » (c. **752**, § 3).

Itaque coniectura aliquo modo probabilis quod non sit baptizatus et quod baptizari velit, obligationem creat baptizandi talem moribundum. Coniectura autem voluntatis baptismi facile haberi potest de eo qui de religione christiana audivit. Immo « animus christianismo contrarius, quo conabatur antea stimulos gratiae excutere... esse potest et ratio putandi moribundum in periculo positum, mentem mutasse, et nunc fidem et baptismum desiderare » (LEHMKUHL, II, 78, ed. 9). Quare, in nostris regionibus quilibet moribundus, sensibus destitutus, et nondum baptizatus, sub condicione « si capax es » saltem baptizari potest.

Porro in magnis civitatibus tot iam sunt qui baptismo non donantur, etiam si a personis baptizatis orti sunt, ut certus baptismus ex sola conversatione inter fideles colligi iam nequeat. Praestabit ergo ignotum moribundum qui sensibus sit destitutus, ante ipsam absolutionem, condicionate baptizare.

Praeterea, in omni vera attritione, sufficiens baptismi voluntas continetur. Non est enim vera attritio sine voto saltem implicito pertinendi ad Ecclesiam extra quam non est salus. Votum autem pertinendi ad Ecclesiam necessario dicit votum seu voluntatem implicitam acceptandi actionem baptizantis. Cfr *Per.* XVIII, 131*.133*.

Plerique autem, etiam in tenebris paganismi versantes, videntur ex sua falsa religione haurire posse unde credant Deum vindicem malorum et remuneratorem bonorum ; et de nemine possibilitas talis fidei excludenda est.

Quare, attenta summa baptismi necessitate, nullus videtur esse moribundus sensibus destitutus, sive in regione fideli sive in regione infideli, quin, praeciso scandalo, sub condicione baptizari possit.

Per se quidem baptismus, si *potest*, simul conferri *debet.* Id habet lex caritatis. Quia tamen gravissimi auctores, ut SUAREZ, *De sacramentis*, p. 1, d. 24, s. 1, n. 5 ; LUGO, *De sacramentis in genere*, d. 9, n. 129 negant baptismum conferri aliis posse, obligatio non erit nisi eos baptizandi qui, ex c. 752, § 3, formalem intentionem suscipiendi baptismum aliquo probabili modo manifestarint. Observes infideli sui compoti magis certo profuturum esse ut perfectum actum amoris Dei et contritionis eliciat, nisi baptismum expresse admittat.

36. - Quaeres quinam certo vel dubie amentes baptizandi sint ?

1. *Amentes ab infantia*, in quavis aetate constituti, infantibus assimulantur (c. **745**, § 2, 1°). Quare semper *valide* baptizantur ; et *licite* quoque, si, post obtentum usum rationis, fundata spes fuerit institutionis christianae, vel amentia prudenter praevideatur perpetua, aut urgeat baptismi necessitas.

2. Qui *dilucida* habeant intervalla, dum mentis compotes sunt, baptizentur, si velint (c. **754**, § 2).

3. Qui *post usum rationis* in amentiam inciderint quae iudicatur perpetua, *absolute* vel *condicionate* baptizandi sunt, si aliqua baptismi voluntas, certo vel dubie sufficiens, aliquo modo conici possit dum ratione potiebantur. Ob modo dicta, n. 35, etiam aliorum baptismo condicionato non repugnamus. Si amentia non praevidetur perpetua fore, lucida intervalla exspectanda sunt, nisi periculum mortis immineat (c. 754, § 3).

4. « Qui *lethargo* aut *phrenesi* laborat, vigilans tantum et volens baptizetur; at si periculum mortis impendeat », baptizandus est si antea aliquod desiderium baptismi suscipiendi ostenderit (c. 754, § 4). Ac per nos licet etiam ceteros in isto discrimine condicionate abluere.

5. Dubie amentis baptismus per se differendus est donec lucida intervalla vel melius evoluta ratio dubium non abstulerint. Si vero exspectatio impossibilis fuerit aut inutilis, sub condicione erit abluendus, aut etiam absolute si, pro modulo suo, instructionem et voluntatem baptismi habere existimetur. Si vero usus rationis praecesserit, et tunc nullam baptismi voluntatem habuerit, aliqua probabilis coniectura praesentis voluntatis ad baptismum requiri videtur, nisi sensibus sit prorsus destitutus.

37. - **Dubie adultus** ut dubie amens tractandus est. Per se, ergo, differendus est eius baptismus. Si autem iam baptizari velit, prout copia prudenter dabitur, separandus est a parentibus ethnicis vel areligiosis qui periculum perversionis crearent. Graviora tamen incommoda, praesertim publici ordinis, vitanda sunt.

38. - **VI. De dubie baptizatis.** — 1. *Semel* conferendus est baptismus; et graviter peccat, peccato sacrilegii, qui baptismum iterum confert vel recipit. Codice tamen sublata est irregularitas qua sacrilega baptismi iteratio, in suscipiente et in publice rebaptizante, antea puniebatur. Cfr. Lehmkuhl, II, 1283.

2. Sed extrema baptismi necessitas permittit ut sub condicione: « Si non es baptizatus », iteretur baptismus, si *aliquale*, rationabile tamen, dubium de priore baptismo habeatur.

Saepe, quando prior collatio (fortasse invalida) constat, iteratio condicionata est secreto seu remotis arbitris peragenda, ad vitanda scandala vel offensiones.

Quare « infantes expositi et inventi, nisi, re diligenter investigata, de eorum baptismo constet, sub condicione baptizentur » (c. 749). Schedula autem in qua baptismus affirmatur sufficientem securitatem minime praebet.

Promiscue sub condicione rebaptizare non licet infantes ab haereticis baptizatos vel conversos ab haeresi, sed, pro temporum et locorum ratione, examen de valore baptismi est instituendum; idque potius perpendendo singulos casus quam innitendo praesumptionibus (*S. Off.* 20 nov. 1878. *Coll. P. F.*, n. 1504 vel *Fontes*, IV, n. 1058). Attamen, si examen fieri nequeat, baptismus sub condicione iterandus est; nam, quia magis in dies crescit infidelitas vel, etiam apud bonae fidei acatholicos, incuria, baptismus ab acatholicis collatus, practice, saltem regulariter repetendus est « nisi proferatur testis omni fide dignus, qui de baptismo rite peracto, singulatim testari possit ». Ita fere Lehmkuhl, II, 27 nota, allegans praeterea resp. *S. Off.*, 4 febr. 1885, ad Visitatorem Coptorum.

Facilius admittitur valor baptismi a ministro *schismatico* collati.

Multo minus rebaptizandi sunt promiscue qui, in necessitate, a medico, obstetrice vel pio laico baptizati fuerunt. Quia tamen non semper constat de probitate vel ipsa peritia obstetricis, nec raro tunc baptismus confertur animo perturbato v. g. curis periclitanti matri dandis, facile locus erit repetendo condicionate

baptismo nisi, interrogatione facta de modo quo baptismus collatus sit, rationabile dubium auferatur. Interrogatio autem ita facienda est ut ratio qua baptizatus est *describatur*. Quare etiam in quibusdam missionibus statutum est, ut baptizati a catechistis iterum sub condicione regulariter baptizarentur nisi duo testes legitimam collationem testificari possent. Ipsa *S. C. Pr., Fid.*, Instr. 3 sept. 1869, n. 43 (*Coll. P. F.*, n. 1346), ad omnes vicariatus Indiarum extendit huiusmodi decretum synodi Pundicherianae (*Coll. Lacensis.* VI, 670, appendix). Nec improbare possimus ut simile quidpiam de baptismis ab obstetrice collatis decernatur

39. - Commendatum ieiunium. Canone **753**, § 1 Codex monet *decere* ut baptizandi adulti sani et qui eos baptizaturus est sint ieiuni. Haec praescriptio Ritualis referri videtur ad obligationem antiquiorem, quae diu permansit, conferendi sacramenta ante omnem comestionem vel potum.

Fere usque ad saec. XVII ieiunium est recipientibus et ministrantibus baptismum impositum. Cf. Martene, *De antiquis Ecclesiae usibus*, t. 1, p. 10, n. IV.

Postulat praeterea idem canon § 2, ut, nisi graves urgentesque causae obsint, adultus baptizatus *statim* missae sacrificio assistat et sacram communionem percipiat.

Quod hoc modo intellegimus, ut deceat quidem per se caerimoniam baptismi adultorum sacrificio missae et s. communione compleri, sicut habet ipsum *Rituale Romanum* t. II, c. 4, n. 52 (addens : « si hora sit congruens ») ; urgentes tamen excusationes non requirantur, nisi ut *diu* utrumque differatur. Vox *statim*, enim, in iure intervallum duorum vel trium dierum permittit. Praeterea ipsum ieiunium, communioni necessarium, proprie non praecipitur. Itaque usus non erit improbandus baptizandi vespere adultos qui postridie missae assistent et sacra dape reficiantur. Usum admittit quoque Augustine, quamvis vocem *statim* sumat quasi sit *immediate*.

Caput III - De ritibus et caerimoniis baptismi

40. - Baptismi ritus. 1. Per se, caerimoniae baptismi *ritum* determinant ad quem quis pertinebit (c. 98).

Ritu tamen *parentum* proles baptizari debet. Si parentes ad diversum ritum pertineant, proles, salvo iure speciali, ritu patris baptizetur. Si unus tantum parens fuerit catholicus, huius ritu baptizanda est (c. 756).

Et qui contra praescriptum c. 756, etiam ad preces parentum, alio ritu baptizati sunt, ad ritum pertinent in quo baptizari debuissent (Resp. *Pont. commiss.*, 16 oct. 1919, ad 11. *AAS*, XI, 476, ss. *Per.*, X, 101).

41. - 1. Caerimoniae ex *probato rituali* ; ac proin, in Ecclesia latina, e Rituali Romano sumendae sunt. Ac ritus, in materia gravi, sub gravi observandi sunt.

Notabiles caerimoniae sunt : in baptismo sollemni, usus *aquae ad hoc benedictae* (c. 757) ; *saliva*, *sal*, *insufflatio*, *unctio chrismatis*, et quidem recentis, si praesto fuerit ; *patrinus*.

Impediente causa gravi quominus adhibeantur omnes, illae saltem observentur quae, in casu, possunt. Omissae erunt, data oportunitate in ecclesia supplendae. Attamen in baptismo qui domi confertur ob imminens mortis periculum, omissis caerimoniis quae baptismum praecedunt, solae caerimoniae quae baptismum sequuntur, si tempus adsit, serventur (c. **759**, § 1).

Modus supplendi caerimonias in ipso Rituali indicatur. Etiam diu post ritum essentialem utiliter adhibetur. Nec regiones missionum exterarum hac lege eximuntur. Missionario tamen qui negotiis ita obruitur ut omnibus sufficere nequeat, licebit magis necessaria praeferre. Ipsa S. C. *S. Officii*, 11 dec. 1850, ad 9 hanc regulam proposuit generalem : « Semper inhaerendum caerimoniis in Rituali contentis ; quod si impediente causa gravi non possunt omnes, adhibeantur saltem illae quae possunt in casu adhiberi » (*Coll. P. F.*, n. 1054). Satis severe tamen exigit observationem caerimoniarum. Cfr. *Inst. S. Off.* 5 sept. 1877 (*Coll. P. F.*, n. 1480 vel *Fontes*, IV, 1053).

2. Aliae caerimoniae pro baptismo infantium, aliae pro baptismo adultorum sunt praescriptae. Sed, propter gravem et rationabilem causam, potest nunc loci Ordinarius indulgere ut adulti cum caerimoniis infantium, quae breviores et simpliciores sunt, baptizentur (c. **755**).

3. Cum *infans* ab haeretico ministro baptizatus ad Ecclesiam catholicam defertur, caerimoniae baptismi puerorum adhibendae sunt, sive baptismus condicionate repetendus sit sive non. — Si vero *adultus* ab haeresi convertatur, caerimoniae suppleri laudabiliter possunt, sed non debent, nisi baptismus condicionate iterandus sit : quo casu, ex lege communi (salva dispensatione Ordinarii) caerimoniae baptismi adultorum adhibendae sunt. (Cf. c. **760**.)

Licet tamen Ordinario loci permittere ut condicionatus iste baptismus haeretici conversi fiat sine caerimoniis (c. 759, § 2).

Cum baptismus condicionate iteratur, caerimoniae quae in priore baptismo omissae sunt supplendae sunt, salva exceptione modo dicta ; si vero prior baptismus sollemniter cum omnibus caerimoniis collatus fuit, caerimoniae in altero repeti aut omitti possunt.

4. Observes pollicem adhibendum esse pro *saliva* applicanda ; *sale* autem a catechumenis gustato ieiunium eucharisticum non frangi. Quando *capilli* personae baptizandae sunt nimis densi, alii *chrismate* inungunt summam frontem seu capitis partem prope capillitium ; alii curant ut pars quaedam in vertice radatur ; alii crines separant, contenti si tantillum chrismatis caput tangat : nihil horum improbavit *S. C. Pr. Fid.*, 14 ian. 1806 : *Coll. P. F.*, n. 682.

5. *Interrogationes* ad patrinos lingua latina efferendae sunt, sed, si opus est, repetantur idiomate vulgari, quo, in responsionibus suis, patrini et matrinae uti poterunt. Et dum sacerdos *latine* recitat *Pater*, *Ave*, *Credo*, patrini eadem simul lingua vernacula recitare poterunt.

42. - De aqua adhibenda. *Licita* materia remota est, in baptismo *privato* seu non sollemni, *quaelibet* aqua naturalis (1) et pura, quamvis

(1) In c. 757, § 1, verbis « aqua *naturalis* » intelligitur quae communiter pro vera habetur et usualis est. Parum refert utrum arte humana an a natura confecta sit. Et cum aqua chemice confecta sit materia *certa*, non videmus quid obici possit aquae cuius elementa in plantis potius quam immediate in hydrogenio et oxygenio chemice reperta sint.

usus aquae baptismalis sacerdoti praesertim suadendus sit; in baptismo *sollemni*, aqua ad hoc benedicta per se adhibenda est.

Aqua baptismalis bis in anno (in sabbato sancto et in vigilia Pentecostes) conficienda est cum oleis *recenter* consecratis, si haberi potuerint. Recenter, i. e. feria V, in cena Domini quae confectionem praecessit. Si aqua in baptisterio imminuta fuerit, ut non sufficere videatur « alia non benedicta admisceatur, etiam iterato, minore tamen copia » (c. **757**, § 2) quam ea quae superest pura vel iam semel aut bis permixta. — Si aqua penitus defecerit, parochus, in fontem bene mundatum, recentem aquam infundat ac speciali ritu, in liturgicis libris praescripto, benedicat. Ac missionariis conceditur quoque facultas utendi formula breviore quae a Paulo III nomen habet, et reperitur in Ritualis appendice, initio.

Usus *dubiae* materiae in sola necessitate et sub condicione permittitur. Uti aqua valde impura, quando alia haberi potest, est grave irreverentiae peccatum.

43. - De ablutionis modo. Canone **758** quattuor modi abluendi pro validis habentur : *infusio*, qui fere solus a catholicis occidentalibus nunc adhibetur; *immersio, aspersio, mixtus* modus infusione et immersione, cum baptizandus immergitur et, dum est in piscina, simul a baptizante aqua perfunditur. Praecipit Codex ut « primus tamen vel secundus modus aut mixtus ex utroque, qui magis sit in usu, retineatur, secundum probatos diversarum Ecclesiarum rituales libros ». Re vera baptismus per aspersionem minus securus esse perspicitur.

Praecepta forma baptismi in Ecclesia latina, est haec : « *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ». A qua, haec Graecorum forma substantialiter non differt : « *Baptizatur servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ».

Idem debet abluere et formam pronuntiare.

Quare invalidus videtur esse baptismus si quis baptizandus, dum alter formam dicit, labatur in aquam aut ab alio atque baptizante protrudatur, aut se submittat aquae e fonte prosilienti aut stillatim decidenti. In nullo enim ex his casibus, qui formam pronuntiat vere dicere potest : *Ego baptizo.* Valet autem si ipse minister baptizandum aquae sic naturaliter decidenti supponat.

44. - De nomine. « Curent parochi ut ei qui baptizatur christianum nomen imponatur ; quod si id consequi non poterunt, nomini a parentibus imposito addant nomen alicuius sancti, et in libro baptizatorum, *utrumque nomen* perscribant » (c. **761**).

Utrumque nomen perscribendum est, ut persona semper certo dignosci queat.

45. - Caerimoniae cum baptismo coniungendae sunt. Excepto imminente periculo mortis, sacramentum a sollemnitatibus per se separandum non est. Quare reprobatus est, ut abusus eliminandus, mos quarundam regionum mere abluendi (*ondoyer*) infantes seu conferendi

baptismum essentialem, ut postea in ecclesia solae caerimoniae suppleantur (c. 759).

Caput IV. - De Patrinis et Cognatione spirituali

46. - Patrini notio. Ei qui in hoc baptismi sacramento renascitur datur, quasi alter pater spiritualis, patrinus aut matrina. Ili ergo *gravem per se* contrahunt obligationem, *post parentes*, et *durante infantia spirituali* eius quem de fonte susceperunt, i. e. donec in fide et moribus christianis sufficienter instructus sit, *procurandi*, per se vel per alios, *prout possunt*, ipsius institutionem christianam, « ut talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse solemni caerimonia spoponderunt ». Nec cessat spiritualis sollicitudo, post finitam institutionem. Etenim « patrinorum est ex suscepto munere spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere » (c. 769).

Gravis est reatus patrinorum si, cum ipsi possunt providere, puer spiritualibus subsidiis destituatur.

Sed quia *secundario* tenentur, si puer inter catholicos enutriatur, praesumere possunt sufficientem parentum curam ac diligentiam.

47. - Condiciones valoris. « Ut quis *sit patrinus*, oportet : 1. sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi ; — 2. ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris, aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus ; — 3. nec sit pater vel mater vel coniux baptizandi ; — 4. ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro sit designatus ; — 5. baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat, vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis » (c. 765).

Itaque *arcentur* qui natura vel iure inepti existimantur, vel iam alio titulo, ut parentes, curam baptizandi gerere debent.

Ipsa cognatio spiritualis quam contraherent, coniugem baptizandi arcet. Incapacitate haereticorum qui sectae nomen dederunt supprimitur quaestio utrum necne interdum admitti possint.

Per se requiritur ut patrinus baptizatum de fonte levet et sic tamquam suum agnoscat.

Is ergo modus in se perfectior fuerit, ut baptizatum statim et immediate, de fonte aut de manibus baptizantis seu personae quae infantem inter baptismum gerebat levaret. Moraliter tamen levare quoque censetur si, in actu baptismi, infantem, apposita vel supposita manu (non mere momentanee, summis digitis) tetigerit. Designatio, a persona competente facta, *necessaria* quoque est. Minister ipse non est, pro ista designatione, competens nisi deficientibus aliis, sed absolute competentes sunt baptizandus, parentes, tutores, nec inter illos ordo

observandus est. Si inter se de persona dissentiant, praevalere videtur optio eius qui prius in Codice nominatur ut designans.

Actus legitimi ecclesiastici sunt actus variae rationis qui in foro ecclesiastico effectus iuridicos pariunt et aliquam commendationem personae supponunt vel tribuunt : ita administrare bona ecclesiastica, partes agere iudicis..., munus patrini agere, suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis, ius patronatus exercere. Numerantur c. 2256, § 2.

48. - « Ut autem quis licite patrinus admittatur, oportet : 1. decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur ; — 2. non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti ; — 3. fidei rudimenta noverit ; — 4. in nulla religione sit novicius vel professus, nisi necessitas urgeat et habeatur venia superioris saltem localis ; — 5. in sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia » (c. **766**).

Observes igitur licere ministro ut admittat minorem 14 annis, si iusta aliqua causa, puta difficultatem alium in familia inveniendi, id suadeat.

Cum sententia intercessit, excommunicati, exclusi ab actibus legitimis, infames infamia iuris *valide* munus suscipere nequeunt ; si mere fuerint notorii, patrini esse tantum *prohibentur*. Nec iam proprie, ut antea, excluduntur religiosi. Venia autem Ordinarii proprii necessaria est ut minister in sacris sit patrinus.

Itaque stricte non excluditur ipse baptizans, quamvis Codex personas esse distinctas supponat, et *S. C. P. F.*, 21 sept. 1843 (*Coll. P. F.*, I, 969) agens de munere patrini confirmationis, declaraverit id non esse tolerandum. Minus severe *S. R. C.*, 14 ian. 1873 (*Coll. auth.* n. 3305) iussit ut tunc per procuratorem, minister partes patrini ageret.

49. - Numerus patrinorum. Qui *sollemniter* baptizatur, *unum* saltem patrinum habere debet : non tamen ultra unum patrinum et unam matrinam (c. **762**, **764**).

Adhibere duos patrinos vel duas matrinas veniale est si sint eiusdem sexus ac susceptus ; si diversi sexus, S. Alphonsus, L. 6, n. 155, olim censebat id esse mortale, propter multiplicata matrimonii impedimenta. Sed cum hodie vis cognationis spiritualis valde restringatur, de mortali reatu constare non videtur.

50. - **Casus.** 1. *Absolute* non licet ut **catholici** patrinum agant, cum baptismus a ministello haeretico confertur. Cfr decl. *S. Officii* 10 maii 1770 (*Coll. P. F.*, I, n. 478, vel *Fontes*, IV, n. 828). Patrinus enim postulat baptismum ab eo cui baptizare non licet, et institutionem in haeresi exterius spondere videtur.

2. « **In dubio** utrum quis valide vel licite admitti possit necne, ad patrini munus, parochus, si tempus suppetat, consulat Ordinarium » (c. **767**). Secus, dubium patrinum potius arceat. Si sine serio incommodo id facere nequeat, adiungat alium certo idoneum.

3. « Etiam in **privato baptismo** patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur ; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis caerimoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem » (c. **762**, § 2).

Codex ita loquitur ut in medio linquat quaestionem utrum necne patrinus in baptismo privato cognationem contrahat.

4. Cum baptismus **iteratur sub condicione**, idem patrinus, si fieri possit, adhibeatur qui in priori baptismo forte adfuit; si nullus fuerit, vel idem haberi nequeat, patrinus non est necessarius (**c. 763**, § 1).

Iterato autem baptismo sub condicione, nec prioris nec posterioris baptismi patrinus contrahit spiritualem cognationem, nisi idem in utroque adhibitus fuerit (c. 763, § 2).

In solo enim posteriore casu, constat quempiam patrinum in valido baptismo fuisse.

51. - De spirituali cognatione. — « Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus » (**c. 768**).

Haec cognatio constituit impedimentum dirimens matrimonium; minoris tamen gradus, ut postea explicabitur.

Ante Codicem, cognationem contrahebant quoque, per modum compaternitatis cum parentibus baptizati, tam patrini quam baptizans.

In baptismo privato, *baptizans* ipse contrahit cognationem cum baptizato. De patrinis res non liquet.

Cum quis per procuratorem puerum levat, solus mandans, non procurator cognatione ligatur.

Caput V. - De tempore et loco baptismi conferendi

52. - I. De tempore. Qualibet die baptismus sive privatus sive sollemnis administrari potest (c. 771. 772).

« *Infantes* quam primum baptizentur; et parochi ac contionatores frequenter fideles de hac gravi eorum obligatione commoneant » (**c. 770**).

Ex natura rei, gravis est dilatio quae periculum moriendi sine baptismo inferat; et, attenta consuetudine et praescripto legis positivae, plures censent gravem esse dilationem quae, sine causa, ultra mensem, vel, cum causa, ultra duos menses protrahatur. Episcopus sane iubere potest ne baptismus ultra octo dies differatur.

Ipsi *adulti* per se, quam primum digne et commode fieri potest, baptizandi sunt, cum baptismus sit ianua Ecclesiae, et haec sit societas necessaria. Ob notabile tamen damnum etiam temporale, prudenter procrastinari poterit. Atque ipse **c. 772** suadet ut, « secundum antiquissimum Ecclesiae ritum », baptismus adultorum, si commode fieri possit, praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis, reservetur faciendus in pervigilio Paschatis et Pentecostes.

53. - De loco. 1. Baptismus *sollemnis* est, sub *gravi* praecepto, per se in ecclesia aut in adiacente baptisterio conferendus (**c. 773**). Quare, si propter distantiam aliave adiuncta, baptizandus nequeat sine gravi

incommodo aut periculo baptizari in ecclesia paroeciali, intra fines autem paroeciae, alia ecclesia vel aliud oratorium publicum habeatur magis vicinum, in hoc loco sacro baptismus est a parocho conferendus (c. 775). — Iudicium de incommodo spectat per se ad parochum (*N. R. Th.* 1926, p. 176) ; sed res plerumque amice componentur cum familia.

Baptismus *privatus*, urgente necessitate, quovis tempore et loco administrandus est » (c. 771).

Canone autem **774**, § 1, nunc statuitur ut, reprobata qualibet consuetudine vel lege contraria, immo revocato omni privilegio contrario, quaelibet parochialis ecclesia baptismalem fontem habeat, « salvo tamen legitimo iure cumulativo aliis ecclesiis iam quaesito », vel quod ex episcopali ordinatione deinceps acquisierint intra alicuius paroeciae fines.

Duo hic sedulo distinguenda videntur : ius *excludendi* fontem aliarum ecclesiarum sive omnium sive paroecialium, et ius *cumulandi* fontem cum aliis ecclesiis, propter specialem quandam devotionem vel similem causam. Ius exclusivum simpliciter suppressum est, revocato quoque privilegio quo concedebatur ; permanet autem ius cumulativum legitime exsistens, et conservatur etiam respectu ecclesiarum paroecialium noviter erectarum ; verum, in posterum iam non poterit consuetudine acquiri. Ecclesiae autem quae habebant ius exclusivum, istud ut cumulativum servabunt, salva obligatione c. c. 778 certiorem faciendi parochum domicilii. Sic respondit *Pont. Comm.* 12 nov. 1922 (*AAS.* XIV, 661 ; *Per.* XI, 152).

2. In domibus tamen privatis, baptismus *sollemnis* administrari potest filiis aut nepotibus « eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quotiens isti id rite poposcerint » ; et, ex iusta ac rationabili causa, in casu aliquo extraordinario, etiam aliis si loci Ordinarius id concedendum censuerit (c. 776).

Manifestum quoque est in regionibus missionum vel in locis ubi desunt ecclesiae, sollemnem baptismum extra ecclesiam administrari posse et deberi a competente ministro.

54. - N. B. Variae facultates quas n. 41. 48. 52 memoravimus ut factas iure Ordinariis, ab his, ex principiis generalibus, prudenter aliis *delegari possunt.* Pertinent enim ad eorum potestatem ordinariam.

Caput VI. - De collati baptismi annotatione et probatione

55. - I. Annotatio. « *Parochi* debent nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptismali libro sedulo et sine ulla mora referre » (c. 777, § 1).

Si filius fuerit illegitimus, *matris* nomen est inserendum, si publice

eius maternitas constet, vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat ; item nomen patris, dummodo ipse sponte sua a parocho vel scripto vel coram duobus testibus id requirat vel ex publico authentico documento sit notus ; in ceteris casibus, inscribatur natus tamquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum (c. 777, § 2 et *Rituale*, t. XII, c. 2).

Annotatio igitur a parocho facienda est etiamsi alius sacerdos baptismum ministraverit. Qualitatem enim ad publicam fidem de baptismo faciendam solus parochus habet. Si tamen alia manu res notatae et subscriptae fuerint, satis erit ut parochus subscripto nomine acta confirmet.

Ut monebamur t. 10, c. 3 antiqui Ritualis, vitanda tamen est omnis occasio infamiae. Iam vero, quando agitur de filiis adulterinis vel incestuosis, inscriptio facta petentibus parentibus qui non sint qua tales noti, facile locum infamiae dare potest : adulterinus declaratur qui mere naturalis putabatur ; inscriptio haec tunc omittenda videtur. Quando nati sunt ex matrimonio civili adulterino, inscriptio nullam addet infamiam, sed scandalosa esse potest. Quare parochus nihil faciat nisi consulto Ordinario (1).

Minister qui, absente parocho, quempiam baptizaverit, de collato baptismo quam primum proprium ratione domicilii parochum baptizati certiorem reddat (c. 778).

Si baptizatus domicilio careat, parochus quasi-domicilii, vel, si fuerit vagus, parochus loci baptismi certiorandus videtur.

56. - II. Baptismi probatio. Si nemini fiat praeiudicium, satis est, ad probandum baptismum, unus testis omni exceptione maior, vel ipsius baptizati iusiurandum, si in adulta aetate baptismum receperit (c. 779).

Itaque causae distinguendae sunt. Probatio quae nullius utilitatem laedit facile admittitur ; plenior, contra, requiritur, si alius personae interest rem factam non esse, ut si nullitas matrimonii inde pendeat.

---

(1) Cf. Resp. *Comm. I. C.*, 14 iul. 1922, ad VIII quo, in casibus particularibus, recurrendum dicitur ad *S. C. Concilii*. — AAS, 1922, XIV, 528. — *N. R. Th.*, 1923, 110. — *Per.*, XI, 170.

TITULUS II

DE CONFIRMATIONE

(cc. 780-800)

Scriptores : AUGUSTINE, O. S. B., in hos canones. — CAPPELLO, S. I., *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*, I, n. 193-220. — LEITNER, *Handbuch des kath. Kirchenrechts*, L. III, § 10. — NOLDIN-SCHMITT, S. I., *Summarium theol. mor.*, III, 84-97. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, q. 284-287. — VERMEERSCH, S. I., *Theol. mor.*², III, 261-277.

57. - Ordo Codicis. Post duos canones de materia et forma sacramenti confirmationis, Codex, quinque capitibus agit de confirmationis ministro, subiecto, tempore et loco ; de patrinis, de confirmationis annotatione et probatione. Dispositio haec dispositionem de baptismo satis imitatur. Deest tantum caput III, De ritibus et caerimoniis, de quibus satis dictum est in duobus prioribus canonibus ; inverso autem ordine prius agitur hic de tempore et loco, quam de patrinis, cum cognatio spiritualis, ex confirmatione orta, valde secundaria evaserit.

CANONES INTRODUCTORII

58. - Confirmatio definiri potest *Sacramentum Novae Legis quo, per unctionem chrismatis, sub praescripta verborum forma, in fronte baptizati ab idoneo ministro manu sua peractam, illi Spiritus Sanctus ad robur donatur* (cfr. **c. 780**).

59. - Materia remota essentialis est *chrisma*, balsamo et oleo olivarum confectum, et *consecratum ab episcopo*.

60. - Materia proxima est unctio in fronte per manum ministri competentis. Unctio igitur ipsa manu, non aliquo instrumento facienda est (**c. 781**, § 2). Et quidem in *formam crucis* facienda est. Id tamen minus constat esse essentiale.

Prima manuum protensio versus confirmandos, quae in sola Ecclesia latina adhibetur, non videtur essentialis ; ita ut *S. C. de Pr. F.*, 6 aug. 1840 (*Coll. P. F.* n. 905) negaverit repetendam esse condicionate confirmationem ubi haec protensio fuerat omissa.

Ex necessitate *praecepti*, unctio pollice dextro facienda est ; sed valeret etiamsi digito manus sinistrae fieret : subsistit enim vera manus impositio. Immo nec constat graviter peccari a ministro qui alio digito utatur, cum nihil probet pollicem ad hunc finem unctum esse, ac proin usum Ecclesiae in re gravi violari.

61. - Forma vera et necessaria in Ecclesia *latina* est : « Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii

et Spiritus Sancti ». Si essentialia putentur verba : « Signo te signo crucis », ipsa unctio in formam crucis erit essentialis. Sed magis verisimile est solam signationem confirmandi exprimendam esse ad valorem, ita ut dicere sufficiat : « Signo te chrismate salutis ». Et quia collatio gratiae Spiritus Sancti redditur per verba « chrismate salutis », distincta invocatio SS. Trinitatis non est nisi probabiliter essentialis.

Orientales, in ipsa unctione, dicunt tantum : « Signaculum doni Spiritus Sancti ». Verum ipsi unctioni praemittunt invocationem SS. Trinitatis fortasse essentialem et, nominata tertia Persona, iam certa quaedam SS. Trinitatis mentio habetur.

Caput I. - De ministro confirmationis

62. - Minister *ordinarius* validae confirmationis est solus et omnis *episcopus* : *extraordinarius* autem, ex facultate facta vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto, esse potest quivis *sacerdos*, ita ut sacerdos dici possit esse huius sacramenti minister remotus (cfr. **c. 782**, §§ 1. 2).

Codex duplicem rationem distinguit qua presbyter habilis fiat : *ius* et *indultum*, quia nunc ipso iure plures presbyteri : abbates nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici, idonei facti sunt.

Hac recepta facultate, presbyter nullam quidem iurisdictionem acquirit, sed perficitur eius potestas ordinis quam incompletam habet. Quod autem solus S. Pontifex et nullus alius episcopus necessarium istud complementum dare possit, videtur reservationi factae a S. Pontifice tribuendum esse. Cfr. LEHMKUHL, II, 133. 134.

Hanc facultatem obtinent omnes presbyteri *ritus orientalis*. In Ecclesia *latina*, ea facultate ipso iure donantur : S. R. E. Cardinales (c. 239, § 1, n. 23), abbas vel praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus Apostolicus; verum tres isti posteriores valide ea uti nequeunt nisi intra fines sui territorii, et durante munere tantum (**c. 782**, § 3).

Praeterea, « presbyter latini ritus, cui, *vi indulti*, haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi in indulto aliud expresse cautum fuerit » (c. 782, § 4).

Itaque facultas *ipso iure* data hac exceptione non circumscribitur.

Presbyteri vero orientalis ritus qui infantes sui ritus simul baptizant et confirmant, prohibentur confirmationem infantibus latini ritus conferre (c. 782, § 5). Estne confirmatio ista valida ? Potius affirmandum videtur. Cf. *Per.* XII, (11).

Dummodo autem indultum sit *locale*, presbyter latinus non solum valide, sed etiam licite extraneos confirmat, nisi ipsorum Ordinarii id expresse vetuerint (**c. 784**).

63. - In propria dioecesi, episcopus confirmationem etiam extraneis legitime administrat, nisi expressa proprii eorum Ordinarii prohibitio obstet ; in aliena vero dioecesi, suis subditis privatim ac sine baculo et mitra confirmationem ministrare permittitur. Ut sollemniter eam ministret, saltem rationabiliter praesumpta licentia Ordinarii loci opus habet (**c. 783**).

Ante Codicem, postulabant, et quidem sub gravi reatu, tacitum consensum proprii Ordinarii, ut alieni subditi legitime confirmarentur. Permittebant tamen ut consensus iste praesumeretur, tum quod ad eos qui ex aliena dioecesi accurrerent, tum quod ad ordinandum eum qui a suo episcopo dimissorias ad ordines recepisset.

64. - **Gravi obligatione** debet episcopus subditis suis id rite et rationabiliter petentibus sacramentum confirmationis ministrare, praesertim tempore visitationis dioecesis (**c. 785**, § 1). Idem est officium presbyteri qui privilegio apostolico munitus sit, erga illos in quorum favorem concessa est facultas (c. 785, § 2).

Immo debet Ordinarius qui per se ipsum confirmare prohibetur providere quantum fieri potest, ut, saltem intra quodlibet *quinquennium* hoc sacramentum suis subditis administretur (c. 785, § 3).

Quare, post Codicem graviter peccare arbitramur Ordinarium qui ultra quinquennium administrationem istam neglexerit, etsi olim ad octo vel decem annos dilationem gravem aestimarint.

De neglegentia episcopi metropolita R. Pontificem certiorem facere debet ex c. 785, § 4 et 274, 4°.

Caput II. - De subiecto confirmationis

65. - 1. Valide confirmantur omnes et soli baptizati, nondum confirmati.

2. Licite et fructuose confirmantur, ex baptizatis nondum confirmatis, *a*) *adulti* qui, in statu gratiae constituti, sufficienter instructi sunt (**c. 786**) ; — *b*) *perpetuo amentes.* Nec in iis qui compotes sui fuerunt opus est ut sacramentum istud antea petierint, quia in vitae christianae professione sufficiens voluntas istius sacramenti habetur. Satis ergo est ut amens sit in statu gratiae ; et in eo statu esse praesumitur, nisi contrarium saltem vehementer suadeatur ; — *c*) *infantes* in periculo mortis constituti, vel quibus id expedire ministro ob iustas et graves causas videtur (**c. 788**). Hae causae esse possunt, si diuturna absentia episcopi praevideatur, si timeatur ne infans moriatur ante aliam sacramenti occasionem.

Seclusis his causis, confirmationis administratio convenienter in Ecclesia latina differtur ad septimum circiter aetatis annum (c. 788),

ut sacramentum minus necessarium maiore reverentia et magis conscia ratione suscipiatur.

Verum id postulat dignitas istius sacramenti, ut de speciali istius sacramenti gratia i. e. fortitudinis, praecipue intrepidae confessionis fidei, confirmandi probe edoceantur. Quae erit occasio inculcandi christianis adulescentibus virilitatem istam nobilem, quae exteriores timores humanos despicit, interiores autem impugnationes tentationum fortior superat. Atque optandum est ut tantum sacramentum maiore pretio habeatur.

66. - Necessitas. Quamvis sacramentum confirmationis nullam habeat necessitatem medii, attamen, ex **c. 787**, « nemini licet, oblata occasione, illud neglegere » ; ita ut neglegentia ista, quae acediam quandam vel minorem aestimationem prodit, saltem venialiter culpanda sit. Praeterea, eodem canone, obligatio parochis imponitur curandi ut fideles ad illud opportuno tempore accedant (1).

In Ecclesia Orientali, infantes omnes hoc sacramento muniuntur. Quod de filiis catholicorum in Urbe quoque affirmari potest, cum mos sit ut episcopus quispiam morienti infanti advocetur ad illum confirmandum. Alibi vero, propter raritatem episcoporum, bene multi infantes moriuntur non confirmati.

Haec si quis consideret, nonne inaequalem istam puerorum condicionem dolere incipit, et in modum inquirere quo moraliter omnibus occasio fiat obtinendi in anima characterem illum novum qui per istud sacramentum in anima imprimitur ? Iam vero multo facilius hodie, ipso iure communi, communicatur presbyteris facultas confirmandi. Nonne possint in locis ubi pauci sunt episcopi, decanis vel archipresbyteris facultates concedi confirmandi pueros in mortis periculo positos ? De rei opportunitate iudicabunt qui auctoritate praestant ; eam tamen in votis habere nobis licebit (2).

3. *Ordinandi* quidem vel *prima tonsura initiandi* prius confirmari debent. Omissio tamen non putatur mortalis. Immo videtur ne episcopus quidem mortaliter peccare qui non confirmatum vel ipse non confirmatus ordinet. Cf. Suarez, *De Sacr.* I, d. 38, s. 1, fine.

67. - Commendatio praesentiae. Canone **789** monentur confirmandi qui plures sint ut primae manuum impositioni seu extensioni adsint, nec ante expletum ritum discedant.

Caput III. - De tempore, loco, caerimoniis et patrinis

68. - De tempore et loco. — 1. Quovis *tempore* Confirmatio ministrari potest ; maxime decet illam in hebdomada Pentecostes administrare (**c. 790**).

2. Proprius *locus* administrationis est ecclesia ; sed videtur etiam in oratorio semi-publico conferri posse, immo minister, ex causa quam

(1) Cf. *N. R. Th.*, 1922, 54.
(2) Cf. S. Thom., III P., q. 72 art. 8, ad 4.

iustam ac rationabilem iudicaverit, potest hoc sacramentum in quolibet alio decenti loco conferre (c. **791**). Atque episcopo licet in locis quoque exemptis suae dioecesis confirmationem administrare (c. **792**).

69. - De caerimoniis. — 1. Quando administratur *publice*, in ecclesia, administratio debet esse *sollemnis*, i. e. episcopus adhibere debet mitram, baculum et pluviale, seclusa gravi et urgente causa, ubi stola contentus esse poterit (1), ac mortale censent omnia ornamenta sacra omittere ; in administratione *privatim* facta, solam stolam adhibere ex qualibet iusta causa licebit.

2. Eodem modo se gerere debebunt presbyteri qui usum habent insignium pontificalium.

3. Alii vero presbyteri delegati pontificalibus vestimentis uti non possunt, sed stolam saltem et albam induere debent, *indultum* quo facultatem acceperunt populo vernacula lingua praelegere, et observare instr. *S. C. Pr. Fid.*, 4 maii 1774, quae reperitur in Append. *Ritualis Rom., De Confirmatione* vel in *Coll. P. F.*, I, n. 503.

4. Haec instructio non respicit eos qui ex c. 782, § 3 *ipso iure* potestatem confirmandi accipiunt, cum hi habeant usum pontificalium.

5. « Omissio *orationum* quae confirmationem praecedunt gravis habenda est », levis vero, omissio *alapae*.

70. - Patrinus sub gravi adhibendus est, si haberi possit (c. **793**). Si haberi nequit, confirmatio sine patrino fit licita.

Ut quis *valide* sit patrinus, oportet : « 1° sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi ; — 2° nulli haereticae aut schismaticae sectae sit ascriptus, nec ulla ex poenis de quibus in c. 765, n. 2 per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam notatus ; — 3° non sit pater, mater, coniux confirmandi ; — 4° a confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus ; — 5° confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat » (c. **795**).

Poenae de quibus in c. 765, n. 2, indicatae sunt n. 47, c.

Ob modum quo in enumeratione distinguuntur, confirmandus, parentes, tutores absolute competentes sunt ad designandum patrinum, nec ordo inter eos est ad valorem requisitus ; dum minister et parochus mere defectum supplere possunt.

4. Ut *licite* quis in patrinum assumatur, postulatur ut sit distinctus a patrino baptismi, nisi confirmatio statim legitime fiat post baptismum ; et eiusdem sexus ac confirmandus. Verum haec non requiruntur

(1) Cf. resp. *S. C. Pr. Fid.*, 22 mart. 1669 (*Coll. P. F.*, n. 178).

sub gravi, ita ut rationabilis causa, iudicio ministri, ab his condicionibus servandis excuset.

Ac praeterea reliqua observanda sunt quae de patrino baptismi praecipiuntur (Cf. **c. 796**).

Ante Codicem, regula generalis vetabat ne idem patrinus plures, eodem tempore, quam duos praesentaret, nisi aestimaret episcopus plures inveniri non posse. Cf. litt. *S. Off.* 26 nov. 1873 et 16 iun. 1884 (*Coll. P. F.*, II, 1408 et 1619 vel *Fontes*, IV, 1027. 1087). Codex idem statuit sed excusationem iustae causae admittit. Ex natura enim rei, officium patrini erga multos serio suscipi nequit. Aliunde tamen probandae rationes, etiam ordinis generalis, obstare possunt ne plures assumantur ; ut si patrini singulares cum confirmatis soleant modo parum convenienti festivam diem agere. Nec, attento modo valde temperato quo ipsa necessitas habendi patrini confirmationis imponitur, res gravis censetur.

Praecipit quoque Codex ut unus tantum singulis confirmandis patrinus assignetur et, nisi « aliud iusta de causa, ministro videatur », unum tantum confirmandum vel duos praesentet (**c. 794**).

In locis missionum ubi desint confirmati, responsum est a *S Congregatione de P. F.*, 4 maii 1774, ut non nulli confirmentur sine patrino, qui patrini fiant ceterorum (*Coll. P. F.*, I, 503, p. 310, § Ab hoc munere).

71. - Cognatio spiritualis. Inter patrinum et confirmatum oritur ex valida confirmatione cognatio spiritualis, ex qua patrinus confirmatum sibi perpetuo commendatum habere et, deficientibus parentibus, tutoribus, patrino baptismi, pro viribus eius christianam institutionem curare debet (**c. 797**). Verum cognatio ista nullum impedimentum matrimonii inducit (c. 1079).

72. - Annotationes praescriptae. 1. Confirmatio in ipso baptizatorum libro inscribenda est. — 2. In peculiari quoque libro nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, dies ac locus confirmationis a parocho notanda sunt (**c. 798**). Absentem parochum minister per se ipse vel per alium quam primum certiorem facere debet (**c. 799**). — 3. Quando nemini fit praeiudicium, collata confirmatio probatur ab uno teste qui omni exceptione sit maior, vel ipsius confirmati iureiurando, nisi in infantili aetate confirmatus fuerit (**c. 800**).

TITULUS III

DE SS. EUCHARISTIA
(c. 801-869)

Scriptores : Augustine, O. S. B., *A commentary*, t. IV, in hos canones. — Cappello, S. I., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, n. 548, ss. — Eichmann, *Lehrbuch*, etc. § 114. — Leitner, *Handbuch*, etc. IV, § 11 et 12.

73. - Memorato, in **c. 801**, triplici beneficio *praesentiae* suae, *sacrificii* sui, et *communionis* quo Christus in sanctissima eucharistia, sub speciebus panis et vini nos donat (1), Codex, in priore capite, de missae *sacrificio*, dein in altero de sanctissimo eucharistiae *sacramento* agit. Solebant quidem theologi morales ordine inverso argumentum eucharisticum explicare. Ordo tamen Codicis magis logicus videtur, cum in ipso sacrificio missae sacramentum conficiatur, et aptius per se sit causam ante effectum tractare. Itaque sit :

Caput I. - De sacrosancto Missae sacrificio

Art. I. - De sacerdote Missae sacrificium celebrante

74. - « Potestatem offerendi missae sacrificium habent soli sacerdotes » (**c. 802**). Antiquas haereses reprobans, Codex hic memorat ad solos sacerdotes, exclusis laicis et clericis inferioribus, pertinere ut possint offerre missam ea ratione qua, in ipsa ordinatione, neomystis dicitur : « Accipe potestatem offerre sacrificium Deo missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini. » (*Pontificale Romanum, De ordinatione presbyteri.*)

Vere enim aliquo sensu, ipsi fideles qui per suam praesentiam, ministrationem, solutionem stipendii, active sacrum participant, sunt etiam offerentes, quod ipse sacerdos celebrans, in formula offertorii et in orationibus, non semel testatur. Sed solus sacerdos deputatur ab Ecclesia minister publicus, ut ipsius nomine offerat sacrificium quod « dilectae suae sponsae » Christus reliquit ; et sic, ut repraesentans Ecclesiam offerentem, disponit de applicatione missae ; solus etiam, qua consecrationem peragens, est causa ministerialis solius Christi, qui principaliter operatur in sacramentis. (Cf. P. de la Taille, *De missa sacerdotis ab Ecclesia praepositi*, etc. Gregorianum, I, p. 190, 191, in primis notis.)

75. - De concelebratione. « Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeter quam in missa ordinationis presbyterorum, et in missa consecrationis episcoporum, secundum Pontificale Romanum » (**c. 803**).

In sacerdotali ordinatione, ordinati presbyteri, una cum episcopo, eandem hostiam, idem vinum consecrant ; in consecratione episcopali, consecrant simul duas hostias et unum calicem.

(1) « In sanctissima Eucharistia sub speciebus panis et vini ipsemet Christus Dominus continetur, offertur, sumitur ».

Quot autem sunt sacerdotes sic concelebrantes, tot sunt hic offerentes nomine Ecclesiae; et quia sacrificium non est ipsa victima seu res quae offertur, sed eius oblatio, re vera tot sunt missae quot sunt concelebrantes; ac nihil quoque impedit quin singuli concelebrantes stipendium recipiant. Cum agitur de missa ordinationis, haec tantum aliqualis difficultas obici potest : ab eo qui stipendium solvit exspectari missam consueto more ad altare celebratam. Cui rationi aliquam veritatis similitudinem inesse existimat BENEDICTUS XIV, *De sacrosancto missae sacrificio* L. 3, c. 16, n. 10.

Non modica confusio hanc quaestionem invasit, et, fortasse ob neglectam distinctionem concelebrationis, etiamnum usitatissimae, ministrorum cum sacerdote qui solus consecret, et concelebrationis plurium sacerdotum consecrantium, errore historico, ut generalis usus exhibitus est qui in Occidente potius proprius fuisse videtur litantis summi Pontificis. Cfr disput. R. P. HANSSENS, S. I., in *Periodica*, t. XVII, 106* ss.

In Ecclesia orientali persistit concelebrandi usus, quem in Ecclesia Occidentali sollemnioribus festis suo tempore adhuc Romae usurpatum esse testatur INNOCENTIUS III (1); sed in hac Ecclesia, a saec. XIII, paulatim cessasse videtur. Cfr HANSSENS, l. c., 125*. Usum obsoletum refert BENEDICTUS XIV, C. *Allatae*, 26 iul. 1755, § 38 ; et Codex nunc formalem prohibitionem edicit.

De modo quo concelebrantes unam consecrationem peragant, dicetur infra, ubi de ordinatione agetur.

76. - Admissio sacerdotis extranei. Haec ex c. 804 colligimus : 1. Sacerdos iste per se litteras commendatitias exhibere debet sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si sit religiosus, vel S. C. *pro Ecclesia Orientali*, si sit ritus orientalis. Oportet autem ut litterae istae sint authenticae et adhuc validae : i. e. ut ex sigillo apposito et aliis notis demonstrentur genuinae, et adhuc vigentes. Hac condicione impleta, Codex vult ut sacerdos admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet cur a missae celebratione repellendus sit : ut si suspensionem incurrerit, etc.

Itaque censuit legislator id ad fraternum commercium inter sacerdotes catholicae Ecclesiae pertinere, iisque propterea quoddam ius tribuit celebrandi in ecclesiis, servatis servandis, ac proin solvendo taxam si quam, in gratiam ecclesiae pauperis, episcopus definiverit.

Agitur autem in canone de celebratione accidentali, non de diuturna et habituali. Nullus enim ecclesiae rector sacerdotem qui modo stabili celebrare in ipsius ecclesia velit, admittere cogitur.

2. Deficientibus litteris, iam admitti *non debet. Poterit* tamen admitti sacerdos qui rectori sit notus ; immo etiam alius, semel vel bis, dummodo tunc, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat, quovis titulo percipiat, et nomen, officium, suamque dioecesim in peculiari libro signet.

3. Peculiares normae, salvis huius canonis praescriptis, ab Ordinario loci datae etiam a religiosis exemptis servandae sunt, « nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suae religionis » (c. 804, § 3).

Cum salva esse debeant praescripta huius canonis, peculiares episcopi normae

(1) *De sacro altaris mysterio*, IV, 25 (P. L. 217, c. 873).

tollere nequeunt ius admissionis, sicut isto canone definitur ; sed varia alia praecipere poterit, v. g. ut omnes extranei sua nomina signent. Cf. quoque CAPPELLO. *De sacramentis*, I, n. 738. 739.

77. - Obligatio celebrandi. Ipse ordo sacerdotalis, ex disciplina *praesente*, obligat sacerdotes omnes ut pluries per annum celebrent sacrum ; et curare debet episcopus vel Superior religiosus ut, saltem singulis dominicis et festis de praecepto, divinis operentur (**c. 805**).

Ex disciplina, inquam, praesente, quae opinione satis communi doctorum classicorum est inducta vel manifestata. Ac tenent esse obligationem gravem litandi ter quaterve per annum.

Secluso autem iure positivo, licebit cum S. BONAVENTURA, 4 S. d. 12, p. 2, art. 2, q. 1 ; SUAREZ, *Euch.* d. 80, s. 1 : LUGO, *Euch.* d. 20, n. 2 ; D'ANN., III, 163 (10) ; BALL. PALM., IV, 1005. 1006, efficaciam negare demonstrationis qua S. TH., 3 P. q. 82, art. 10 ; VASQUEZ, d. 232, c. 1 ; LAYMANN, L. 5, tr. 5, c. 3, n. 1 ; S. ALPH., L. 6. n. 313, volunt ex iure naturali vel divino obligationem istam repetere. In tanto enim numero sacerdotum, completa abstinentia quorundam non tollit in Ecclesia Dei eum numerum missarum qui Deo debite colendo et impetrandis gratiis par sit ; appellatus locus 2 Cor. 6, 1 : « Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis », non est ad rem, cum agat de vocatione ad fidem et ad salutem, nec verba praeceptum sonent. Praeterea S. Hieronymus numquam missam celebravit, nec solus ipse celebratione abstinebat ; S. Ignatius per integrum primum annum celebrationem omisit. Verum, ut patet, hodie commendandus valde est pius usus cotidianae celebrationis, qua etiam virtus sacerdotis protegitur.

78. - Missarum numerus. Excepto die Nativitatis Dominicae et commemoratione omnium fidelium defunctorum, quibus ter litari omnibus facultas est, non licet sacerdoti plures in eadem die celebrare missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario (**c. 806. § 1**).

Ex iure communi, Ordinarius non potest eidem sacerdoti nisi duas missas eadem die permittere ; idque solum in die festo de praecepto, et quia iudicat notabilem fidelium partem non posse, propter penuriam sacerdotum, missae astare.

Formalis et omnimoda prohibitio plurium missarum, nondum videtur saec. XI, exstitisse. Cf. Decr. Gratiani, *Cons.* D. I, c. 53.

Facultas in *die Nativitatis Domini* nulla condicione circumscribitur. Facto enim verbo cum Sanctissimo, 26 ian. 1920, *S. R. C.* contra atque 11 apr. 1844 in Barcinonen. ad 3 (*Decr. auth.* n. 2802) responderat, declaravit licere sacerdoti qui, ob debilitatem visus aliamve iustam causam, ex indulto apostolico, cotidianam missam votivam aut defunctorum celebrat, ut eandem prorsus missam ter dicat. Eandem intellegimus, vel votivam cui assuetus est, vel etiam, ex mente legislatoris, unam ex tribus pro illa die assignatis (AAS, XII, 1920, 122 ; *Per.* X, 213). Qui vero *unam tantum missam* celebrare velit, sumere debet missam quae horae celebrationis *respondeat* : i. e. in nocte primam, in aurora alteram, in die tertiam (*S. R. C.* 19 iun. 1875, n. 3354 ; 13 febr. 1882, n. 3767 ad 21). Qui *duas* tantum legere maluerit, quod ipsi integrum est (*S. R. C.* 19 iun. 1875, n. 3355), si eas separet, observet *horam* celebrationis, si unam dicat in nocte, alteram in aurora vel die. Si ambas dicat in die, alterutram duarum priorum omittere posse videtur.

In die autem *Commemorationis omnium defunctorum*, una e tribus missis gratis applicari debet in suffragium omnium fidelium defunctorum, altera gratis

St. Albert's College Library

quoque, ad mentem S. Pontificis; tertia pro stipendio ad arbitrium sacerdotis dici potest. Libera autem optio fit sacerdoti eligendi quamnam e tribus missis dicat pro stipendio, quamnam ad mentem S. Pontificis vel pro omnibus defunctis; sed non potest ambas istas intentiones in aliam diem differre, recepto triplici stipendio in ipsa die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. (Cf. S. C. *Concilii* 15 oct. 1915 ad 1 et ad 4, AAS, VII, 1915, 479. 480; *Per.* VIII, 108). Eodem responso ad 3, *S. C. C.* prohibuerat quoque ne quidquam pro his missis titulo etiam extrinseco reciperetur. Quaestio inde exorta est utrum necne peculiare istud vetitum post Codicem vigeret. Atque adhuc vigere, in 1a editione, cum pluribus aliis existimavimus. Verum 13 dec. 1923, Em. Cardinalis Praefectus Pontif. Commissionis authentice declaravit severitatem istam sublatam esse per c. 824, § 2, quo retributio ex titulo extrinseco sine exceptione admittitur (AAS, XVI, 1924, 116; *Per.* XIII, 81). Qui vero unam tantum missam celebrat, primam, quae propria est diei, celebrare debet; qui duas tantum legit, ad primam addat eam quae secundo loco praescripta est. Semper autem integrum est pro una missa stipendium accipere; et qui duas tantum legit, alteram ex duabus pro omnibus fidelibus defunctis applicare debet, ita ut ad mentem S. Pontificis tunc solum litandum sit, cum tres missae celebrantur (cf. resp. *S. R. C.* 28 febr. 1917; AAS, IX, 1917, 186, 187; *Per.* VIII, 266).

Praeterea, qui ex indulto S. Sedis missam votivam vel pro defunctis cotidie legere permittitur, ter eandem missam dicere nunc potest ex supra relato responso 26 ian. 1920 (AAS, XII, 1920, 122; *Per.* X, 213). Specialia iura quarundam regionum cf. Ferreres, II, 487.

Quod *ad potestatem Ordinarii* loci: dies festus de praecepto intellegitur dies festus quo populus re vera missam audire debet (Gen., II, 239; Noldin-Schmitt, III, 208); *notabilis pars* fidelium supponit saltem viginti personas (d'Ann., III, 305 (55)). Consuetudo tamen centenaria plus permittere potest, si Ordinarius iudicet eam prudenter tolli non posse (c. 5) (Cf. Simenon, *Rev. eccl. de Liége*, 1923, p. 263).

Necessitas ista populi potissimum habetur, quando unus sacerdos duas parochias distantes administrat, nec alter est qui in altero loco celebret; vel etiam quando, ob causas varias, populus nequit moraliter totus ad unicam missam convenire (causae istae frequenter occurrunt).

Facultas ista binandi propter populi necessitatem, *realis* est, ita ut quicumque sacerdos vices agat eius cui facta est ea uti possit. Ac cessat cum necessitate. Quare, adveniente forte alio sacerdote qui missam hora populi consueta dicere velit, facultas binandi reipsa aufertur. In casu autem improvisae necessitatis, ut si alter duorum sacerdotum qui in paroecia celebrare solent subito aegrotaverit, nec alius sufficí possit, sacerdos qui superest, modo sit ieiunus, licentiam Ordinarii praesumere potest (Noldin-Schmitt, III, 208).

Indulta S. Sedis conceduntur ut diebus non praeceptis sed magnae devotionis populus universus missam audire possit, ut in regione ubi rara est occasio missae omnes transeuntis sacerdotis occasione uti possint. Benigniora indulta interdum quibusdam piis communitatibus concessa sunt. Propter causas extraordinarias, ut in recenti bello, vel in regionibus mexicanis, tres missae permissae sunt.

Ante Codicem, complures episcopi quinquennales facultates obtinere solebant quibus, praeter alia plura, binationem propter alias causas ac necessitatem populi qui secus praecepto audiendae missae satisfacere non poterat, concedere permittebantur. Verum indulta ista restituta non sunt. Immo de facultate permittendi binationem omnino tacetur in novis formulis amplarum facultatum quas *S. C. P. F.* Vicariis et Praefectis Apostolicis largiri solet.

In *extraordinaria necessitate* celebrandi ut infirmus, in imminente

mortis periculo constitutus, *viatico* refici possit, plures auctores binationem concedunt.

79. - 1. **Dispositio corporis.** Proprio celebrationis praecepto, i. e. distincto a praecepto ieiunii pro communione eucharistica, sacerdos celebrare *ieiunus* iubetur (c. 808). Quare dispensatio ab hoc ieiunio supremae C. *S. Officii* reservatur (c. 247, § 5). Naturalis ieiunii ratio infra, ubi de s. communione, explicabitur.

Nequit ergo dici cum Suarez, *Sacr.* 1 p. d. 82, et Lugo, *de Euch.*, d. 15, n. 69, non plus esse celebrare quam communicare absque ieiunio, et dispensatum ad communicandum post sumptum cibum, dispensatum esse ad celebrandum eodem modo.

Ipsa tamen severa lex celebrandi servato a media nocte ieiunio naturali quasdam admittit exceptiones : *a*) propter *divinum* praeceptum quod magis urgeat. Quare ad *integrandum sacrificium* procul dubio ieiunium posthaberi potest et debet. Casus potissimum occurret, si nullus reperiatur sacerdos ieiunus qui complere possit sacrificium alius sacerdotis qui post consecrationem, saltem unius speciei, morbo correptus fuerit ; vel si pro vino aquam vel oleum adhibuit, et hoc, sumpta parte aquae vel olei, advertat ; vel si, post sumptam ablutionem, reperiat hostiam consecratam vel fragmenta consecrata quae decenter servari usque ad alterum sacrum non possint. Et qui post consecrationem recordatur se non esse ieiunum, ipse non ieiunus sacrificium perficere debet ; — *b*) ad *ministrandum viaticum* alicui qui divino viatici praecepto nondum satisfecit, plures quoque permittunt celebrationem a sacerdote non ieiuno si viaticum prudenter differri nequeat ; — *c*) ut *scandalum* vitetur, si sacerdos sacrum quod inadvertenter inchoavit non ieiunus, abrumpere ante consecrationem nequeat sine periculo scandali vel infamiae. Immo, fieri potest ut parochus die dominica sacrum sine nota omittere nequeat. Et tunc haec altera ratio facile concurret, plures futuros esse qui, quamvis id possint et debeant, non se conferant ad vicinam ecclesiam ut praecepto satisfaciant. Die tamen 2 dec. 1874 (*Coll. P. F.*, II, n. 1425) *S. Officium* negavit umquam sufficere posse scandalum vel mirationem populi, ut *secunda missa* a sacerdote non ieiuno celebraretur. Sed hoc scandalum arbitramur accipiendum esse de ipsa populi admiratione, non de communi populi peccato ; — *d*) *per epikeiam* non pauci concedunt ut neosacerdos qui, distractus, clam ieiunium violaverit, si concurrant adiuncta gravissimorum incommodorum, primitias celebrare possit.

Numquam autem consulto aliquid sumere cum intentione postea celebrandi fas est sine *licentia* data a *S. Officio*, — ad quod per Ordinarium est recurrendum ; — vel ex licentia data ab episcopo vel quasi-

episcopo (non sufficit Vicarius generalis) in casu urgentiori, in quo tempestive ad S. Sedem recurri nequeat; vel ex licentia obtenta ab Ordinario loci, si is generalem facultatem a S. Officio obtinuerit. Verum licentia ista vel dispensatio iis solis sacerdotibus ab episcopo vel quasi-episcopo dari poterit qui, *propter populum*, vel missam iterare, vel eam tardiore hora celebrare debeant, et qui *simul*, sine gravi damno legem ieiunii eucharistici servare non possint. Grave damnum ex infirma valetudine, vel ex nimio s. ministerii labore, vel ex alia rationabili causa, v. g. ex distantia superanda, ex molestia itineris faciendi oriri potest. Solus cibus liquidus, excluso quoque omni potu inebriante, permitti potest. Omne etiam scandalum removeri debet. Scandalum possit esse fidelium qui, si usus publicus fiat, vel ipsam legem de ieiunio eucharistico, vel ipsos sacerdotes minoris habere coeperint. Atque omnis offensio piorum vitanda est. De dispensatione data in urgentiore casu S. Sedes quam primum certior est facienda. — Demum, si vere in aliquo casu missa populo necessaria celebrari non possit nisi sacerdos aliquid cibi liquidi sumpserit, nec copia fuerit recurrendi ad episcopum, non videtur damnandus qui utatur epikeia.

Spes obtinendi, *ob publicam causam*, dispensationes pro sacerdotibus, vel facultates habituales pro ipsis episcopis, data est litt. *Optime novit*, *Supremae Congr.* 22 mart. 1923. Verum hactenus S. Officium valde circumspecta ratione, pro sola binatione quae in loco dissito ab ecclesia parochiali ubi prius celebratum erat, peragenda sit, ac solum in gratiam sacerdotum qui curam animarum habeant, Ordinariis locorum habitualem dispensandi facultatem concessit. Cf. *Per.* XII, 29-32; et (123), ubi egimus de litteris *Optime novit* (AAS, XV, 1923, 151).

2. Dispositio animae. Sacerdos *conscius peccati mortalis* sine praemissa confessione sacramentali celebrare vetatur. « Si, deficiente copia confessarii et urgente necessitate, elicito tamen perfectae contritionis actu, celebraverit, quam primum confiteatur » (c. 807).

Praecepto hoc Tridentini Concilii, s. 13, c. 7 et can. 11, ubi contrarium docentes excommunicantur, Ecclesia definivit probationem quae ex Apostolo I Cor. 11, 28, est necessaria: sive sit mera declaratio iuris divini positivi, quod multi cum SUAREZ, *De Sacr.* I, d. 66, s. 3, Dico 3, tenent esse magis probabile, sive sit lex ecclesiastica, sicut alii opinari videntur.

Conscius non est peccati mortalis qui, in antecedente confessione, mortale peccatum, sine culpa sua non accusavit, nec qui serio dubitat de commissa culpa gravi. Hi ergo praecepto confessionis non tenentur. Debetne autem actum contritionis elicere vel conari qui prudenter timet ne sit extra statum gratiae? Id summopere commendandum est; auctoritas tamen eorum qui existimant probabilem dispositionem sufficere, non permittit ut strictam obligationem urgeamus Cf. d'ANN., III, 249 (7).

Saepe circumstantiae moralem afferent certitudinem gratiae vel peccati. Quare nimis timoratus dehortandus erit a confessione, quae efficaci monitione vel adeo iniunctione sacerdoti laxioris conscientiae imponenda est.

Tria autem requiruntur ut qui conscius sit peccati gravis, sine confessione celebret : *urgens necessitas* celebrandi, *inopia* confessarii, actus *perfectae contritionis.*

1. *Urgentem necessitatem* non praebet per se privatio stipendii, sed periculum mortis, necessitas consecrandi hostiam pro morituro, vitanda nota vel infamia, necessitas celebrandi ut die festo populus interesse sacro possit, aut, *pro parocho*, celebratio ex officio, qua fieri potest ut etiam singulis diebus teneatur.

2. *Confessarius deesse* censetur, non si absit cui sacerdos solet et cuperet confiteri, vel cui devotius aut utilius confiteretur, sed *a*) si nullus sit praesens et, spectatis adiunctis personae debilis, senioris, negotiis distentae, vel viarum, caeli, et brevis temporis, absens sine magna difficultate adiri nequeat. Talis esse potest temporis angustia ut ne sacerdos quidem qui quinquaginta passibus a celebraturo separatur praesto esse censeatur. Olim existimabant incommodum sufficiens per se haberi superanda distantia leucae unius vel unius cum dimidia. Nunc ipsa facilitas ex via ferrea fortasse orta attendenda est. LEHMK., II. 206 ;—*b*) si nullus adsit nisi *ignarus* idiomatis vel *carens iurisdictione*, aut excommunicatus vitandus, vel cui non possis confiteri sine gravi *damno* tuo vel alieno. Casus de confessario qui iurisdictione in reservata careat nunc iam non ponitur, cum, ut postea explicabitur, in ea necessitate possit quivis confessarius a reservatis directe (sed interdum cum onere recurrendi ad Superiorem) absolvere. — Si angustia temporis non permittat confessionem completam, alii, ut D'ANN., III, 408, obligant sacerdotem ut accuset quae possit : alii vero, ac merito, dubitant de ista obligatione confessionis dimidiatae, saltem si sacerdos potest se existimare contritum. Sic LEHMK., II, 206.

Solo *incommodo* quod confessioni *extrinsecum* sit, sacerdos obligatione confessionis sacro praeponendae excusatur. Quare nec infamia quam patitur paenitens ipse vel eius religio apud confessarium, obligationem tollit : damnum enim famae obligationem confitendi consequitur per se, nec magnum est propter sanctitatem sigilli. Adiuncta tamen peculiaria familiaritatis, venerationis qua senex honoratur a iuvene cooperatore, damnum istud facere possunt extraordinarium, ac talem verecundiam parere quae moraliter invincibilis sit.

Quare excusant tunc non nulli sacerdotem qui in necessitate celebret cum contritione perfecta et animo confitendi quam primum alius confessarii copiam habiturus sit.

3. A confessione excusatus, *contritionem* neglegere numquam potest. Ac LEHMK., II, 207 ; BALL.-PALM., IV, 916, ex mente S. Alph. respondent contritionem saltem existimatam omnibus praesto esse. Namque actus caritatis non est difficilis putandus, et qui vere peccato renuntiat gratiae contritionis perfectae facile obtemperat.

Sacerdoti qui, omissa confessione per se necessaria, sacrum celebra-

verit, *novo praecepto* adigitur *quam primum* confitendi. *Quam primum*, i. e. intra duos vel tres dies, ac proin non neglecta confessionis occasione, si qua unica intra triduum praevideatur futura. Ac manifestum est confessionem ante alterum sacrum instituendam esse, nisi eadem necessitas celebrandi et eadem confessarii inopia perseverent.

Praeceptum istud imponitur sacerdoti qui a confessione legitime excusabatur, non autem ei qui sacrilege celebraverit : hunc lex sine utilitate novo sacrilegio gravaret ; neque probabiliter eum obligat qui tantum post consecrationem status peccati meminit, cum is ignoratione seu inadvertentia potius quam necessitate excusetur. Immo D'ANN., III, 409 admittit quod LUGO, d. 14, n. 146 sat verisimile existimabat, a speciali praecepto confessionis excusari eum qui, vix post inceptam missam, letale recordetur vel admiserit : hi appellant rubricam missalis, *De defectibus*, 8, 4, quae ei qui in ipsa celebratione recordetur se esse mortali inquinatum, id solum praecipit : « conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi ».

80. - Applicationis auctor et subiectum. I. Applicationis *auctor*. Solus *sacerdos offerens* missam valide, per suam intentionem, applicat, nec in cuiuspiam Superioris potestate est, applicationem istam efficaciter mutare vel impedire : est enim actus potestatis sacerdotalis, cuius valor ex charactere pendet.

II. *Subiectum cui*. 1. Capax. Prorsus incapaces sunt *damnati*. — *Beatis* impetrari possunt cultus et honores externi ; et iam ipsis in honorem cedit, ut ob dona quae Deus ipsis elargitus est grates Deo referamus.

Suntne *reliqui omnes* capaces : id, ante Codicem, non erat extra controversiam. Plures v. g. R. P. BILLOT, *De Euch.*, th. LV, negabant directam applicationem missae ut operis operati licite vel valide fieri posse iis viventibus qui sunt extra Ecclesiam, cuius sacrificium N. L. est bonum proprium (1). Iidem tamen concedebant sacrificium pro prosperitate et pace Ecclesiae indirecte in conversionem infidelium et haereticorum redundare, quibus, ceterum, Ecclesia suam impetrationem applicare potest. Nihilo minus plerique admittebant fructum *impetrationis* ab omnibus viatoribus et animis purgatorii participari posse et de solo fructu *satisfactionis* dubitabant essentne annon capaces non baptizati. Cf. LEHMK., II, 242. Sacrificium tamen crucis pro omnibus oblatum est, et missa non est nisi istud sacrificium continuatum seu renovatum. Quare c. 809 benigniorem sententiam

---

(1) Idem tamen P. BILLOT, l. c., existimabat missam omnibus etiam non baptizatis qui sint in purgatorio prodesse posse, cum ibi, suppressa distinctione animae et visibilis corporis Ecclesiae, sint omnes simpliciter de mystico corpore Christi.

Cum minime repugnet ut societas extraneos participes efficiat quorundam bonorum suorum, non ideo quod missae sacrificium sit bonum proprium Ecclesiae, sequitur extraneos eius beneficio frui non posse, id permittente Ecclesia.

secutus est, et missam omnibus viatoribus et animis purgatorii prodesse tacite admittit, cum pro omnibus illud offerre permittat.

2. Subiectum cui licitum. — Principium est : Pro omni subiecto capaci, quod Ecclesia non excludit, licet offerre sacrificium. Iam vero, novo suo iure, Ecclesia c. 809 nec infideles nec acatholicos excludit ; a *publica* tamen applicatione excludit *excommunicatum* : pro quo igitur privatim tantum ac remoto scandalo, missam applicare licet ; *vitandum* autem simpliciter excludit, ita ut pro sola eius *conversione* missam offerri sinat (c. 2262, § 2). Quare etiam post mortem suffragiis privatur. — Nihil autem obstat quin *sollemnia* fiant pro *catechumeno*.

Privatim fit applicatio, quando publica pronuntiatio omittitur et nomen eius pro quo celebratur in missa non exprimitur.

Scandalum hic *removendum* est potissimum offensio fidelium qui, in certis adiunctis, conscii facti celebrationis, eam cupidini lucri vel cuidam « indifferentismo » ascriberent.

Post c. 809, praetermitti iam possunt variae distinctiones inter haereticos et infideles, quibus, nixi non nullis particularibus SS. CC. responsis, uti solebant scriptores, ita ut severius de haereticis et schismaticis quam de infidelibus dicerent. Publica vero celebratio, etiam pro principe qui in haeresi defunctus sit, omnino prohibetur. (Cf. brevia Gregorii XVI, 16 febr. et 9 iul. 1842 ad episcopum Augustanum et abbatem monasterii Schyrensis O. S. B. *Acta Greg.* XVI, III, n. 137 et n. 165.) Cum autem regnare incipit, sollemnis functio pro regni prosperitate adornari potest.

Hactenus dicta valent de fructu missae ex opere operato. Nihil autem prohibet sacerdotem et fideles quin celebrationem vel participationem suam missae tamquam suum opus bonum offerant pro quolibet vivo vel defuncto qui ex natura rei non excluditur.

Secluso scandalo et omni superstitione, stipendium practice recipi potest ab omnibus pro quibus licet offerre missam.

81. - Missa dicenda est post piam praeparationem et cum devota gratiarum actione (c. 810). Ut huic congruum tempus, quartam saltem horae partem, tribuas, suadent doctores, suadent fructus copiosissimi ex hac devotione colligendi.

In ipso Missali proponitur « praeparatio ad missam, pro *opportunitate* sacerdotis facienda », additur autem gratiarum actio quae, quatenus constat antiphona « Trium puerorum », cantico « Benedicite », psalmo « Laudate Dominum », paucis versiculis cum tribus orationibus, ad rubricam *praeceptivam* pertinet. Non constat tamen rubricas istas obligare sub peccato. Verum valde laudabile est ut sacerdos praeparationem saltem ex parte faciat qualis in missali indicatur ; praeceptam autem gratiarum actionem memoriter addiscat, cum recitanda sit dum ab altari receditur et vestes exuuntur.

82. - **Assistentia, ministratio.** Missa dicenda est sine presbytero assistente, nisi celebrans usu pontificalium fruatur (c. 812), vel id fiat prudentiae causa, v. g. ad iuvandum caecutientem aut caecum, aut neomystam, vel ad celebrandum in mari, — sed cum uno ministro *inserviente* et *respondente* masculini sexus. « Minister missae inserviens

ne sit mulier, nisi deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut mulier de longinquo respondeat, nec ullo pacto ad altare accedat » (c. 813).

Sub mortali requiritur minister, et prohibetur ministratio feminae ad ipsum altare. Hae causae iam pridem numerabantur ut sufficientes cur celebraret sine ministro qui aliter non posset : viaticum praeceptum dandum periculose aegrotanti; assistentia missae praecepta diebus festivis, sive populo sive ipsi celebranti ; continuatio inceptae missae si inserviens abierit et aliquantulum exspectatus non redierit. Hodie attendendum est ad crescentem, in quibusdam regionibus, difficultatem obtinendi ministrum ; nec praetereundum est celebrationem esse stimulum fervoris et puritatis.

Minor causa sinit adhibere ministrum qui nesciat respondere, aut deficiente ministro, admittere feminam, praesertim monialem vel sororem, quae de longinquo respondeat, dum sacerdos cetera solus peragit. Eam sine iusta causa admittere non excedit veniale ; deficiente vero ministro, licet ex sola devotione. (D'ANN., III, 401).

Rescriptum celebrandi sine ministro, tum per *S. C. Rituum* tum per *S. C. de Sacramentis*, vel, si petat religiosus, per *S. C. de Religiosis* impetratur.

Celebrans sine ministro, semel tantum dicit *Confiteor* ; respondet *Misereatur nostri* (non vestri), et, post *Orate Fratres* : *Suscipiat... de manibus meis* (non tuis).

Catechumenus minister esse non potest, cum minister sacrificium offerat et populum christianum repraesentet.

Ordinarii arbitrio commissum est ut, remotis incommodis, sinat populum coniunctim recitare partes *non secretas* missae. Cf. *S. R. C.* 4 aug. 1922 (AAS., XIV, 505 ; *Per.* XI, 154).

88. - Vestes. Missa dicenda est in vestitu praescripto. — Ipse c. 811, § 1, postulat ut missam celebraturus vestem convenientem deferat quae ad talos pertingat, praeter praescripta ornamenta sacra ; § 2 iubet ut sacerdos abstineat pileolo et anulo, nisi sit S. R. E. Cardinalis, episcopus vel abbas benedictus, aut apostolico indulto id ei permittatur.

Itaque, 1. De *vestibus praescriptis*. Sunt autem : *amictus* et *alba*, quae debent esse ex lino vel cannabe, minime autem ex gossypio vel tela composita ex lino et gossypio ; *cingulum*, quod, non tamen reprobata alia materia, magis convenienter ex lino vel cannabe conficitur ; *manipulum*, *stola*, *casula*, quae non possunt ex toto esse talis materiae unde vestes communes fiunt, sed saltem fila serica superimponenda sunt. Praeferenda est materia serica aut pretiosa ; admittitur tamen subserica vel tramoserica. Prorsus excluditur materia vilis ; et etiam textura vitrea, ne fragmenta decidant in corporale et sacrum calicem et deia a sacerdote, non sine periculo suo, sumantur. Cf. LEHMK., II, 316. Extremae partes amictus, albae ornari possunt textu denticulato, varias figuras reddente ; ac, pro diebus sollemnioribus, admittitur alba quae a cingulo deorsum fimbriis seu reticulo ornata sit.

Inconsulta S. Sede, nihil in forma paramentorum mutari potest, nec proin adhiberi paramenta formae gothicae. Cf. *S. R. C.* 9 dec. 1925 (AAS. XVIII, 58 vel *Per.* XV, 58 ss.).

Casulae *color* sub veniali praescriptus videtur. Per accidens, ex scandalo, ut si in magna sollemnitate nigro utaris, vel ex gravi violata episcopi praescriptione, mortaliter in hac re peccari poterit. Nec *flavus* color, nec *caeruleus* (sine privilegio) admittuntur. *Rosaceus* in sola tertia dominica Adventus et feriis insequentis hebdomadae, et quarta dominica Quadragesimae permittitur. *Aureus* pro albo, viridi et rubro (non pro violaceo vel nigro) adhiberi potest. Non potest una casula,

quae varios referat colores, plurium vices explere, sed colore dominante usus circumscribendus est. Episcopus tamen usum casularum multicolorum ecclesiis pauperibus permittere potest, donec istae casulae consumantur. Varius cingulorum color non prohibetur.

Sacerdos debet quoque esse calceatus, ac per se adhibendi sunt calcei quibus probi sacerdotes communiter utuntur (*S. R. C.*, 31 aug. 1872 ad III. *Decr. auth.*, n. 3268) ; sufficere tamen crepidas, testatur S. ALPH., L. 6. n. 402, secundum communem sententiam.

Cf. de *Amictu* : Decr. gen. 15 maii 1819 (*Decr. auth.* n. 2600).

De *alba* : resp. 26 nov. 1618 ad 9 (n. 1619) ; Decretum generale 15 maii 1819 (n. 2600) ; resp. 12 iul. 1892 ad V, 24 nov. 1899 ad 7, 25 maii 1906 (n. 3789. 4048. 4186) ; 16 iun. 1893 ad 12 (n. 3804).

De *manipulo*, *stola* et *planeta* (seu *casula*), *a*) pro *materia ex qua* : resp. 23 sept. 1837, Dub. V, 3, (n. 2769) ; 11 sept. 1847 (n. 2949) ; 23 mart. 1882 (n. 3543) ; 2 iun. 1883 ad XV (n. 3576) ; 30 maii 1885 (n. 3628) ; 23 iun. 1892, ad 1. 2. 3 (n. 3779) ; 21 apr. 1893 (n. 3796) ; 4 aug. 1905 (n. 4165 ad 5) ; 24 nov. 1905 (n. 4174).

b) *Pro colore* : 19 dec. 1829 (n. 2675) ; 12 nov. 1831 ad 50 (n. 2682) ; 16 mart. 1833, ad 4 (n. 2704) ; 23 sept. 1837, Dub. V, 1. 2 (n. 2769) ; 23 feb. 1839, ad 2 (n. 2788) ; 26 mart. 1859 (n. 3082) ; 5 dec. 1868, ad IV (n. 3191) ; 20 nov. 1885, ad 2 (n. 3646) ; 23 iun. 1892, ad III (n. 3779).

De cingulo : resp. 22 ian. 1701, ad 7 (n. 2067) ; 8 iun. 1709, ad 3 (n. 2194) ; 23 dec. 1862 (n. 3118) ; 24 nov. 1899, ad VI (n. 4048).

Mortale est litari sine ulla veste sacra, vel omittere *simul* manipulum et stolam. Defectus albae vel casulae tantus est, ut vix, et ne vix quidem, omitti possint ad viaticum conficiendum et ministrandum. Gravis autem necessitas, ut viatici deferendi, vitandi scandalum populi qui die festo missam exspectet, ab aliis vestibus ferendis, etiam quae sub gravi praecipiuntur, excusabit. Rationabilis causa, ut ipse fervor devotionis, excusabit defectum per se venialem.

Aeque illicitum est celebrare sine vestibus sacris et sine vestibus benedictis, cum per benedictionem sacrae fiant. Attamen, gravis causa ex modo indicatis, videtur permittere ut albam et casulam induas non benedictas, cum nulla exterior irreverentia appareat. Cf. BALL.-PALM. IV, 1083, 1084.

2. De *vestibus prohibitis.* Inter missam, usus *pileoli* rubri Cardinalibus, violacei episcopis et abbatibus seu praelatis *nullius* nunc ipso c. 811, § 2 coll. cum 325, permittitur ; unus pileoli nigri omni abbati benedicto (c. 811, § 2). Iidem anulo uti possunt. Aliis usus pileoli per totam missam sub gravi prohibetur; sub levi, si istud auferas a canone ad communionem. Quare, ex repentina et non permanente causa infirmitatis, etc. cooperto capite (excepto canone usque ad communionem) celebrare, non erit illicitum etiam sine indulto apostolico. Cf. BEN. XIV, *De sacrif. missae*, L. 1, c. 9, n. 3. Immo in loco privato, vel etiam in loco publico, si ratio astantibus sit manifesta, S. ALPH., L. 6. n. 397, probabile existimat id ex rationabili causa permanente, simpliciter licere. Quod etiam post Codicem dici potest, cum necessitas indulti apostolici praecepto Urbani VIII in Missali apposito sit inducta, et canones qui ius vetus ex integro referunt ex receptis apud probatos auctores interpretationibus aestimandi sint (c. 6, 2°).

Si in qua regione, ut apud Sinenses fuit vel adhuc est, tegere apud reve-

[83]

rentiam prodit, detegere autem, irreverentiam, prohibitio tolli perspicitur, cum finis legis contrario cesset. Cf. S. ALPH., VI, 897. Mens tamen S. Sedis est ut consuetudo ista prudenter aboleatur. Cf. resp. *S. C. S. Officii*, 25 aug. 1880 (*Coll. P. F.*, n. 1539).

Usus *comae fictitiae*, quem Innoc. XII graviter prohibuit, nullo Codicis canone expresse vetatur. In pluribus regionibus consuetudo legem temperaverat (LEHMK., II. 336, 3). Quare, quamvis BEN. XIV solos fictos capillos mixtos naturalibus permittat, capillitium fictum quod, ut hodie conficiuntur, naturam modeste imitetur, non videtur lege certo exclusum. Cf. BEN. XIV, *Syn.* XI, 9, 5 ; *Inst.* 34, n. 14 et n. 99. Satius tamen erit petere licentiam, quam Nuntius vel Delegatus Apostolicus concedere possunt (*Facultates*, n. 35. cf. Epit. I, Appendix).

Art. II - De Missae ritibus et caerimoniis

84. - Materia ex qua. Materia *remota* consecrationis et sacrificii est panis et vinum (c. **814**) ; atque haec esse essentialia, fide tenendum est, et probatur ipsa institutione Christi (S. Matth. 26, 26-28 ; Luc. 22, 19-21).

Ex necessitate autem non sacramenti vel sacrificii, sed gravis praecepti sub mortali obligantis, vino consecrando « modicissima aqua miscenda est » (c. 814).

Vino, inquam *consecrando*, namque, post consecrationem, omissa mixtio non est supplenda. Ante autem consecrationem, praeceptum istud, caerimonialiter impositum in ordine ad sacrificium (Trid. s. 22, c. 7 et 9), tam graviter urget ut, si aqua desit, abstinendum sit consecratione, etiamsi viaticum morituro dandum sit, vel missa abrumpenda sit, dummodo hoc sine scandalo fieri queat. — Miscenda aqua debet esse naturalis. Sufficit autem una vel altera gutta sensibilis ; expedit tamen non nullas infundere, nec adeo scrupulose procedendum est, cum mixtio quintae partis sinceritati vini non obstet. Ac notes, guttas istas cum aqua quae naturaliter in vino continetur, consecratione in sanguinem Christi converti.

85. - Ex constanti Ecclesiae sensu, solus panis *usualis* et *triticeus* est materia remota eucharistiae. Morali autem hominum iudicio talis esse censetur is solus qui ex farina triticea et aqua naturali mixtus et igne tostus sive assus atque in sua specie incorruptus sit : is solus dicitur sine addito panis. Quare canone **815**, § 1 sic *praecipitur* ; « Panis debet esse *mere* triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis ».

De vino. 1. Requiritur ad ipsum valorem *vinum de vite*, ac proin non sufficit chemice confectum. Chemia, ceterum, vinum completum nondum componere potuit. Essentiam autem necessariam vini complectemur describendo vinum : « *de uvis*, non omnino immaturis, ita expressus liquor, ut fermentatio consueta saltem coepta sit fieri ». Completa fermentatio non requiritur. Atque, cum acini franguntur, moraliter statim quaedam fermentatio initium habet. (1) Post Florenti-

(1) Missale, *De defectibus*, graviter illicitam sed validam dicit consecrationem in musto. Cfr *Per.* XVIII, disp. *Vinum de vite.*

num Concilium docet c. 815, § 2 : « Vinum debet esse naturale de genimine vitis, et non corruptum ». Non refert autem cuiusnam sit coloris.

2. Vinum requiritur *naturale.*

De hac re observes, vinum non esse quidpiam *unum per se* (idem de pane dicatur), sed mixtionem, et quidem liquidam. Mixtio ista alia est in alio vino et pro varia eiusdem vini aetate variat. Novimus tamen elementa quibus omne vinum naturaliter constat, et qua maxima et minima proportione adesse possint. Elementa porro illa sunt alia *stricte*, alia *late* dicta. Stricte dicta sunt quaecumque in musto fermentato solvuntur et vite vitaliter elaborata sunt : sic alcoholum, saccharum, substantia colorata. Late dicta elementa vel fermentationi, vel dissolutioni inserviunt. Haec vel extrinsecus adveniunt : sic fermenta, vel saltem nulla vitali vitis actione elaborantur : sic aqua. Fermenta porro, cum non solvantur et in faecibus reperiantur, ne pars quidem vini sunt, dum aqua ita vino necessaria est ut pars vini dicenda sit. — In vino puro ac sincero, omnia elementa *stricte dicta* ex vite sumenda sunt ; modicissima tamen quantitas aliunde sumpta, sinit ut dicas : « parum pro nihilo reputatur ». Elementa vero *extrinseca* seu late dicta omnem originem habere possunt, dummodo inter maximam et minimam quantitatem quae in vino naturaliter obtento praesto est, te contineas. Nec possis tuto artificiose (etiam si ea sumas ex vite) elementa stricte dicta, quale alcoholum, tali quantitate vino miscere quae in nullo vino naturaliter habetur. Propter providam Dei assistentiam et ipsam auctoritatem quam multi Ecclesiae tribuunt determinandi magis materiam et formam sacramentorum, maximus respectus habendus est decretorum S. Sedis, nec tuto adhibere possis in consecratione vinum quod Ecclesia per *S. Officium* repudiaverit, quamvis scientifica ratio tibi demonstraverit vinum esse verum. Ad S. Officium enim pertinet quaestiones istas, approbante S. Pontifice, dirimere.

De vini quod consecrari possit natura et confectione, cf. lucubrationem R. P. Pauwels, doct. chemiae, in *Per.* t. VI, Supplemento XVIII, pp. (57)-(71).

86. - Panis debet esse *recenter confectus*, ita ut nullum sit periculum corruptionis (c. **815**).

Dum recentem confectionem praecipit, canon simul nobis indicat rationem praecepti et materiam gravem i. e. si periculum corruptionis habeatur.

Grave tamen accedere potest praeceptum positivum synodale quo, propter generalem periculi praesumptionem, sub mortali vetatur ne hostiae sint confectae ante certam diem. Ac *S. Rit.* Congr. in *Gandavensi* (*Decr. auth.*, n. 2650 ad I, 1. et 2), improbavit usum consecrandi species a tribus mensibus in hieme, a sex in aestate confectas. Per se postulatur ut non ultra sex hebdomadas sint antiquae cum consumuntur. Minus diu autem licet ipsas hostias consecratas servare. Cf. infra ubi de cultu ss. eucharistiae.

Valida materia est panis sive fermentatus sive azymus. Ratio est quia, contra ac de vino dicetur, actio fermenti in pane minima est et in pane consueto potius adhibetur ad materiam dilatandam quam mutandam. Quare hodie iam plures pistores alia ratione, sine ullo fermento, panem vulgarem nostrum conficiunt. Res ceterum traditione

constat. Verum latini sacerdotes in azymo, plures orientales in fermentato pane sacris operari debent (**c. 816**).

87. - « Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera aut etiam utramque extra missae celebrationem consecrare » (**c. 817**).

Adeo grave est istud praeceptum, ut merito dubitari possit de valore unicae consecrationis factae a sacerdote qui, voluntate positiva et praevalente, nollet duas materias consecrare, ita ut ne inchoative quidem sacrificaret. Cf. S. Thom., 3 p. q. 78, art, 6 ; Lugo, *Euch.* d. 19, n. 102. 103.

Plane diversus est casus eius qui per separatam consecrationem complere vult sacrificium quando alterutram invalidam fuisse animadvertit. Cf. in ipso Missali *deffectus Missae* reparandos et « Nota super quadam rubrica de defectu vini » I. M. Hanssens. S. I. *Per.* XVIII, 152*.

88. - Canone **818** reprobantur consuetudines quibus ipse sacerdos celebrans derogarit rubricis intra missam ipsi praescriptis. Ac simul avertimur a falsa devotione adiungendi proprio arbitrio caerimonias aut preces.

De **additionibus**. 1. Quidquid, animo inducendi novum ritum adiunxeris, mortale erit. — 2. Seclusa tali intentione, quamvis facilius in additione quam in omissione graviter peccetur, addere *Gloria* vel *Credo* leve erit, nisi hoc modo missam *de Requie* graviter deformes (d'Ann., III, 404 (47)). — 3. Ex aliqua iusta causa, vel ex, minus tamen laudanda, devotione, unam collectam addere, S. Alph. L. VI, 411, ne veniale quidem aestimat. Sine iusta causa, additio huiusmodi non excederet veniale (S. Alph. ibidem). Perinde dicendum est de secreto interposita oratione iaculatoria. Praestat autem sola mente ciere affectus.

89. - **Quaeres** utrum necne celebrare possit, qui, ex causa infirmitatis aut simili, impeditur quominus omnia praescripta servet ?

R. Licite celebrat qui sola leviora, praesertim in loco privato, omittere vel mutare cogitur. In loco publico, oportet ut testes conscii sint impedimenti. S. Alph., VI, 402 haec refert exempla ex Gobat : si baculo indigeas ; si utroque brachio inniti debeas super altari ; si hostiam elevare nequeas. Pro notabili tamen externi decoris defectu, petenda erit venia vel Ordinarii, si facultatem habeat, ut non nulli Superiores religiosi habent, vel, in re graviori, S. Sedis : ut si sedendum tibi fuerit, vel manu arte confecta utendum sit, vel ab alio sustentari debeas.

N. B. Adeo ars imitandi naturam profecit, ut plura hodie concedi

possint a S. Sede, etiam ipsae ordinationes, iis qui aliquo membro mutilati sunt, praesertim si honorata fuerit causa, ut vulnus in iusto bello acceptum.

90. - Canone 819 confirmatur obligatio servandi in celebratione missae, linguam liturgicam sui cuiusque ritus ab Ecclesia probati.

91. - Missa dicenda est quae, illa die, rubricis *permittitur* aut *praecipitur.*

1. *Qualitatem* missae mutare secluso scandalo vel contemptu, aut « nisi frequenter, *diebus vetitis*, missae diei non convenientes dicantur » veniale non excedit ; (S. Alph., VI, 420 ; Lehmk., II, 328).

2. Missae *votivae privatae*, ex rationabili causa, legi possunt in festis semi-duplicibus, diebus infra octavas communes, feria VI post octavam Ascensionis, et in omnibus officiis ritus simplicis non exceptis.

Excipiuntur feriae Quattuor Temporum, Adventus a 17 ad 23 dec. inclusive, feriae Quadragesimae a die Cinerum, et Passionis ad feriam IV maioris hebdomadae inclusive, feria II Rogationum, vigiliae, dies octavae simplices, etiam si sola earum commemoratio facta fuerit in officio, dies quibus resumenda est missa Dominicae impedita. Privilegiata autem est missa pro sponso et sponsa, et missa votiva sollemnis.

Missae *cotidianae* (*votivae*) *defunctorum*, celebrari possunt sine cantu iisdem diebus et praeterea in Quadragesima, a feria IV Cinerum prima die cuiusque hebdomadae libera, i. e. in qua fiat de festo semiduplici, aut de feria non privilegiata.

Dummodo ne occurrat Dominica aut festum de praecepto, licet suppressum, Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, duplex 1 vel 2 classis, etiam translatum, aut aliqua ex feriis, vigiliis vel octavis privilegiatis : 1. *ipsa die* qua in ecclesia vel oratorio publico funus defuncti sollemniter agitur, possunt ibi missae privatae pro die obitus dici, ea tamen lege ut sacrificium pro ipso defuncto applicetur ; idque sive corpus sit praesens, sive ob rationabilem causam, absit vel iam sit sepultum ; — 2 in oratoriis semipublicis quae, deficiente publico vel ecclesia, horum locum teneant, eaedem missae privatae dici possunt *unica die ad libitum*, ab obitu usque ad depositionem defuncti ; — 3. eaedem vero missae *cotidie*, per idem tempus, dici possunt in oratoriis semi-publicis quae locum non tenent ecclesiae aut oratorii publici, et in oratoriis stricte privatis domus defuncti, « dummodo cadaver sit physicae praesens in domo ubi erecta sunt ipsa oratoria » ; — 4. opportuniore die post acceptum mortis nuntium, sicut in die 3^{a}, 7^{a}, 30^{a} et anniversaria ab obitu vel depositione defunctorum, permittitur in *qualibet* ecclesia, unica missa de Requie pro defuncto, cantata vel etiam lecta. Si dies rubricis impedita fuerit, missa, tunc in cantu celebranda, in proximiorem diem non impeditam anticipari vel transferri potest ; — 5. unica missa de Requie pro defuncto *cantari* potest in anniversariis quae extra diem obitus ex fundatione celebrantur, vel quae pro omnibus defunctis alicuius coetus semel quolibet anno habentur ; — 6. per octiduum a Commemoratione omnium Fidelium defunctorum inclusive computandum, missae de Requie pro fidelium pietate in cantu peragi possunt : exclusa anticipatione vel translatione extra octiduum ; — 7. in oratorio publico ac principali *sepulcreti*, immo in quolibet sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, missae possunt esse de requie, dummodo

sepulcreta actu serviant sepulturae et sint in coemeterio. Cfr addit. et variat. in rubricis Missalis, et *Per.* VI, 173 ss.; VII, 71 ss.; 79 ss.

N. B. Prima die cuiusque mensis, excepto mense novembri, extra adventum, quadragesimam et tempus paschale, in qua officium fit de feria, in missis quae non sint defunctorum, penultimo loco inter omnes orationes, dicitur oratio *Fidelium*, « non omissa, ob eam, illa ex orationibus pro diversitate temporis assignatis ». Idem fit feria II cuiusque hebdomadae extra Quadragesimam et Tempus Paschale, dummodo ne occurrat aliqua vigilia, aut resumenda non sit missa dominicae praecedentis impedita.

Ipsae facultates datae demonstrant nullam specialem causam, praeter ipsam applicationem defuncto faciendam, requiri cur, diebus quibus fas est, missa de Requie missae cum officio congruenti substituatur. Immo, quamvis per se satisfaciat obligationi suae sacerdos qui, missam rogatus in honorem alicuius sancti vel pro defunctis, missam celebrat officio conformem, « *consultius* est, ut, quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per missam de Requie vel votivam ». Sic *S. R. C.* 13 ian. 1899 ad IV (*Decr. auth.*, n. 4031).

92. - Quaeritur quaenam missa dicenda sit extra propriam ecclesiam vel domum ?

Salvis privilegiis postea concessis, ut quae ex Codice competunt Cardinalibus (c. 239, § 1, 9°) et episcopis (c. 349, § 1, 1°), decreto *S. R. C.*, 9 iul. 1895, confirmato 9 dec. 1895 (*Decr. auth.*, n. 3862), res ita ordinata est : 1. Celebrans in ecclesia vel in oratorio *publico* missam omnino conformem calendario istius ecclesiae vel oratorii dicere debet, etsi missa fuerit Beati, aut propria regularium : exclusis peculiaribus ritibus Ordinum propriis. Ac dein, 22 maii 1896 (*Decr. auth.*, n. 3910), declaratum est, ad effectum memorati decreti, tamquam publicam habendam esse cappellam *principalem* episcoporum, seminariorum, collegiorum, piarum communitatum et carcerum. Apud moniales vero vel religiosas quae proprio calendario carent, viget calendarium dioecesis, quod proin sequendum est. Cf. resp. *S. R. C.*, 27 iul. 1896 (*Decr. auth.*, n. 3927).

2. Si tamen, in huiusmodi oratoriis officium agatur ritus qui duplici sit inferior, unicuique celebranti (exceptis diebus quibus rubricae aut decreta hanc optionem tollunt) integrum est optare pro calendario loci (ac proin dicere missam votivam, etc.), vel propriam missam ut festivam celebrare.

3. In aliis oratoriis, missa dicenda est quae cum proprio officio congruat, etsi fortasse sit Beati, de quo per se, extra ecclesiam ubi conceditur, memoria facienda non est (cf. *S. R. C.*, 15 apr. 1853 ad 14).

Ubique tamen, tamquam utentes privilegio personali quo conformatio ad loci calendarium non impeditur, possunt religiosi quibus id licet fundatorem suum vel fundatores suos in *Confiteor* post sanctos apostolos invocare ; omnes vero

Regulares in oratione *A cunctis* suum fundatorem nominare, sicut licet, v. g. FF. Praedicatoribus, ubique ritu suo litari.

93. - N. B. Quia facile fit ut in cotidiana actione sensim sine sensu irrepant errores et modi agendi parum cum rubricis et aedificatione congruentes, suadendum est ut sacerdotes semel in anno, v. g. inter exercitia spiritualia, ordinem missae et ritus missae perlegant una cum annexo capite de defectibus missae : quae omnia in initio missalis reperiuntur, una cum additionibus et variationibus ad normam Bullae Pii X, *Divino afflatu*, 1 nov. 1911, et subsequentium *S. R. C.* decretorum.

Art. III. - Tempus et locus missae celebrandae

I. TEMPUS

94. - **Dies celebrationis.** Principium est, missam *omnibus diebus* celebrari posse qui proprio sacerdotis ritu non excluduntur (c. 820).

Iam vero, *ritu latino*, missa sub gravi prohibetur Feria VI in Parasceve ; et, per se, Feria V in Cena Domini et sabbato sancto, sola missa permittitur quae officio divino coniuncta est.

Feria V quidem ut, in imitationem Cenae Domini, clerici manu Pastoris communicent ; feria VI et Sabbato, quia, in ritu latino, ambo sunt dies *aliturgici*. Quare longe facilius quam Sabbato sancto, missa privata permittitur Feria V.

Functiones autem Hebdomadae Sanctae possunt, annuente episcopo, in minoribus paroeciis, sine cantu peragi ad formam Ritualis Benedicti XIII ; quam formam etiam, ex apostolico indulto, Ordinarii locorum concedere possunt piis communitatibus.

95. - Praeterea, *Feria V in Cena Domini*, si incidat festum de praecepto, episcopus curare debet ut tot missae in ecclesiis dicantur, quot sufficiant ut populus praecepto audiendi sacrum satisfacere possit. Suppressa festi obligatione, ratio plura sacra celebrandi deficit ; sed legitima consuetudo (quae in hac re liturgica non requiritur centenaria, cum Codex de legibus liturgicis non agat) benignior esse et observari potest (cf. NOLDIN-SCHMITT, III, 202, 3).

In ecclesiis paroecialibus in quibus functiones tridui sacri fieri nequeunt, parochus, ex licentia episcopi, missam privatam legere potest, ante sollemnitates ecclesiae cathedralis. Licentia quotannis per se petenda foret : sed non raro, ex consuetudine, sine expressa licentia, celebratur (NOLDIN-SCHMITT, III, 202, 1). *S. R. C.*, 27 mart. 1773 (GARDELLINI, n. 4361 ad 9) arbitrio episcopi commiserat ut in ecclesiis parochialibus missa privata, ante sollemnem, celebraretur pro infirmis qui sollemni interesse non possent. Sed cum decretum istud exsulet e decretis authenticis, pro suppresso habendum est (cf. PRÜMMER, III, 231). Quare id iam facere non licebit, nisi ex consuetudine.

Si *in ecclesia Regularium* consuetae functiones non fiant, Superior regularis potest, in privato oratorio, vel, si desideratur, in ecclesia, ianuis clausis, privatim celebrare ut suos communicet (cf. LEHMK., II, 287, nota). — Atque etiam ubi functiones fiunt, una missa pro infirmis similiter legi potest, ex privilegio S. I.

Ex c. 239, 4° et 349, § 1, 1°, possunt Cardinales et episcopi (nisi in cathedrali celebrare debeant) missam in Cena Domini celebrare vel alii permittere ut coram se unam missam celebret.

Speciali indulto, pluribus communitatibus missa privata conceditur.

Sabbato sancto, non permittitur nisi missa coniuncta functionibus tridui sacri, ita ut rarissime missa separata concedatur.

Functio autem sabbati omitti potest, quamvis functiones feriae V et VI habitae sint (*S. R. C.*, 9 dec. 1899, n. 4049). An sola functio sabbati sancti celebrari possit? Nihil de hac re declaratum est; probabiliter id fieri posse putamus.

Unicam missam lectam in oratoriis publicis Nuntius vel Delegatus Apostolicus, *in Cena Domini*; Vicarius et Praefectus Apostolicus etiam *Sabbato Sancto* permittere potest (Fac. 33 Nuntiorum; Fac. 9 Formul. *P. F.*: cf. *Epit.* I, Appendices).

96. - Celebrationis hora. Diebus quibus celebrare licet, missa *inchoari* non potest citius quam una hora ante auroram, vel serius quam una hora post meridiem (c. 821, § 1): quod tempus per se est usuale, facta facultate sequendi tempus locale verum, vel medium aut extraordinarium, ex c. 33. Sacrificium enim nostrum est per se matutinum.

Rubrica missalis, § 15, missam tantum ab aurora ad meridiem permittebat, quod ita intellegebatur, ut 20 momentis ante auroram inchoari posset, finiri vero 20 momentis post meridiem.

Appositae calendariis tabellae auroram indicant, quae incipit fere cum sol circa 18.um gradum infra horizontem attigit, et in hieme diutius protrahitur. In Urbe, aurora est 1 ian. h. 5,45; 8 mart. h. 4,45; 9 apr. h. 3,45; 10 maii h. 2,35; 29 iul. h. 3; 6 sept. h. 4; 28 oct. h. 5. Regiones autem multae sunt ubi, per partem anni, aurora non cessat (v. g. in Belgio, a 26 maii ad 19 iulii), aliae ubi per dies, hebdomadas et menses, sol non occidit. Sed eaedem regiones rursus diuturniorem, immo perpetuam noctem per alteram anni partem tolerandam habent.

Cum perpetua est dies vel aurora, decet illud saltem cavere, ut aliquot (utputa duarum) horarum spatio missa ab ultima refectione distet. Quando autem diuturniores tenebrae sunt, ex responso S. Sedis videtur pro aurora moraliter sumi posse tempus quo homines diluculo surgere solent ad opera. Immo videtur concessum esse ut horae assumantur romanae. [Cf. resp. *S. R. C.*, 2 nov. 1634 (n. 614) et 6 febr. 1858 (ASS, III, 602 et VII, p. 400 nota, ubi habetur votum P. SECCHI)].

Tempus istud sub gravi peccato observandum est, atque ita quidem ut strictius vetetur maior anticipatio quam dilatio. Materia gravis, ex communiore sententia, intellegitur spatium unius horae, ita ut graviter peccarit qui, sine iusta causa, missam duabus horis ante auroram iam absolverit, vel post horam secundam pomeridianam eam inchoaverit. Hoc verum censemus si habitualiter fiat, quia ita agens quasi usupare privilegium videtur.

Ab observando tempore excusat: *a*) *necessitas*, v. g. dandi viatici morituro: tunc iam media nocte celebrare licet: — *b*) *mos rationabilis*, ut operarii et famuli (etiam die feriali) audire sacrum possint: — *c*) *rationabilis causa* differendi ultra horam primam: ut si sacerdos itinerans die festo prius celebrare non potuit: in tali casu dilationem unius horae (et aliquid ultra concedit NOLDIN-SCHMITT, III, 206, 2.e) permittunt: vel si, propter nimis protractam supplicationem, contionem, vel etiam missam sollemnem, timendum sit ne pars populi missa in die festivo careat, nisi missa privata subiungatur: duas tunc horas concedunt, nec videmus cur concedi nequeat quantum necessitas postulet: vel si missa nuptialis celebranda sit et sponsi, v. g. propter civilem caerimoniam, exspectari debuerunt. — *d*) *dispensatio Ordi-*

narii (sive locorum sive proprii) a quo censent etiam sine privilegio, unam horam concedi posse.

Regulares et religiosi non raro donantur *privilegio* in hac re. Sic Congregationi Puritatis, a Pio VI concessum est ut eius sacerdotes ubique duabus horis ante auroram vel post meridiem celebrare possent.

Iam ante Codicem missionariis S. I. a P. Generali facultas fieri poterat ut, sive itineris sive devotionis causa, celebrarent duabus horis post mediam noctem. Alexander VI vero concessit PP. Benedictinis privilegium ut, toto anni tempore, duabus horis post mediam noctem missam celebrare possent. S. Alph., VI, 342, privilegium istud revocatum existimat. Diversimode opinantur Ball.-Palm., IV, 1050. Porro privilegia ista per communicationem (quae etiamnum in effectibus iam acquisitis probabiliter perseverat) plurimis Regularibus et nonnullis Congregationibus commune factum est.

Ac, post Codicem, similes vel etiam maiores gratiae factae sunt, v. g. sacerdotibus adoratoribus ex rescr. 5 mart. 1928 (*Per.* XVII, 139).

Facultates *P. F.* permittunt Vicariis aut Praefectis Apostolicis ut in casu necessitatis concedant celebrationem ab una hora post mediam noctem ; Nuntii vero seu Delegati Apostolici possunt ob rationabilem causam indulgere celebrationem a tertia hora post mediam noctem.

97. - « In nocte Nativitatis Domini *inchoari* media nocte potest sola missa conventualis vel paroecialis, non autem alia, sine apostolico indulto » (c. 821, § 2).

S. R. C. 2 iun. 1883 ad X (n. 3577) negavit missam istam ante mediam noctem inchoari posse. Non requiritur missa cantata. Potestne in ista missa communio astantibus praeberi ? Id, ante Codicem, pluries a *S. R. C.* negatum est (cf. Gasparri, *De Euch.* II, 1901) et ex modo quo in c. 821, § 3 expresse conceditur facultas communicandi fideles, quae in § 2 tacetur, idem adhuc valere dixeris. Commissio de interpr. Codicis benigniorem sententiam admisit (cf. n. 111, 3), quae, nixa generalibus verbis c. 846, § 1 et 867, § 4, principium hoc liturgiae consentaneum inculcat : permisso sacrificio missae, communio fidelium astantium per se quoque permittitur. Et sic habet, Prümmer, *Man. I. C.* q. 291, nota 7 et stylus *S. C. de Sacramentis.* In aliis autem ecclesiis, i. e. quae non sint paroeciales vel conventuales, nihil sine indulto permittitur. Speciali iure ipsa missa publica paroecialis interdum prohibetur.

« In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate SS. Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini *unus* sacerdos tres rituales missas, vel, servatis servandis, unam tantum quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et sacram communionem petentibus ministrare » (c. 821, § 3).

Piae domus sunt quae pio fini caritatis vel beneficentiae sunt addictae. Talis etiam, ex mente Ecclesiae, censetur carcer, quatenus in eo cappellani emendationi reorum operam dant.

Observes facultatem uno sacerdote circumscribi. Si sacerdos privilegio missae votivae cotidianae fruatur, eandem missam ter celebrare poterit, secundum relata n. 78. Ex authentica autem S. *Officii* declaratione 26 nov. 1908, missae istae celebrari non possunt apertis oratorii ianuis vel in ecclesiis quae publico fidelis populi usui inserviunt. Quod ita interpretati sumus ut liceret tamen, ianuis clausis, celebrare missas istas in religiosorum ecclesia, si non quilibet populus sed selecti tantum fideles admitterentur (cf. *Period.*, IV, 311). Sic etiam Prümmer, *Man. I. C.*

q. 291, nota 7. Binas vel unam tantum media nocte celebrare ut tertia vel binae posteriores ad auroram differantur, non prohibemur.

Cardinales ex c. 239, § 1, 4°, et episcopi (etiam titulares) qui in cathedrali ecclesia celebrare non debent, ex c. 349, § 1, 1°, tres missas in nocte Nativitatis Domini celebrare ipsi possunt, vel permittere ut alius easdem coram se celebret.

II. DE CELEBRATIONIS LOCO

98. - Communiter non licet celebrare nisi in *ecclesia* vel *oratorio publico*, consecrato aut benedicto ad normam iuris ; vel in oratorio *semi-publico*, aut in oratorio *domestico* legitime erecto (c. 822, § 1).

« Missa celebranda est super altare consecratum » (c. 822, § 1). De ecclesiis, variis oratoriis et altaribus cf. infra tit. IX, X et XI.

99. - Privilegium altaris portatilis permittit celebrationem super petram sacram in omni decenti loco, non tamen in mari.

Privilegium istud habent Cardinales (c. 239, § 1, 7°), episcopi (c. 349, § 1, 1°), ita ut etiam aliam missam, ipsis adstantibus, permittere possint.

Conceditur quoque aliis, praesertim missionariis, per indultum apostolicum. Demum Ordinarius loci, aut, in « domo religionis exemptae, Superior maior, licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium super petram sacram et decenti loco, numquam autem in cubiculo, concedere potest iusta tantum ac rationabili de causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus ».

Facultas ista c. 822, § 4 est restrictive interpretanda : sic respondit *Pont. Commissio de Codice*, 16 oct. 1919, ad 12 (AAS, XI, 1919, 478 ; *Per.* X, 101). Quare casus infirmitatis sacerdotis vel parentis non sufficit, cum non sit extraordinarius, sed si concurrat v. g. cum speciali anniversario, facultati locum dabit.

Quare etiam *S. C. de Sacramentis*, 3 maii 1926, negavit vi can. 822, § 4, ab Ordinario permitti posse sine peculiari causa, missas in « camera ardente » (*chapelle ardente*) defuncti ; neque tunc ultra tres permitti posse declaravit (AAS., XVIII, 388 ; *Per.* XV, 156).

Verum facultatem celebrandi domi in oratorio infirmus poterit a Nuntio vel Legato Apostolico obtinere ex n. 34 facultatum suarum. Cf. *Per.* XII, 163.

Observes aras portatiles in oratoriis publicis vel semi-publicis per se esse permissas (cf. c. 1197, § 2).

100. - *Occurrente magna et urgente causa*, quae, si tempus suppetat, Ordinario loci probanda erit, in loco decenti, v. g. in platea ubi silentium obtineatur, et in altari portatili, per modum actus celebrare licebit. V. g. si ecclesia diruta sit ; si, in sollemni festo, populus templo non capiatur ; in castris pro exercitu, sed in festis tantum diebus. De celebratione *sub dio* cf. Instr. *S. C. de Sacr.*, 26 iul. 1924 ad episcopos Italiae directa, ubi exigitur casus extraordinarius et concessio per modum actus (AAS. XVI, 370 ; *Per.* XIII, 158).

101. - *In navi* ut legitime celebretur, requiritur indultum apostolicum vel privilegium quale habent Cardinales et episcopi (cc. 239, § 1, 8° et 349, § 1, 1°). Debitae cautelae adhibendae sunt, sed assistentia alterius sacerdotis iam non consuevit ut necessaria memorari. Decentiae loci quoque cavendum est.

De missa in *navi aeria* vel in *rheda viae ferreae*, nihil hactenus edictum est. Si S. Congr. interrogabitur, requiret, ni fallimur, indultum apostolicum et cautelas quae iam ex rei natura sunt necessariae.

102. - In templo *haereticorum* vel *schismaticorum*, etsi olim rite consecrato et benedicto, missa offerri prohibetur (**c. 823**, § 1).

Sic refellitur quorundam opinio qui existimabant, secluso scandalo, missam celebrari posse in Orientalium schismaticorum ecclesiis, quae olim catholicae fuerunt.

Mens Ecclesiae quoque aliena est a promiscuo usu templi ab haereticis et catholicis, quamvis, in quibusdam partibus, necessitate cogente, quidpiam huiusmodi toleretur.

Minime autem prohibetur, si deficiat altare proprii ritus, celebratio in altari consecrato alius ritus catholici (c. 823, § 2). Ab ipso BENEDICTO XIV, C. *Allatae*, 26 iul. 1755, § 33 (*Coll. P. F.* n. 395), monemur nullam ibi deprehendi ritus promiscuitatem.

Orientalium tamen antimension usurpari non potest.

Antimension istud est corporale, sacris reliquiis ditatum, quod, in quavis mensa extensum, ipsis pro altari est.

Denique, sic dicta altaria *papalia*, quae exstant in maioribus Urbis basilicis, ita reservantur S. Pontifici, ut sine indulto Apostolico, nemo in iis celebrare permittatur (c. 823, § 3).

Art. IV. - De missarum eleemosynis seu stipendiis

103. - Stipendii notio et divisio. — Cum Codex, in titulo XXX huius libri agat de piis fundationibus, hic in solis missarum eleemosynis seu stipendiis versatur. *Stipendium*, seu *eleemosyna missarum* est *res pretio aestimabilis, plerumque pecunia, quae solvitur sacerdoti promittenti ex iustitia applicationem missae*. Dicitur *stipendium*, quatenus est *remuneratio* pro praestito servitio ; *eleemosyna*, ut negetur verum pretium cuiuspiam venditionis ; ac posterior ista vox bene quoque aptatur ad originem stipendiorum, cum paulatim substituta sint in locum oblationum quas, in ipsa missa, fideles offerebant, a sacerdotibus dein sumendas, nam : « qui altari deserviunt, cum altari participant » (1).

Canon **824**, § 1, honestatem istius pactionis affirmat, appellans, ad id confirmandum, receptum et probatum Ecclesiae morem atque institutum.

(1) I Cor 9, 13.

Qua meliore ratione id explicetur, diximus supra, de *simonia*, n. 8.

104. - Divisio. Distinguenda sunt ex ipso **c. 826**, stipendia *manualia, ad instar manualium*, et *fundata*, seu missae fundatae.

« Stipendia quae a *fidelibus* pro missis offeruntur, sive ex propria devotione, veluti ad manum, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore propriis heredibus facta, *manualia* dicuntur » (c. 826, § 1). *Ad instar manualium* vocantur stipendia missarum fundatarum quae aliis sacerdotibus traduntur, sive de iure, sive ex S. Sedis indulto, quia applicari non possunt in proprio loco aut ab iis qui eas applicare deberent secundum tabulas fundationis (c. 826, § 2). *Fundata* demum appellantur stipendia quae ex fundationum reditibus percipiuntur (ibid. § 3).

Probe observes non ipsos reditus esse stipendia, sed esse fontem unde stipendia hauriuntur.

105. - I. Obligationis susceptio. Licentia accipiendi stipendia variarum abusionum occasio esse et damnandae avaritiae locum dare facile potest. Inde variae prohibitiones latae sunt et canonibus Codicis edicuntur. Haec non licent :

1. *Pluries* in die celebrando, duplex vel triplex stipendium, excepta trina missa in Nativitate Domini, accipere (1) ; vel una missa obligationi iustitiae, titulo oneroso susceptae, qualem parochus habet, satisfacere et alteram dicere pro stipendio. Sola pro altera missa permittitur retributio aliqua ex titulo extrinseco (**c. 824**, § 2), v. g. cantus, horae, loci distantis. Non refert autem utra missa prior dicatur ;

2. Stipendium recipere pro missa quae iam ex iustitia et titulo oneroso debetur (**c. 825**, 2° et 3°), vel quae utcumque ad alteram primam intentionem applicatur ; sed « tot celebrandae et applicandae sunt missae, quot stipendia, etiam exigua, data et accepta fuerint » (**c. 828**) ;

3. Eleemosynam retinere pro missa applicata, antequam petita fuerit (c. 825, 1°), nisi oblator monitus rem ratam habeat.

Hac ratione cum absoluta prohibitione Codicis conciliamus sententiam admissam a S. Alph., L. 6, n. 337, quae permittit ut pro persona iam defuncta, cui proderit ut citius missa iuvetur, sacerdos qui praevidet stipendium oblatum iri, missam iam offerat et dein stipendium percipiat.

4. Alterum stipendium pro sola celebratione, alterum pro eiusdem missae applicatione accipere, « nisi certo constet unam stipem pro celebratione sine applicatione oblatam esse » (c. 825, 4°) ;

---

(1) Ac prius quam celebratio plurium missarum in una die prohiberetur, iam receptio plurium stipendiorum vetita erat. Cf. Decr. Gratiani, Cons. D. I, c. 53.

5. Tot onera missarum *personaliter* celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeas (c. 835).

Igitur qui intra annum 300 missas pro stipendio dicere potest, vetatur se ad celebrandas ultra 300 missas personaliter obligare. Nec, cum lex non distinguat, refert si optio detur eas in pluribus annis dicendi. Expressus tamen consensus offerentium qui noverint copiam iam acceptatam missarum, id videtur permittere posse ; nam consentienti non fit iniuria. Cfr Creusen, *Ius Pont.*, 1925, 100 ss.

6. Ope stipendiorum *re vera* vel *specie tenus negotiari* vel *mercaturam agere* (c. 827). Negotiatio, in genere est omnis, in finem immediate temporalem facta, rerum pretio aestimabilium commutatio, praesertim per emptionem-venditionem. Et dicitur *lucrativa,* cum intentione lucri imperatur. A negotiatione vix differt *mercatura.* Haec tamen supponere videtur veras merces, dum negotiatio fit quoque de pecunia et de titulis nummariis. *Speciem* negotiationis habent illae artes quae, quamvis sub strictam negotiationis definitionem non cadant, colore tamen negotiationis imbuuntur propter studiose quaesitum lucrum ex stipendiorum collectione et distributione seu permutatione.

Etenim, cum in omni negotiatione vel mercatura haec duo inesse cernantur : *acquisitio*, et, intenta per ipsam acquisitionem, lucrativa *venditio* seu quasi-venditio, ipsa species negotiationis utrumque elementum aliqua saltem imperfecta ratione requirere videtur. Acquisitio porro erit studiosa stipendiorum *collectio*, facta ad obtinendum lucrum ex *erogatione* seu *distributione*, quae erit quasi-venditio, quamvis propria negotiationis quaestuosae vel artificialis ratio ex parte desideretur.

Itaque ope stipendiorum *negotiatur* qui stipendia colligit maioris pretii ut, obtentis minore stipendio missis, inde lucretur (1), vel qui stipendia colligit ut ex cambio monetae lucretur ; *speciem* vero negotiationis committit qui stipendia colligit ut, obtento celebrantium consensu, partem sibi retinere possit. Ope stipendiorum mercaturam agit qui stipendia colligit ut ea convertat in libros quos, cum lucro, sacerdotibus tradat pro pecunia. Si vero libros sine lucro tradat, speciem tamen negotiationis iste stipendiorum collector committit. Haec igitur sine S. Sedis indulto fieri nequeunt.

Qui vero ex stipendiis non studiose collectis partem sibi vel bono operi retinet, nec negotiatur nec mercaturam exercet, quamvis id directa prohibitione vetetur.

7. Stipendium pro missis manualibus exigere *ultra taxam* ab Ordinario vel consuetudine statutam, vel (nisi peculiari amicitiae vel misericordiae causa impellaris) minore contentum esse, si Ordinarius loci prohibuerit ne minora stipendia acciperentur. Ipsi enim religiosi exempti istis taxis et statutis observandis tenentur (c. 831).

Augere taxam licet pro accedente labore extrinseco cantus, etc. Maior, ultro oblata, acceptari potest (c. 832).

---

(1) Brevi *Quanta cura*, § 2, 30 ian. 1741, Ben. XIV id notat nota mercimonii seu mercaturae. Mercatores tamen isti, potius quam venditores, sunt potius quasi-emptores qui minus pretium solvere student.

106. - II. Obligationis gravitas et exsecutio.

1. Sacerdos missas sic promissas sub gravi celebrare debet. Qui tamen unam ex centum ad eandem intentionem promissis omittat, non videtur Patri LEHMKUHL, II, 269, 1, certo graviter peccare, quia unam seriem modica parte minuit (1).

2. Obligatio non cessat, etiamsi sine culpa illius qui onere celebrandi gravatur, iam perceptae eleemosynae perierint (c. 829). Idque ex ipso iure naturae, ut luculente probat R. P. ARENDT, *De laesione iustitiae commutativae in missae manualis stipendio alteri celebranti diminuto.*

3. Qui summam accipit pro missis dicendis quarum numerus non definiebatur, secundum taxam loci in quo *oblator morabatur* supputare debet obligationem suam, « nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumatur » (c. 830).

4. Missae dicendae sunt *tempore* expresse praescripto ; si non expresse praescriptum fuerit, quam primum potest, debet celebrans missas dicere quarum causa urget ; alias vero *intra modicum* tempus (c. 834).

Hoc aestimari potest secundum regulas decreti *Ut debita*, 11 maii 1904 (*Coll. P. F.* 2192 ; *Per.* I, 44 ss.) ; ita ut unica missa promissa intra mensem dici debeat, dein pro binis missis eiusdem intentionis tres dies ultra mensem computari possint ; decem missae ab eodem oblatae intra mensem cum dimidio absolvendae sint ; centum vero missis dicendis sex menses deputentur. Quae omnia non mathematice sed moraliter sumenda sunt.

A Professore iuris canonici mutuamur hanc formulam qua facile reperitur quodnam tempus secundum istas regulas concedatur. Si tempus littera x, numerum missarum littera N designaverimus, habebimus :

$$x = N + \frac{N}{2} + 30$$

Itaque pro centum missis unius oblationis, ($x = 100 + 50 + 30$) 180 dies sunt concessi.

Dilatio vero unius alteriusve mensis ultra tempus legitimum gravis putatur.

Ecclesiis autem quae missas nimia copia recipiunt quam ut ibi tempestive celebrari possint, c. 836 hanc regulam praestituit : « Moneantur fideles per tabellam in loco patenti et obvio positam, missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi ».

5. Oblator solam missae applicationem petiisse praesumitur ; « si tamen oblator expresse aliquas circumstantias in missae celebratione

(1) Fuere etiam qui dicerent gravem non esse unius missae obligationem si stipendium non sit grave. Et BALL., IV, 1012, hanc sententiam non aestimat improbabilem. In nota subiecta, PALMIERI gravitatem potius ex praecepto Ecclesiae colligere velit, quia, ut ipse ait, si oriretur ex contractu, deberet sub gravi restitui modica pecunia, quod admitti nequit. Quamvis consectarium istud prorsus negari possit, non est valde a vero remotus, ut demonstrare conati sumus n. 8. Ceterum sacerdos qui obligationi suae defuerit sub gravi non debet restituere modicam pecuniam, sed curare ut missa dicatur.

servandas determinaverit, sacerdos, eleemosynam acceptans, eius voluntati stare debet » (c. **833**).

Per se igitur sacerdos missae qualitatem pro devotione sua eligere permittitur ; quas tamen circumstantias tacite, recepta eleemosyna, admiserit, observare debebit. Ac plures circumstantiae, v. g. altaris privilegiati, apparatus nigri, missae votivae, tales sunt quae, cum non sint onerosae, maiore stipendio compensari non debent. Et quamvis missa apparatu nigro vel de feria cum oratione propria defuncti non iam ad lucrandam altaris privilegiati indulgentiam requiratur, « id tamen laudabiliter fieri, monemur decreto *S. Officii* (Sect. de indulgentiis) 19-20 febr. 1913, cum licet, ac debet, pietatis gratia erga defunctum ». (AAS. V, 122 ; *Per*. VII, 121.)

6. Sub exitum cuiuslibet anni, quicumque aliquo titulo ad missarum onera obligati sunt, missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum (c. **841**, § 1). — In missis *ad instar manualium*, obligatio decurrit a fine anni intra quem onera impleri debuissent ; in *manualibus*, post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate (c. 841, § 2).

Diversa offerentium voluntas, cum agitur, non de missis quae, ut sunt missae ad instar manualium, a fundatione pia profectae sunt, sed de missis manualibus, tempus anno maius concedere potuit : quo casu onera tradenda non erunt. — Nec tradendae videntur paucae missae quae supersint et quarum celebratio promptior futura sit apud sacerdotem quam apud Ordinarium cui committerentur. — Missae *ad instar manualium* fiunt ex missis fundatis, eo quod a personis obligatis iam celebrari nequeant, et Ordinariis sint tradendae.

7. Ordinarii locorum et Superiores religiosi qui propriis subditis aliisve missas celebrandas committunt, curare pro viribus debent ut quam primum celebrentur (c. **844**).

Canonem istum, parumper obscurum, sic interpretamur. Cum Ordinarii locorum et Superiores multos subditos habeant quibus missas committunt, fideles non raro ea intentione magnam copiam missarum iis tradunt, ut citius quam a singulis sacerdotibus celebrentur. Nihil tamen indicat legitimum tempus aliter ac solitum per se definiendum esse. Iidem praeterea, in fine anni, onera recipere solent quibus spatium temporis iam elapsum est. Haec altera ratio est curandi ut onera ista quam primum impleantur. Cum tamen missarum istarum onus ad alios transmittere non debeant, et sic nimis multa adimplenda servent, mere monentur ut id « curent pro viribus ». Fieri enim potest ut, ob nimiam copiam, missae ita cito exonerari nequeant.

8. Qui non quidem celebrandi sed distribuendi missas obligatione tenetur, missas quam primum distribuat ; sed, nisi aliud constet, tempus legitimae celebrationis a die qua sacerdos eas celebraturus acceperit, initium habet (c. **837**).

Agitur hic de administratore causae piae vel herede aut exsecutore testamenti, qui, ut primus oblator, missas distribuendas habet ; non autem de illo, v. g. Superiore, qui onus celebrandi per se vel per alios in se iam suscepit. In

huius enim arbitrio esse nequit ut, differendo distributionem, tempus legitimum augeat.

107. - III. Obligationis transmissio.

1. Temperata severitate decretorum recentium, praecipue decreti *Recenti decreto*, 22 maii 1907 (*Per.* III, 138 vel II-III, 322), Codex missas traducere sinit ad sacerdotes benevisos, quos vel ipse transmittens « omni exceptione maiores », i. e. omnino dignos noverit, vel testimonium proprii Ordinarii commendaverit (**c. 838**).

Omni exceptione maiores sunt iidem qui optimi, seu in quos suspicio cadere nequit. Hoc proprie dicitur de teste qui egregie idoneus est. Cf. REIFFENSTUEL, *Ius can.* II, 20, 10. 11. Permissa probatis sacerdotibus transmissio fieri prohibetur bibliopolis vel mercatoribus qui missarum eleemosynas colligunt et sacerdotibus non ipsam pecuniam, sed libros et alias merces rependunt (Cf. *S. C. C.* 9 sept. 1874 ; dec. *Vigilanti studio*, 25 maii 1893, *Coll. P. F.* n. 1832). Verum non improbatur ut stipendia quae abundant, sacerdoti bono committantur distribuenda pauperioribus. Ut autem tradantur pio operi, v. g. ad diffundendas bonas ephemerides instituto, oportet ut constet de indulto quo vel retentio partis stipendii, vel permutatio cum diariis religiosis permittantur, quamvis propter negotiationis speciem vel pericula abusuum, haec fuerint decreto *Ut debita*, *S. C. C.* 11 maii 1904 (*Coll. P. F.* n. 2192 ; *Per.* I, 44) prohibita.

Episcopus autem non videtur statuto synodali prohibere posse quod c. 838 diserte permittit, ut missae aliis sacerdotibus probatis extra dioecesim tradantur, nec condicionem apponere iure communi ignoratam, v. g. consensus Ordinarii, « ne transferantur stipendia extra dioecesim ». Id dicimus de stipendiis quorum sacerdotes liberam habent dispositionem. Si enim agitur de stipendiis oblatis ecclesiae, v. g. sanctuario saeculari qui locus sit peregrinationum, possit Ordinarius loci sua iurisdictione in illa templa uti ad imperandum ne stipendia ibi accepta fines dioecesis excedant (1). Quatenus autem sunt exsecutores piarum voluntatum (c. 1515), possunt quidem eas translationes impedire quas aestimant imprudentes vel a mente donatoris alienas, non tamen directe prohibere ne stipendia extra dioecesim efferantur.

2. Qui missas suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderint, obligati manent, « usque dum acceptatae ab iisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint » (**c. 839**).

Itaque de ipsa exsecutione legitime translatae obligationis, contra ac decreto *Ut debita* cavebatur, nulla iam sollicitudo ei qui onus transfert iure positivo imponitur.

3. Stipes *manuales integre* transmittendae sunt, « nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae » (**c. 840**, § 1).

---

(1) In plenaria sessione 19 febr. 1921, *S. C. Concilii*, ubi allegabatur dispositio Conc. Provincialis prohibentis transmissionem extra dioecesim sine licentia Ordinarii, ad dubium : « An et quomodo dispositio Conc. Provincialis sustineatur in casu », responsum est : « Quoad missas fundatas vel ad instar manualium, vel manuales datas intuitu causae piae, *Affirmative* ; in reliquis, servetur c. 838 Cod. iuris canonici. » (AAS, XIII, 1921, 229 ; *Per.* X, 294, E). Ac postea votis Ordinariorum istius provinciae, satisfactum est per indultum.

integre transmittendae sunt hac saltem ratione ut celebrans ex celebratione ius ad totum stipendium acquirat.

Estne ista praescriptio *solius iuris positivi* quod, iam ab Urbano VIII et Innocentio XII, C. *Nuper*, 23 dec. 1697, sancitam, pluries deinde et nunc c. 840, § 1 confirmatur, *an etiam iuris naturalis?* Sunt qui existiment per se licere ut sacerdoti offerat minus, iustum tamen stipendium; atque excessum retineat, quia haec sit communis norma admissa de eo qui susceptam obligationem per alterum exsequitur. Sic ipse BUSEMBAUM in c. 3, d. 1, n. 6 *De Eucharistia*. Alii idem sacerdoti, non autem viro laico transmittenti, per se licere putant, quia in sacerdote, non autem in viro laico, impletur intentio oblatoris qui eleemosynam congruae sacerdotis sustentationi deputabat. Sic SUAREZ, *Sacr.* I p., d. 86, s. 3, versus finem. Verum falsa nobis videtur haec assimilatio transmittentis eleemosynam cum executore cuiuslibet obligationis. Qui enim eleemosynam missae eam acceptanti offert, nullatenus, saltem per se, simpliciter huic dicit: « Cura ut tot missae celebrentur »; sed cum missis quae dicentur talem eleemosynam coniungere intendit; nullum alium titulum praeter celebrationem admittit quo pecunia ista servari possit. Nec eam sustentationi sacerdotis *immediate*, sed solum mediante celebratione destinat. I. e. pecuniam non dat nisi qua *stipendium* missae. Nec res indifferens est; namque ex abundantiore eleemosyna meliorem seu intensiorem sibi sperare potest applicationem fructus (Cf. *S. C. C.* in causa Montisvidei et aliarum, 10 ian. 1920, inter animadversiones secretarii. AAS, XII, 1920, 72; *Per.* X, 351). Cum longe communiore hodie sententia, tenemus igitur eleemosynam ita offerri solitam esse, ut iam per se, distributor vel sacerdos qui susceptam obligationem ad alterum transfert, nullo titulo partem recepti stipendii sibi retinere possit.

Qui partem stipendii *clam* retinuerit, peccavit contra iustitiam et tenetur restitutione. Ita dicimus, cum S. ALPH., L. 6, n. 321, et probamus tum ex natura delicti, quod furti malitiam continet, tum ex obvio sensu decretorum S. Sedis. Iam ALEXANDER VII, prop. 9 damnavit: sacerdotem satisfacere posse per alium, « collato illi minore stipendio »; et BENEDICTUS XIV Brevi *Quanta cura*, § 2, collectores missarum qui partem stipendii sibi retinebant non immunes a furto declaravit. Quare saltem de iis qui non sunt sacerdotes, (collectores enim per se non erant sacerdotes) res iam dubitari nequit.

Est tamen etiam hodie qui putet obligationem restitutionis non certo constare. Sic BALLERINI, IV, 1017, et magis expresse NOLDIN-SCHMITT, III, 192 et ARREGUI, n. 567, 5. Sed cf. validas rationes tum historicas tum intrinsecas, quas his opponit R. P. ARENDT, in opusculo *De laesione iustitiae commutativae in missae manualis stipendio alteri celebranti diminuto* (Prati 1914). Iniustitia ista primario laedit ipsum stipendii oblatorem. Quare c. 840, § 1 admittit *ab oblatore* expresse permitti posse ut aliquid retineatur. Restitutio tamen etiam fieri potest sacerdoti celebranti; immo huic facienda est occulta restitutio, ut voluntas non revocata oblatoris effectus suos sortiatur.

Iustitiam autem non violat qui titulo donationis obtinet a celebrante partem stipendii vel etiam totum stipendium quod tradere debebat. Ac per se res perinde se habent, sive gratis sive pro partiali stipendio celebrans missam offerre voluerit. Periculum tamen abusus multo maius est in partiali quam in completa donatione. Quare partialis liberalitas prohiberi potuit ubi admittebatur plena, et cautius quam completa, proponenda et admittenda est.

[107]

Ipse c. 840 sinit ut retineatur excessus supra taxam dioecesanam, si *certo constet* excessum intuitu personae datum fuisse, ita ut non sit formalis pars stipendii.

4. « In missis ad *instar manualium*, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus, et satis est remittere solam eleemosynam manualem dioecesis in qua missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae » (c. 840, § 2).

Fundator enim non tantum missas praescripsit, sed etiam servitio ecclesiae cuiuspiam ac proin eius beneficiariis prodesse voluisse censetur. Codex tamen non simpliciter permittit ut pinguior missae fundatae eleemosyna ex parte retineatur quotiescumque missae alibi vel ab alio celebrentur ac per se debebat, sed hanc condicionem apponit : « Si maior eleemosyna beneficii aut causae piae sit tamquam dos partialis ». Verum tunc non exigit ut tribuatur eleemosyna consueta loci ubi missae fundatae erant, sed sufficere declarat ut solvatur eleemosyna dioecesis ubi missa celebrabitur. Id callidis artibus locum dare potest. Frequens tamen abusus esse posse non videtur.

108. - **Corollaria vel Scholia.** Iuvat quibusdam casibus traditam doctrinam illustrare. In his solvendis prae oculis semper habenda est regula c. 827 de omni specie negotiationis a stipe missarum arcenda, praeter principium iustitiae de implenda offerentis voluntate.

1. Licet alterum rogare ut velit *gratis* celebrare et totum stipendium transmittenti cedere. — Nec vetatur sacerdos ut a celebrante partem stipendii petat ob *causam peculiarem* cuiuspiam solandae afflictionis vel boni operis, dummodo ne concessio fiat condicio sine qua missa non transmitteretur : tunc enim ratio verae liberalitatis abest ; et dummodo missae ne colligantur cum animo obtinendi hac ratione partes stipendiorum : tunc enim species commercii induceretur.

2. Possunt sacerdotes *intentiones* missarum inter se commutare, retentis respectivis stipendiis etiam inaequalibus, cum tunc alter alterius stipendio ex toto renuntiet, et abusus sit difficilior. Improbanda tamen foret studiosa pinguioris stipendii captatio, si nempe frequenter, conquirendo pinguia stipendia, tibi huiusmodi lucra compares.

3. *Parochus* qui alteri committit cantandam missam cuius celebratio inter iura parochialia reponitur, v. g. in exsequiis defunctorum, celebranti tradere non debet nisi eleemosynam consuetam pro missa quae tali hora canatur : reliquum licite retinet ut pertinens ad iura stolae. Cf. resp. *S. C. C.* 25 iul. 1874 (*Coll. P. F.*, II, 1422).

4. Is *cui* legatae sunt missae quas testator supra consuetam eleemosynam taxaverit, si onus per alium impleat, excessum titulo legati facile servare poterit.

5. Si vero missae, non definito sacerdoti, sed ecclesiae legatae sint, *S. C. C.* 25 iun. 1874 aestimavit eleemosynam, ex mente fundatoris, a celebratione separari non posse. Multo minus haec separatio permittetur, si ne ipsa quidem ecclesia determinata fuerit : constat tunc testatorem soli celebranti favere voluisse.

6. *Rectoribus ecclesiarum* non licet ex stipendiis *manualibus* quidquam detrahere quo decori et ornamento ecclesiae consulatur ; idem licet ad *expensas celebrationis* solvendas, si ecclesia alios reditus huic fini destinatos non habeat, modo tot missae celebrentur quot ab offerentibus fuerint praescriptae. *A perpetuis* autem *fundationibus* utensilium impendia detrahere fas est. Cf. *A. S. S.* XXI, 301.

Nec rector ecclesiae prohiberi videtur quin a sacerdotibus *extraneis* qui in ipsius ecclesia celebrare cupierint, postulet ut impendia celebrationis solvant. Cf. S. Alph., L. 6, n. 322 fine ; d'Ann., III, 190 (17).

7. Qui maius stipendium sine titulo extrinseci laboris vel simili exigit, in foro *externo* praesumitur simoniacus; in foro vero *interno* reus est scandali, violatae legis ex religione obligantis, et etiam iniustitiae, cum ultra iustum petat (BUCCERONI, II n. 626), non autem peccati *simoniae*, nisi vendere sacra voluerit, ut si maius petat propter altare privilegiatum vel locum miraculosum.

8. Qui missas pro stipendio accepto promiserat et non celebravit, *oblata* pecuniae restitutione per se non liberatur, cum oblator stipendii missis ad quas ius sibi comparaverat nihilominus frustretur, nec pecunia missis aequivaleat. Sed vel occasio eidem offerenda est obtinendi missas, vel condonatio obtinenda est a S. Sede, quae ex thesauris Ecclesiae defectum supplere potest.

109. - IV. Missarum annotatio.

1. *Rector* cuiuslibet ecclesiae vel loci pii in quibus eleemosynae missarum recipi consueverunt, accurate, in peculiari libro, notare debet missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem. Atque Ordinarii (sive locorum sive Superiores maiores religionum clericalium exemptarum) huiusmodi libros *singulis annis* per se vel per alios recognoscere debent (c. 843).

2. Ipsi ceterum *Ordinarii locorum* et *Superiores religiosi* qui propriis subditis aliisve missas celebrandas committunt, quas acceperint missas cum suis eleemosynis in librum per ordinem referre debent. « Immo omnes sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, debent accurate annotare quas quisque missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit » (c. 844).

Id onus conscientiae esse per se patet, ne propter incuriam nostram, graves obligationes ipsi violemus, vel, casu quodam oppressi, inextricabiles difficultates successoribus paremus.

110. - 1. Partes Ordinariorum et Superiorum. Ordinarius loci manualem missarum stipem in sua dioecesi definit per decretum, quantum fieri potest in dioecesana synodo latum. Ubi desit Ordinarii decretum, consuetudo dioecesis servanda est. Atque etiam religiosi exempti huic decreto aut consuetudini stare debent (c. 831).

2. « Ius et officium vigilandi ut onera missarum adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium; in religiosorum ecclesiis ad eorum Superiores » (c. 842).

3. Poenae. Non uno decreto anteriore poenae latae sententiae statutae fuerunt. Has Codex non confirmat; vult autem ut qui deliquerint contra praescriptum c. 827, quo omnis etiam species negotiationis a stipe missarum arcetur, vel c. 828, quo tot iubentur celebrari et applicari missae quot stipendia accepta fuerint, vel c. 840, § 1, praecipientis ut missas transmittens acceptas stipes manuales missarum integre transmittat, ab Ordinario suo pro gravitate culpae puniantur, non exclusa suspensione, aut beneficii vel officii privatione, vel, si de laicis agatur, excommunicatione (c. 2324).

Caput II. - De sanctissimo Eucharistiae sacramento

Art. I. - De ministro sacrae communionis

111. - 1. « Minister ordinarius sacrae communionis est solus sacerdos » (c. 845, § 1). Per se enim eius est qui consecrat dispensare consecratum. Sacerdos dicitur minister *ordinarius*, quatenus accepta ab eo potestas ordinis hanc ministrationem ss. eucharistiae directe respicit.

2. *Licita* tamen administratio postulat aliquam potestatem pastoralem, seu iurisdictionem, sive propriam, sive delegatam, quia pascere oves, quod maxime fit per sacramenta, proprium est pastoris.

Ex ipso *munere*, dispensatio ista pertinet ad Ordinarios et ad eos qui sunt parochi vel quasi-parochi.

Delegatio autem a pastore immediato vel mediato conceditur, vel ipsa lege conferri potest. Immo, quia administratio semper valida est, ius facultatem tribuit ei quoque qui eam rationabiliter praesumit.

3. *Ipso Codicis iure*, facultas ministrandi s. communionem tribuitur omni rectori ecclesiae, ut indirecte colligimus ex c. 846. § 2, qui rectorem istum ut auctorem licentiae dispensandi agnoscit : — dein omni sacerdoti intra missam ; tunc, cum est ad altare indutus ornamentis sacris, ante et post suam missam, si haec sit privata. Reservatur tamen prohibitio Ordinarii loci, qui ob iustas causas et in casibus particularibus ministrationem in oratorio *privato* vetare potest (c. 846, § 1, et 869).

Itaque non possit episcopus seu Ordinarius loci decreto generali communionem in privatis oratoriis vetare ; sed iustae causae adesse debent prohibendi communionem vel in tali oratorio, vel tali die, ob adiuncta extraordinaria.

Ipsa ratio liturgica suadet ut cum omni missae celebratione communio fidelium coniungi possit. De sola missa quae, ex Codice, in nocte Nativitatis Domini in ecclesiis paroecialibus et collegiatis cani potest, probabilis exceptio habebatur, quae nunc e privata Commissionis declaratione sublata existimari potest.

Resp. datum est episcopo Tuguegaraoensi, et prodiit in CULTURA SOCIAL, Manila, apr. 1920, p. 225, *sed non est promulgatum*. Quare res nondum plane constat. Concordat tamen stylus *S. C. Concilii*..

4. Idem Codicis ius facultatem sacerdoti *extraneo* tribuit distribuendi communionem etiam extra missam, ex licentia vel formali vel saltem praesumpta rectoris ecclesiae. Sacerdoti, inquam, extraneo : namque sacerdotes addicti ecclesiae habitualem istam licentiam habere censentur.

Iam a decreto 28 nov. 1912, *S. C. C.* (AAS. IV, 726 ; *Per.* VII, 70) quo Pius X sustulit prohibitionem ministrandi, die Paschatis, s. communionem in ecclesiis non parochialibus, praesertim regularibus, et, vigente Codicis iure, ne tempore quidem paschali, Ordinarius vel parochus communionem missis coniunctam auctoritative inhibere possunt. Quia tamen nihil cogit sacerdotem ut communionem dispenset, caritas christiana ipsi interdum suadebit ut obtemperet parocho qui oves propria manu communicare cupiat.

5. Quod omni ecclesiae rectori per se licet, firmatur privilegiis pontificiis in *ecclesiis regularium*, quae, post modo allegatum decretum Pii X, valent pro omni anni die.

6. *Consuetudo* qua, v. g. in Urbe, communio feria V. in Cena Domini reservatur ecclesiis parochialibus, utpote quae c. 867 et 869 adversetur, servari non potest nisi fuerit centenaria, et Ordinarius loci iudicaverit eam prudenter tolli non posse.

In indictione Quadragesimae, eius observatio a Card. Vicario praecipi consuevit.

112. - Minister « **extraordinarius est diaconus**, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur » (**c. 845**, § 2).

Itaque non omnis sacerdos, sed is tantum qui ordinaria dispensandi eucharistiam potestate fruitur, hanc licentiam diacono dare potest.

Parochus enim hic, lato sensu, intellegitur esse omnis sacerdos cui ex officio competit dare ss. eucharistiam, ut v. g. Superior religiosus, ordinarius confessarius monialium vel eius vices gerens, cappellanus suffectus parocho pro religiosa familia vel pia domo (cf. Cappello, *Sacr.* I, n. 323 et 329), non tamen omnis rector cuiuslibet ecclesiae.

Dum c. 741 iusta causa contentus est ut diacono committatur baptismus, hic postulat *gravem* causam. Haec tamen non debet esse gravissima, et practice fere similis aestimatur causae quae sufficit ut diaconus baptizet (cf. n. 24). Si nec Ordinarius nec parochus commode adiri possunt, licentia legitime praesumitur, in casu necessitatis (non stricte sumendae), quae iam habebitur quando gravis causa est dandi ss. eucharistiam, et sine diacono non daretur.

Gravis causa aderit, si parochus sit in magno aliquo festo aliis ministeriis nimis distentus ; si aliter plures fideles *diu* occasionem communionis exspectare deberent : quae vox *diu* relative pensanda est, attenta fidelium qualitate et ipsa hora qua petunt. Cf. S. Alph., L. 6, n. 237.

Diaconus indebite s. communionem ministrans, vel parochus indebite rem diacono committens, per se graviter peccant, cum regulas hierarchiae ordinis in re notabili violent. Non ideo tamen fit diaconus irregularis, quia est minister extraordinarius ss. eucharistiae, ita ut non usurpet ordinem non suum. Cf. Cappello, *Sacr.* I, 332.

113. - In casu *extremae* necessitatis, ut si moribundus aliter viatico praecepto privandus sit, vel publicae rationis, ut si sacra dape reficiendi sint catholici, maxime sacerdotes, iniuste carcere detenti et gravibus

poenis obnoxii, quivis, etiam *laicus* poterit, secluso scandalo, et alios et seipse communicare (cf. resp. *S. C. P. F.* 21 iul. 1841 ; *Coll. P. F.* n. 928). Praevalet tunc istud : sacramenta propter homines. Sed, si fieri potest, laici isti vel inferiores clerici se gerere debebunt secundum instructiones Ordinarii vel parochi.

Laici vel clerici inferiores indebite s. eucharistiam ministrantes fiunt irregulares, ex c. 985, 7.

Ubi desit alius sacerdos, facilius, remota fidelium miratione, poterit sacerdos *se ipse* communicare, cum sacrum facere nequit, etiam ex sola devotione. Et potius quam id diacono committat, se ipse communicet. Neque id, si indebite factum sit, putamus esse grave.

114. - De communione infirmis deferenda haec Codex habet. 1. *Publice* deferenda est, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat (c. 847). — 2. Publica ad infirmos delatio pertinet, tamquam ius et officium, ad *parochum territorii*, ita ut alii id non possint nisi in casu necessitatis aut de licentia, saltem praesumpta, parochi vel Ordinarii (c. 848). — 3. *Privata* delatio permittitur cuivis sacerdoti, de venia saltem praesumpta, non iam solius parochi, sed alicuius sacerdotis cui custodia ss. eucharistiae commissa sit. Sed praescriptae a S. Sede normae de ritu tunc adhibendo, accurate servandae sunt (c. 849). Delatio tamen s. communionis per *modum viatici* reservatur parocho territorii in quo infirmus decumbit, nisi agatur de *episcopo*, cui canonici, secundum ordinem praecedentiae, sacramenta infirmorum ministrare debent (c. 397, 3) ; — vel de professo, novicio, aut alia persona quae causa famulatus, educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis diu noctuque degit in domo religionis clericalis : nam tunc ius est et officium Superiorum religiosorum (c. 514, § 1) ; — vel de domo monialium (etiam ubi vota sollemnia suppressa sint) : nam tunc pertinet ad *ordinarium* confessarium, vel ad illum qui eius vices gerit (c. 514, § 2) ; — vel etiam de alia religione laicali, pro qua Ordinarius cappellanum parocho suffecerit (c. 514, § 3). Cf. c. 850.

Liquet autem eandem ministrationem alii sacerdoti licere in casu necessitatis, vel de licentia, saltem praesumpta, eius cui ius est et officium.

De normis istis, haec pauca observanda sunt :

1. *Rationabilis causa* occulte deferendi eucharistiam infirmo varia et diversi fontis esse potest : periculum publicae irreverentiae, in locis acatholicorum vel civitatibus ubi non pauci sunt contemptores religionis, — oppositio familiae aegroti, quae timet, v. g. ne si innotescat esse infirmum in domo negotiationis, a clientibus deseratur vel minus frequentetur ; — timiditas ipsius aegroti, ac multo magis formido ne in suspicionem veniat sacrilegii anterioris ; — incommoda nimis fre-

quentis delationis publicae ; — negatio publicae delationis facta a parocho, ut si statuerit, s. communionem bis tantum vel ter in hebdomada aegrotis palam deferendam esse. Praesenti enim disciplinae consentaneum est, ut usus cotidianae communionis praeferatur publicae delationi qua prior impediatur. Contra atque, innixi can. 849 § 1, cum pluribus auctoribus in prioribus editionibus scripsimus, *S. C. de Sacramentis*, resp. 16-19 dec. 1927, quod 5 ian. 1928 vulgatum est, iudicem de iusta et rationabili causa delationis occultae fecit *solum Ordinarium loci*, addita tamen mente quam Secretarius S. C. in suis annotationibus claram et gravem pronuntiavit : i. e. Ordinario cavendum esse ne per sua praescripta « praepediatur infirmis *solacium communionis etiam cotidianae* ». (Cfr AAS, XX, 81 ; *Per.* XVII, 27 ss.). Liquet facultatem suam ab Ordinario aliis ex toto vel ex parte delegari posse.

2. Observes, de ipsa publica delatione, casus evenire posse ubi licentia a parocho negata rationabiliter praesumatur e voluntate Ordinarii.

3. Quando ss. eucharistia occulto defertur, sufficit licentia cuiuslibet rectoris ecclesiae vel custodis ss. eucharistiae, quia haec administratio assimulatur administrationi quae fiat in ecclesia. Facultatem autem ipso iure factam, Ordinarius auferre vel restringere nequit. Quare non iam interroganda sunt statuta ad videndum utrum necne alii ac parochi facultate uti possint.

Normae autem S. Sedis sunt ritus a Benedicto XIV propositus : « Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus ; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat ; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur ». Postrema tamen rubrica in non uno loco, atque in ipsa Urbe, non raro neglegitur. Quod parum sane laudandum est ; a recepto tamen more nemo, cum aliquo incommodo, discedere debet, si paratus sit oboedire Superioribus qui legem urgeant.

4. *Viaticum* stricte acceptum est communio quae in gravi mortis periculo est facienda de *praecepto* divino et ecclesiastico. Latius acceptum, est communio quam infirmus periculose decumbens facit ex devotione, praesertim non ieiunus (c. 864 et 858). Ne, contra mentem Codicis, difficiliorem reddamus refectionem sacramentalem eorum qui eadem magis opus habent, viaticum cuius ministratio parocho vel aliis reservatur intellegimus de solo viatico stricte accepto seu praecepto. Quare licebit alii sacerdoti afferre communionem infirmo non ieiuno, postquam parochus viaticum necessarium ministravit. Et quia nulla est obligatio ut, exoriente periculo, viaticum statim recipiatur, idem permittemus ante istam ministrationem, dummodo, tempore opportuno, advocetur proprius pastor ad sacramenta quae ultima dicuntur administranda. Ac nisi istud concedas, fiet saepissime, propter praeiudicia et animi timores, ut periculose decumbentes diu tanto cibi caelestis subsidio in sua maiore necessitate privati maneant.

N. B. Codice sublata est excommunicatio antea lata contra Regulares qui, omissa debita licentia, viaticum saecularibus ministrarent.

115. - Ritus. — Sacerdos semper proprio ritu ministrare debet s. communionem, etiam fidelibus ritus alieni. Si tamen in urgente necessitate desit sacerdos diversi ritus, licet sacerdoti orientali qui fermentato utitur eucharistiam in azymo ministrare, et vicissim, latino aut orientali qui utitur azymo, ministrare in fermentato. Sed suum quisque ritum ministrandi servare debet (c. **851**, § 2).

Observes facultatem fieri non *consecrandi* diversam speciem, sed mere eam ministrandi ; necessitas autem non est viatico circumscripta. Habebitur igitur quotiens fidelis, illa die, communione moraliter impediretur, nisi sacerdos speciem

diversi ritus ei ministraret. Puta in loco esse unicam ecclesiam, quae species servet fermentatas. Absente sacerdote ritus orientalis, sacerdos latinus poterit, ritu suo, porrigere ex ciborio speciem fermentatam iis qui secus communicare non possent. Id tamen non poterit, si occasionem habeat consecrandi materiam sui ritus.

2. Vetatur in Ecclesia latina dispensatio sub *specie vini* (c. 852), etiam, ut communiter intellegunt, si necessitati viatici aliter consuli non possit. Existimat tamen CAPPELLO, n. 451, praeferri posse legi ecclesiasticae divinum praeceptum sumendi viatici, si nulla prospiciantur incommoda.

Art. II. - De subiecto sacrae communionis

116. - 1. Regula generalis. « Quilibet baptizatus qui iure non prohibetur, admitti potest et debet ad sacram communionem ». His verbis **c. 853** sancit ius christiani ad spiritualem animae suae refectionem, sine positiva dignitatis suae demonstratione.

2. *Religio* tamen, ne res sacra profanetur ; *caritas*, quae scandalum vetat et participationem peccati alieni ; *fidelitas* in concredito dispensationis munere, ministrum cogunt ut dignitatis recipientis sacramentum rationem prudenter habeat.

3. Ad duo summa capita regulae revocantur : *a*) ubi *occulta* fiat petitio, sacramenta *dignis danda, indignis deneganda* sunt. Nulla enim alia ratio hic per se consideranda occurrit. Excipe prohibitum usum secreti sacramentalis ;— *b*) ubi *publica* fiat petitio, *arcendi* sunt *publice indigni*, manifestique infames, non autem *peccatores occulti*. Etenim, nihil obstat quin publicus peccator pro merito tractetur. Atque facile intellegitur cur, etiam post recuperatam gratiam, idem non possit cum detrimento boni publici, seu antequam scandalum cessaverit, sacramentum postulare. Rationes rursus ex bono publico petitae, plus quam ratio famae non laedendae, sunt potissimae ad declarandum cur *occulti* peccatores qui publice petant repellendi non sint (cf. *Theol. mor.* III, n. 192). Tribuere enim sacramentum *mere indigno*, qui per se ad ultimum usque momentum, actu contritionis, se dignum efficere possit, non est intrinsece illicitum, sed est cooperatio materialis ad peccatum alienum, quam rationes petitae ex bono hominum, propter quos sunt sacramenta, ad excusandum valent. Iam vero nefas videtur ut ex privata et fallibili indignitatis scientia, quilibet minister possit cum periculo alucinationis et erroris, ex ignorantia, levitate, animi passione fideles publica ignominia afficere. Atque etiam si pro merito causae egerit, minister videretur tamen pro lubitu suo dare et negare sacramenta, quod multis offensionibus et perturbationibus occasionem praeberet, et gravissimum scandalum pareret avertendi fideles ab ipsis sacramentis frequentandis.

117. - Quinam sunt publice indigni qui repelli debent ? Et quem diu arcendi sunt ?

a) *Publice* indignus est *stricte* ille solus cuius peccatum vel indignitas communiter iam cognoscitur ; *minus* stricte ille qui nondum est infamis, sed cuius iniquitas notorietatem iuris habet, propter sententiam iudicis vel confessionem delicti in iudicio (c. 2197, 2°), vel nulla tergiversatione iam celari queat. Secus est *occultus*. *Occulte* autem petit sacramentum qui petit coram solo ministro, vel coram paucis aliis quorum ratio habenda non est.

Codex, c. 855, quem repetit *Rituale Rom.* t. IV, c. 1, n. 8, publice indignos vocat excommunicatos, interdictos, manifestoque infames. Antea, in superioribus editionibus, exempli causa indicabantur plures (feneratores, magi, sortilegi, blasphemi) quorum indignitas regulariter tollitur cum sacramenta petunt, vel petiisse praesumuntur.

Nec publice indigni per se sunt qui partes liberalium vel socialistarum sectantur : aequivoca enim est ratio liberalismi et socialismi, et in quibusdam bona fides admitti potest. Sed publice indigni fere erunt notorie excommunicati, interdicti, meretrices, concubinarii, exercentes professionem notorie illicitam, munus publico decreto prohibitum. Sunt etiam ii liberales vel socialistae qui de receptis sacramentis veluti glorientur tamquam motivo impaenitentiae et perseverantiae in errore.

b) Ne sanctum canibus dari videatur, Codex, citato canone, et *Rituale rom.* publice indignos arcent a mensa eucharistica « nisi de eorum paenitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint ».

Itaque distingui debent ii a quibus sola emendatio postulanda est et ii qui praeterea publicam satisfactionem seu reparationem dare debent. Publicus accessus ad sacramentum paenitentiae per se sufficit ad emendationem probandam. Et accessus iste facile praesumi potest. Alii se separare debent a concubina, lupanar relinquere, dimittere officium. Et si vulgo constet quempiam, non obstante confessione, saepius relapsum esse, generatim per aliquod tempus probandus erit antequam ad s. mensam admittatur. Confessarii autem erit tales monere de obligatione sua, ne se obiciant repulsae.

Immo *in dubio* de emendatione et praestita satisfactione, potius huiusmodi publico peccatori eucharistia deneganda censetur. Sic ex S. Alph., L. 6, n. 48 ; d'Ann., III, 262 et Lehmkuhl, II, 56. Contra, ubi ex denegatione maius malum formidandum est, adiuncta omnia perpendenda sunt, et, si copia habetur, recurratur ad Ordinarium loci. Maxima hodie prudentia in nostris regionibus opus esse, nemo non videt.

In *mortis articulo*, satis erit ut curet confessarius, petita, quantum opus sit, facultate ab aegroto, ut norint fideles moribundum satisfecisse, prout poterat, praesentibus obligationibus. Praeferenda tamen erit ipsius aegroti retractatio coram duobus testibus. Et si concubina, vel adultera pars (v. g. quae post divortium matrimonium mere civile iniit)

in ipsa domo infirmi versetur, huic, palam saltem, eucharistia deferri non poterit.

Quid si *publice* petat is cuius delictum nondum est stricte publicum, vel publicum est in alio loco non autem in loco ubi sacramentum petit ? Propter timendum scandalum fidelium, probabiliter non est denegandum sacramentum, nisi, propter mox futuram divulgationem, maior populi offensio ex concesso sacramento oriretur.

Repelli tamen quoque poterunt qui ad sacram communionem accedant minus modeste vestiti vel eo ornatu quem probati usus prohibent, praesertim si prius, saltem generali edicto, moniti fuerint. Hi non arcentur tamquam peccatores, sed ut importuni et inurbani petitores, nec infames fiunt ex repulsa cuius ratio est manifesta.

118. - Communio puerorum. Quamvis pueri baptizati valide et fructuose hoc sacramentum recipiant, praesens tamen Ecclesiae disciplina, qua maiori reverentiae sacramenti consulitur, canone 854 expressa, haec varia de *pueris* statuit : 1. non sunt admittendi qui, propter aetatis imbecillitatem, nondum huius sacramenti *cognitionem* et *gustum* habent ;

2. in periculo mortis constituti, ad s. communionem admitti *possunt* et *debent* qui corpus Christi a communi cibo discernere, illudque reverenter adorare norunt ;

3. extra periculum mortis, haec plenior cognitio et accuratior praeparatio exigi dicitur, qua saltem mysteria necessitate medii credenda noverint et devote pro suae aetatis modulo ad ss. eucharistiam accedant ;

4. confessarii puerorum eorumque parentes vel qui loco parentum sunt, de sufficienti puerorum dispositione iudicant ;

5. parocho duplex officium assignatur : *a*) advigilandi ne pueri ante usum rationis vel sine sufficienti dispositione ad s. synaxim accedant : quam vigilantiam etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, exercere potest ; — *b*) curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quam primum hoc divino cibo reficiantur.

Ut canonem istum, pro momento suo, non nihil exponamus, primo id probe tenendum est, per eum varias normas decreti S. C. *de Sacramentis*, *Quam singulari*, 8 aug. 1910, prorsus confirmari. Immo fere iisdem verbis eas Codex exhibet. Sic enim sonat art. 3 dicti decreti : « Cognitio religionis quae in puero requiritur ut ipse ad primam communionem convenienter se praeparet, ea est qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione quam ipsius fert aetas, ad ss. eucharistiam accedat ». Hac tantum ratione Codicis normae a normis decreti differunt, quod decretum ferebatur ad convellendum errorem eorum qui communionem puerorum nimis procrastinabant ; ac proin in facilitate qua pueri admittendi erant insistere debuit ; dum Codex etiam, ut est humana natura in nimietates proclivis, excessus contrarios compescere vel impedire debuit eorum qui, appositis decreto condicionibus minime

attendentes, pueros promiscue ad s. mensam quasi compellunt. Quare, huic indiscreto zelo occurrere volens, necessitatem plenioris cognitionis et accuratioris praeparationis in sano puero, magis in recto ponit et vindicat.

Porro tria in hunc finem praestat : § 1, negative procedens, cum *Rituali Romano*, pueros arcet quibus ss. eucharistiae cognitio et gustus desint. *Gustus* intellegi potest esse vel *fames* seu sincera voluntas qua Christum recipere cupiant et non tantum placere parentibus et adultos imitari ; vel *devotio*, aetati proportionata. Condicio enim accessus sub forma famis a D. De Ségur : *Il aime Jésus-Christ et le désire* ; sub forma devotionis a S. Thoma reddebatur : « Quando pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere ut possint devotionem concipere huius sacramenti ». Iam vero uterque locus in decretis S. Sedis laudatus est.

Dein § 3, positive admittendos dicit eos qui mysteria necessitate medii necessaria pro suo captu percipiant, et devote pro suo modulo accedant.

Denique § 5, regulare tempus indicat : *adeptum usum rationis*. Ante enim repellendi sunt ; postea autem adducendi vel quam primum disponendi sunt pueri. Ex can. autem 88, septennium completum praesumitur esse illud tempus. Ut patet, pro puerorum cultu, pro ipso caelo sub quo vivunt, exceptiones frequentiores vel minus frequentes esse possunt.

Quare, non minus quam post decreta Pii X, post promulgatum Codicem pueri, nondum septennium assecuti, admitti poterunt si condicionibus satisfaciant ; sed, ante septennium completum, contrariam praesumptionem diluere debent, dum post septennium, praesumptio capacitatis ipsis favet.

De *generali* puerorum *communione* nihil insinuatur : usus igitur regionis respiciendus erit.

Quaeri demum potest, quomodo, de dispositione puerorum, iudicium quod confessario et parentibus permittitur cum officio vigilantiae parochorum componatur ?

Hac, ni fallimur, ratione. De *singulis* pueris, parentes et confessarii iudicare possunt, nec parochum monere vel consultum adire debent. Simul *generalis* quaedam inspectio, quasi fori exterioris, parocho committitur observandi quinam pueri accedant vel communicare omittant. Tunc, si ex accedentibus quosdam imperitiae suspectos habeat, illos etiam per examen probare potest ; posteriores vero quos aptos vel disponendos existimet, ad sacram communionem perducere conabitur. In utroque casu, oportet ut auctoritate valeat apud parentes (1) ; stricta tamen obligatio ipsi parendi iure non imponitur. Sed non possit parochus, hoc can. 854 fretus, primam puerorum communionem in sua paroecia condicioni praevii examinis generaliter subordinare.

Nec puerum qui publice sed reverenter s. communionem petit repellet a sacra mensa, quia de aetate dubitet vel ipse maiorem postulaverit praeparationem. Talis puer enim non est publicus peccator vel infamis. Et publica negatio, praesertim si signa impatientiae eam comitentur, diuturnos vel irreparabiles timiditatis vel aversionis effectus, etiam apud alios pueros qui rei testes sint, facile gignet. Licebit tamen parocho qui dubitet de puero, eum blande alloqui et interrogare, et, si casus ferat, suaviter a s. mensa amovere.

119. - Quaeres quomodo de aetate qua pueri ad primam communionem admittendi sint, disciplina ecclesiastica tantopere variare potuerit ?

Res inde explicatur, quod usus ss. eucharistiae non habet necessi-

---

(1) Loquens de pueris quos parochi propter prudens dubium examinarint, *Conc. prov. Mechliniense*, 1920, art. 188, ait : « Parochorum de hisce pueris iudicio standum est. »

tatem medii, saltem in re ; gravis autem praecepti immediate divini obligatio non demonstratur ante aetatem qua plura sunt pericula peccati mortalis, qualis esse solet aetas pubertatis ; ac determinatio initii obligationis, sicut determinatio frequentiae, Ecclesiae a Sponso et Auctore suo relicta est. Cfr LEHMK., I, 200 sq.

N. B. Ferunt, in ephem. *Hostia*, ian.-feb. 1921, responsum Em. C. GASPARRI, ex quo usus rationis in c. 854. 859 et 906 intellegendus est talis qui sufficiat committendo peccato veniali, ita ut capacitas peccati mortalis non requiratur. Ita quidem dicendum erit ab iis qui utramque capacitatem separari posse putant : quod a S. THOMA negatur in 1, 2, q. 89, art. 6. (Cf. *N. R. Th.*, 1921, 232).

120. - Requisitus status gratiae. Status gratiae ex *praecepto divino* postulatur. Et qui est in mortali, sub mortali ante susceptionem eucharistiae confiteri debet nisi sit necessitas communicandi et copia confessarii desit. Ecclesia sic definivit probationem quae ex S. PAULI 1 Cor. 11 est necessaria, sive ius divinum mere declaraverit, sive istud sua auctoritate compleverit. Cfr. Trid. s. XIII, cap. 7 cum can. 11 et 28, et **c. 856.**

Quandonam desit *copia confessarii*, supra, n. 79, 2 est dictum. *Necessitas* autem communicandi in nostris regionibus (1) vix alia erit ac vitandae notae aut infamiae ; nec excusatur qui temere, *malae dispositionis conscius*, cum familia adiverit ecclesiam confessurus et communicaturus, et a sacerdote non fuit absolutus.

Ante Codicem dicebant casum fere unicum fore, si quis iam in scamno communicantium physice vel moraliter fuerit et tunc mortalis peccati recordetur, vel communio paschalis recipienda sit (Cf. BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol.* IV, n. 913. 915). Usus communionis cotidianae frequentiorem casum inducit moralis istius necessitatis communicandi quae adesse censetur cum quis sine suspicione gravis peccati communione abstinere nequit. Ac nunc, specialis canon 856, qui casum praevidet ubi utraque condicio necessitatis et inopiae confessarii sit impleta, benigniorem interpretationem confirmat. Leges, ut ait BALL.-PALM., IV, 915, non scribuntur pro casibus quasi miraculosis. Nihilominus magnopere curandum est ne summa reverentia ss. eucharistiae debita labefactetur. Nec sine aliqua animi anxietate apprehendimus consectaria nimiae facilitatis datae personis fragilibus communicandi sine confessione quae per se erat necessaria. Quare, ut nobis videtur : *a*) ipsa necessitas in primis eliminanda est pro viribus, tum copiam dando confitendi etiam ante missam communionis, tum efficiendo ut omissio communionis in nullam reprehensionem incurrat nec mirationem excitet, tum ita disponendo communiones hominis fragilis, ut, dum interdum communione abstinet, morem suum servare censeatur ; *b*) laudabimus paenitentes qui periculum huiusmodi notae contemnant ; *c*) quamvis damnare non possimus qui, ut notam vitet, actu sincerae contritionis perfectae sit contentus, non positive indulgebimus laicis et iunioribus ut, post peccatum grave, sine praemissa confessione sacramentum eucharistiae suscipiant. Numquam igitur tale quidpiam erit in contione praedicandum. Quis existimet, quantum id derogaret

(1) Alia necessitas fuerit vel servandae ss. eucharistiae a profanatione vel a corruptione ; vel etiam communicandi, si diutius privareris sacra refectione vel non posses aliter praecepto annuae communionis satisfacere, v. g. saeviente persecutione.

reverentiae ss. eucharistiae, quantum horrorem peccati minueret, quantum demeret de conatu ad extirpandam pravam consuetudinem.

Verum haec causa est cur maxime in collegiis, sancta sit libertas non solum communicandi sed etiam abstinendi usu s. eucharistiae ; cur confessarii prudenter dirigant paenitentes in stricte cotidiano accessu ad s. mensam, eumque dissuadeant ei qui facile labitur in peccatum grave, nec paratus est contemnere astantium mirationes ; cur etiam de copia, quantum fieri potest, cotidiana confessarii provideantur communitates ubi pius cotidianae communionis usus florere consuevit.

Non nulli quoque, ut diximus, communionem sine confessione permittunt ei qui secus praecepto paschalis communionis implendo prohiberetur.

Praeceptum autem *statim* confitendi postquam, in necessitate, confessionem omiseris, solos obligat sacerdotes *celebrantes*, non ergo sacerdotem vel laicum qui mere receperit s. communionem.

121. - Requisitum ieiunium naturale. « Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad ss. eucharistiam admitti » : haec est regula generalis c. 858, § 1, cuius mox exceptiones perpendemus.

Quidquid per modum cibi aut potus, etiam ob finem medicinalem, sumptum fuerit a media nocte, ieiunium naturale frangit. Nec parvitas materiae excusat. Ita concors catholicorum sententia.

Quattuor porro condiciones frangendo isti ieiunio necessariae sunt : 1. ut res rationem habeat cibi vel potus ; — 2. ut sumatur ab extrinseco ; — 3. ut sumatur « per modum comestionis aut potationis ». S. Alph., L. 6, 280. Atque hic intentio aliquam efficaciam habere potest ; — 4. ut sumatur a media nocte.

Tempus autem mediae noctis supputari potest secundum usum loci, vel secundum loci tempus verum, vel medium, aut legale, aut regionale, aut aliud extraordinarium. Cf. c. 33 et t. 1, n. 94.

122. - In dubio tum *positivo* tum *negativo*, utrum necne quidpiam post mediam noctem sumpseris, cum communio sit res maxime favorabilis et agatur de exclusione impedimenti non autem de positiva qualitate acquirenda, communicare licet. Sed non ideo fas est quolibet hora noctis comedere aut bibere et dein allegare ignorationem horae ad communicandum. Praeceptum Ecclesiae, ut ipse usus fidelium demonstrat, hanc interpretationem non fert. Cfr. Lugo, *Euch.* d. 15, n. 42. Ut quid in nocte deliberate et licite cum proposito communicandi sumas, oportet, saltem quando media praesto sunt, ut probabiliter iudices non esse mediam noctem.

Quare communiter a communione arcent eum qui, vespere decumbens, aliquid ori contra raucedinem imposuerit, nisi certus fuerit se nihil transmisisse post mediam noctem. Si tamen in animo ipsi erat sorbere totum in statu

vigiliae vel reliquum exspuere, et casu somno captus est, benigna opinio quae communionem permittit admitti potest, et nobis praeferenda videtur. Fieri etiam potest ut ita integra reperiatur res, ut nihil nisi fortasse minimum quidpiam mixtum saliva absorptum sit. Liber tunc patebit accessus ad sacram mensam. Cfr quoque Gén.-Sals., II, 200, 1ª reg.

123. - Exceptiones legi ieiunii. 1. Urgente *mortis periculo* (c. 858). Itaque non soli aegroti sed etiam ii qui ob causam extrinsecam morti exponuntur a lege excusantur. Verum his urgere debet periculum mortis, ita ut commode exspectare nequeant alteram diem qua ieiuni communicent (Cappello, I. n. 514), dum aegroti ex *Rituali* et anteriore interpretatione, nulla incommodi excusatione stricte opus habent. Atque in dubio de periculo mortis, pro facultate communicandi respondendum est.

N. B. Formula : « Accipe, Frater (vel Soror) Viaticum corporis D. N. I. C. » etc. per se quidem usurpanda est, sed omitti potest si timendum sit ne infirmus inde turbetur.

Ac perdurante periculo mortis, post receptum viaticum (praeceptum), atque etiam ante, pluries, distinctis diebus, iterari potest communio infirmi non ieiuni, secundum prudentis confessarii consilium, ac proin etiam cotidie (**c. 864**, § 3).

2. *Metus mortis* secus subeundae, nisi tamen in contemptum praecepti vel religionis id facere rogetur, excusat fidelem qui non ieiunus communicet.

3. Eucharistia exposita periculo *profanationis*, vel *perditionis*, a non ieiuno, etiam laico, sumi potest. Ita ipse canon excipit necessitatem consulendi reverentiae sacramenti.

Huc pertinet absumptio *fragmentorum* post ablutionem, in missa. Itaque post ablutionem licet sacerdoti *per accidens*, nam ex praeconcepto proposito id non est faciendum, sumere minora fragmenta ad idem sacrificium pertinentia, sive sit ad altare, sive iam in sacristia, nondum tamen vestibus sacris exutus. Fragmenta alterius sacrificii sumenda non sunt, post ablutionem, nisi accesserit periculum irreverentiae, ut si, post ultimam missam, detegas particulas minutissimas quae, sine periculo, ad tabernaculum deferri nequeant, aut tabernaculum desit. Immo, ut probabile est, sacerdos ciborium quo statim indiget, purificare potest, quamvis distractus iam sumpserit purificationem calicis, quia haec consumptio censetur una esse cum ipsa s. communione. (Id Lehmk., II, 192, 4, non admittit, si de integris hostiis agatur. Ac sane hac per se servari possunt in ipsa purificata pyxide.) Palmieri, t. IV, n. 947, propendet quoque in sententiam Tamburini, *Exp. comm.* § 8, secundum quam sacerdos, quam diu est ad altare, etiam fragmenta in altero sacro consecrata, in rigore sumere potest.

Ac pari ratione, « si sacerdos deferat communionem infirmo, in valetudinario, et reliquiae in patena vel calice remaneant, poterit sacerdos eas sumere si adhuc sit vestibus sacris (pro missa) indutus. Potest quoque eas statim post parvam hostiam infirmo dare, quia censetur una communio ». Cfr *Rit. rom.*, *Ordo admin. s. communionis.*

N. B *Observatio rubricarum* vel *probata ratio agendi liturgica* impediri non

debet timore fracti ieiunii, quia Ecclesia, dum has normas praebet vel approbat, tacite, quantum opus est, a sua ieiunii lege dispensat. Sic ipsa *S. C.* respondit *salem* ori neophyti impositum in caerimoniis baptismi, non obstare communioni mox sequenti. Sic, quod in priore sacro, dum ante sanguinis sumptionem colliguntur fragmenta, parvae res non consecratae in calicem infundantur et simul cum sanguine Christi sumantur, id non impedit sequentem binationis missam ; ac perinde dicas de guttulis non consecratis quae s. sanguini miscentur ; sic qui Feria VI in Parasceve vinum bibendo partem s. hostiae in calice reliquerit, hanc tuta conscientia sumet ; et qui, sumendo sanguinem Christi, particulam consecratam in calice reliquerit, ex ipsis rubricis Missalis (*De defectibus*, X, 8) optionem habet eam adducendi digito ad labium calicis, vel infundendi vinum et sumendi ; sic demum quando, pro more recepto, post sumptam speciem panis, vinum bibendum datur pueris post primam communionem vel neomystis, nulla anxietate affici debent eo quod prius liquidum deglutierint. Manifesta enim Ecclesiæ intentio haec sua ieiunii lege non comprehendit. Non nulli hanc rationem dant, lege vetari ne quidquam sumas ante communionem, minime autem ne simul cum communione aliud sumas. Ratio prius data nobis videtur magis simplex et adaequata.

124. - « Infirmi qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint » (c. 858, § 2).

Facultas ista primum concessa est decreto PII X per *S. C. C.* 7 dec. 1906 (*Per.* II, 179), sed tunc duplex in hebdomada communio non permittebatur nisi in domibus ubi ss. eucharistia servabatur, vel missa celebrari poterat : extra tales domos communio tantum bis in mense concedebatur ; nec indulgebatur medicina.

Canon iste, cum gravi legi deroget, secundum proprietatem verborum est interpretandus. Attamen usus quidam invaluit benigne intellegendi vocem *decumbentes*.

Ceterae autem condiciones accurate sunt observandae. Itaque requiritur : 1. ut agatur de vere infirmis. Tales sunt quorum vires sive morbo, sive senio, sive debilitate vere fractae sunt, ita ut, saltem moraliter, decumbentes dici possint. Moraliter autem decumbunt etiam ii qui per aliquot horas e lecto surgunt (*S. C. C.*, 6-25 mart. 1907 ; *Per.* III, 311), vel qui ipso morbo usu lecti prohibentur. Nec obstat quod in ecclesia vicina communicent (Ita benignius usus et CAPPELLO, I, 506). Non est opus gravi vel periculoso morbo ; — 2. ut iam a mense decumbant seu infirmitate laborent. Mensis, ex Codice, est spatium 30 dierum. Nullo pacto autem admitti potest ut facultas ad eos extendatur qui morbo afficiuntur qui *praevidetur* futurus saltem triginta dierum. Huiusmodi interpretatione aperta vis inferretur verbis, quae stricte sumenda sunt, et inutilis fit facultas n. 125 memorata ; — 3. ut desit certa spes proximae convalescentiae. Certa spes quandam moralem certitudinem confert. Proxima convalescentia est quae intra paucos dies, tres vel quat-

tuor, obtinebitur : — 4. oportet ut agant secundum prudens confessarii consilium. Ut prudenter agatur, in dando consilio spirituales animi dispositiones in primis considerandae sunt : confessarius tamen de impletis condicionibus privilegii quoque sollicitus esse debet ; — 5. communio non permittitur post laesum ieiunium, nisi semel vel bis in hebdomada. In potestate non est confessarii ut frequentiorem communionem ullo praetextu permittat. Et hoc grave foret. Cf. quoque CAPPELLO, I, n. 506, 4. — Probabilis tamen sententia usum privilegii bis in hebdomada esse sinit ei qui, *ceteris diebus*, utique cum incommodo suo, sacramentum ieiunus recipiat ; — 6. permittitur tantum medicina, vel aliquid per modum potus. Medicina potest esse solida, qualis erit pastillus. Quid rationem medicinae habeat, sensus communis docebit. Directe ad medendum alicui malo ordinem habere debet. Confundi ergo non potest cum cibo qui ad vires roborandas fortior usurpatur, quamvis dici queat sumptus per modum medicinae. Per modum potus autem sumuntur quoque comminata fragmenta solida quae in liquido natant. Hinc iam 7 sept. 1897 verba « per modum potus », ita declarata sunt ut liceret « sumere iusculum, caffeum, lac, aut alium cibum liquidum, etsi ei permixta substantia aliqua, ex. gr. leves pastilli farinae (semolino), panis radula tritus (pangrattato), ovum dilutum, etc. dummodo mixtio non amittat naturam cibi liquidi ». Cf. *Analecta Ecclesiastica*, VI, 1898, p. 142, vel *Nouv. Rev. Théol.* XXX 1898, 301.

Ipsum ovum in statu naturali, seu non decoctum vel valde leviter decoctum dicitur *bibi*. Non autem bibitur, sed manducatur pastillus, saccharum, quamvis oris calore solutum dein deglutiatur. Vulgaris enim vocis usus est ut attendatur ad modum quo ore excipitur : eo momento, non autem postea res dicitur *sumpta*. Quare, quod ovum non decoctum dicatur sumi per modum potus, id facile cum R. P. CAPPELLO, I, n. 507 admittimus, secus autem respondendum putamus de pastillis, saccharo, etc. etiamsi oris calore complete soluta in stomachum immittantur.

Iam non requiritur moralis impotentia ieiunii servandi. Sed nisi serium quoddam incommodum cum servato ieiunio conectatur, consilium communicandi non servato ieiunio, a confessario prudenter dari non poterit.

125. - Iis qui ieiunium naturale moraliter servare nequeunt, S. C. *de Sacramentis*, non tamen pro religiosis, concedit communionem etiam cotidianam, postquam aliquid per modum potus vel medicinae sumptum fuerit. Religiosi, ex responso edito 7 dec. 1922, specialis coetus Cardinalium, S. C. *de Religiosis* adire debent (AAS, XV, 1923, 39 ; *Per.* XII, 43).

Episcopis interdum conceditur ut, in adiunctis descriptis n. 124, communionem ter in hebdomada permittere possint. Ac plus indulgere

possunt infirmis sacerdotibus adoratoribus ex resc. 29 mart. 1926, cum interp. 4 feb. 1927 (*Per.* XVI, 87 et 170). *Nuntii* seu *Delegati Apostolici*, ex n. 42 suarum facultatum, communionem semel in hebdomada permittere possunt infirmis etiam *non decumbentibus* vel ante elapsum mensem a quo decumbunt. Infirmis vero decumbentibus etiam ante finem mensis, possunt *episcopi, Vicarii et Praefecti Apostolici*, vi facultatum Prop. Fid. communionem non servato ieiunio ut supra, permittere bis vel ter in hebdomada, immo cotidie, si infirmi sint sacerdotes vel religiosi.

126. - Sanis praecepta communio. — « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, idest ad rationis usum pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum » (**c. 859, § 1**).

Canone isto confirmatur, addita opportuna explicatione, praeceptum iam Conc. Lateranensi promulgatum.

1. Ac primo, praecepto isto tenentur, ex praesenti disciplina, quotquot *ad usum rationis* pervenerint, etiamsi nondum aetatem septem annorum compleverint. Hic aetas septem annorum praesumptionem quandam suppeditat, quae veritati semper cedit. Usum rationis adepti, non debebunt quam primum communicare ; sed cum ab habito rationis usu lege communi teneantur, non videntur ultra proximum Pascha communionem differre posse.

2. *Semel in anno, saltem in Paschate* : his verbis demonstratur praeceptum virtualiter *duplex* : communicandi *semel* in anno, et communicandi in *Paschate*, ita ut qui in Paschate communicare noluerit vel non potuerit, obligatione annuae communionis teneatur, nisi iam eodem anno *civili* s. communionem digne acceperit (cfr. c. 859, § 4).

Quamvis enim ex const. *Fide digna* Eugenii IV, 8 iul. 1440, annus videatur a Paschate ad Pascha computandum esse, quidam tamen, inter quos ipse Lugo, *Euch.* d. 16, n. 69, supputationem civilem vericrem putant ; oportet tunc ut christianus constans sit in ista supputatione, nec utramque ita coniungere velit ut semel tantum in biennio sacra dape reficiatur : neutra enim sententia ab annua communione dispensat. Non potest ergo qui in Paschate 1926 communionem omiserit, sequendo computationem a Paschate ad Pascha, differre communionem ad annum 1927 ita ut ante Pascha 1927 non communicaverit, quia secundum computationem civilem satis sit in qualibet parte anni 1927 communicare.

Obligatio sumendi *quam primum* post Pascha s. communionem non habetur, nisi ius speciale aliter rem definiverit.

Tempus paschale ad satisfaciendum praecepto ecclesiastico frustra *anticipatur*, nisi ab illo qui per totum tempus paschale praevidet se impeditum iri, et annum a primo ianuario computare velit.

3. *Proprius sacerdos*, i. e. vel parochus vel confessarius, consilium dare potest differendi communionem post tempus paschale. Obtinent ergo facultatem quasi-dispensandi ad tempus in hoc praecepto, propter utilitatem fidelis, rationabiliter intellectam. Propter utilitatem fidelis, inquam, nam consilium non datur nisi de re meliori. Itaque non est proprie dicta facultas dispensandi, propter causam fere excusantem : solam spiritualiter utilem dispensationem concedere possunt. Ac vix alia ratio concipitur esse praeter eam quae ex praesenti indispositione vel minore dispositione colligitur : ut si quis in fide dubius haereat.

Tempus autem ipsa utilitate definitur. Si restituenda sit fides, possit etiam esse satis diuturnum.

Practice tamen facultas ista benigne accipitur de vera dispensatione, quae, etiam extra sacramentum paenitentiae, a confessario conceditur. Sine dispensatione facta, etiam parva dilatio gravis censetur.

127. - Paschale tempus regulariter a dominica Palmarum ad dominicam in albis inclusive decurrit. Locorum Ordinariis tamen fas est, « si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, hoc tempus etiam pro omnibus suis fidelibus anticipare, non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum SS. Trinitatis » (**c. 859**, § 2). Exigentia ista orietur v. g. ex usu recepto, vel etiam ex minore copia confessariorum. Summopere enim enitendum est ut congruum tempus insumi possit in iis audiendis qui semel tantum in anno vel raro sacramentis uti solent ut veram animae refectionem percipiant.

Itaque poterit per modum legis synodalis seu particularis istius loci, tempus paschale ab episcopo intra dictos terminos dilatari. Quae lex, secundum principia generalia, etiam *peregrinis* proderit.

Si non ultra festum prorogari potest, ergo ad ipsum festum SS. Trinitatis inclusive facultatem facere licebit.

128. - **Communionis paschalis locus.** Iam, quod notabile est, praecepto communionis paschalis *in omni loco* satisfieri potest. Fidelibus tamen suadendum est ut « satisfaciant in sua quisque paroecia ; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere » (c. 859, § 3).

Absolute positum verbum *curent*, iussionem significat, quam tamen levem esse contexta oratio demonstrat. Nihilominus non nulli iam, v. g. Cappello, n. 475, rem faciunt consilii.

Verba in *propria paroecia* per se ampliorem vim habent quam in *ecclesia paroeciali*, praesertim cum opponantur satisfactioni in *aliena paroecia*, quae sane, ex ipsa § 1 ubi nullus locus praecepto implendo definitur, de omni alienae paroeciae oratorio intellegitur. Id ergo intendere videtur legislator, ut communione in proprio

domicilio facta, ceteris incolis bonum exemplum detur ; qua aedificatione carebunt si extra paroeciam sacramenta suscipiantur.

Expresso canone 861 monemur praecepto communionis recipiendae minime per sacrilegam communionem satisfieri. Quomodo id componatur cum doctrina quae negat actus interiores ab Ecclesia praecipi posse, cf. nostram theologiam moralem fundamentalem.

129. - Officium parentum, etc. Prudenter et opportunissime monet Codex obligationem impuberum in eos quoque ac praecipue « recidere qui ipsorum curam habent » ; et nominat *parentes*, quibus divinitus est commissa christiana liberorum institutio ; *tutores*, qui vices parentum agere debent ; *confessarium*, quatenus simul est pater spiritualis, vel saltem ex caritate paenitentes de sua obligatione monere debet ; *institutores*, qua proximi, fraterna correptione astricti, et qua delegati a parentibus ; *parochum* ut pastorem cui, c. 854, § 5, cura haec iure specialiter mandata est (c. 860).

130. - Consilium de communione in feria V in Cena Domini. Memorata obligatione communionis paschalis, Codex expedire dicit ut feria V maioris hebdomadae omnes clerici, etiam sacerdotes qui ea die a sacro litando abstinent, sanctissimo Christi corpore in missa sollemni seu conventuali reficiantur (c. 862). Ac re vera huiusmodi generali communione, obtinetur pia repraesentatio Coenae Domini.

Consilio isto *obligatio* non tollitur quam quidam clerici ex lege liturgica habere possunt, communionem recipiendi ab episcopo.

131. - Ad maiores ordines promoti sacram communionem in missa ordinationis recipere debent (c. 1005). Quod praeceptum grave est, saltem neomystis, quia concelebrant cum episcopo.

132. - Frequentia permissa et suadenda sanis. 1. Excepto periculo mortis suborto post s. communionem, aut necessitate impediendi irreverentiam in sacramentum, *semel* tantum in die recipere s. communionem licet (c. 857).

2. « Excitentur fideles ut frequenter, etiam cotidie, pane eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicis traditas ; utque missae adstantes non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam sanctissimae eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent. » Ita c. 863, qui, proin : *a)* usum frequentem, immo cotidianum ss. eucharistiae a sacerdotibus vult commendatum ; — *b)* servandas inculcat normas traditas in decretis Apostolicae Sedis : inter quae decr. *Sacra Tridentina synodus*, 20 dec. 1905, *S. C. C.* (*Coll. P. F.* n. 2225) potissimum locum occupat.

Decreto isti accedunt, decr. 30 maii 1905, concedens indulgentias orationi pro cotidianae communionis propagatione; decr. *S. C. Indulg.* 14 febr. 1906, dispensans a condicione confessionis hebdomadariae quotquot communione quasi cotidiana utuntur; responsa *S. C. C.* 15 sept. 1906, de communione puerorum et infirmorum; litt. enc. *S. C. Indulg.* 10 apr. 1907, de triduana supplicatione quotannis celebranda ad diffundendum cotidianae communionis usum; litt. enc. *Editae saepe*, 26 maii 1910, ob saecularia sollemnia S. Caroli Borromaei, in 2a Parte (1);

c) speciatim vero canon confirmat et de vero optato authentice interpretatur c. 6, S. XXII C. Trid.: « Optaret quidem sacrosancta synodus ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu sed sacramentali etiam eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret ».

Servandae autem normae *morales* sic in pauca conferri posse videntur. *a)* Inopportune mota est quaestio *de specialibus dispositionibus* requisitis ad cotidie communicandum. Dubium enim istud originem ducit a pietatis imminutione et ianseniana lue; effectum habuit elongationem a sacra mensa; et pii eruditique theologi docuerunt « nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad cotidianam quam ad hebdomadariam aut menstruam communionem » (Decr. *Sacra Trid. syn.* III, 3). — *b) Recta mens* ad usum eucharisticum necessaria haec est, ut *finis supernaturalis* ad communicandum inducat, non autem respectus quidam humanus, qui ad communionem impelleret quia alii id faciunt, quia ita fert domus consuetudo; vel vanitas, qua quaereretur laus vel fama devotionis seu pietatis. Quamquam intentio substantialiter pura, humana quadam consideratione misceri potest. — *c)* Ea sufficit *puritas* qua quis a mortalibus immunis est. Nec ullatenus audiendi sunt pauci qui, contra atque verba cum proxime praecedentia tum proxime sequentia demonstrant, sententiam n. IV, 5°, « sufficit nihilo minus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos », interpretantur quasi postuletur propositum fugiendi omne peccatum etiam veniale. Abhorret ab hac interpretatione omnis veluti decreti animus, quo fuga peccati venialis dicitur esse *fructus* cotidianae communionis, nedum sit praerequisita dispositio. — *d)* Pro viribus, condicione, officiis s. dapem sumentis, sedula *praeparatio* et congrua *gratiarum actio* adhibendae sunt. — *e)* Pro *consilio*, adeundus est proprius confessarius, « ut frequens et cotidiana communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur » (*Sacra Trid. syn.* IV, 5°).

Redeunt huc quoque iam dicta de necessitate cavendi ut ubique omnibus integrum sit propriae devotioni consulere, et ad ss. eucharistiam accedere vel ea abstinere, utque facilis copia omnibus suppeditetur confessionis ante communionem.

133. - Frequentia suadenda aegrotis. 1. De *aegrotis* qui non periculose decumbunt, redeunt dicta supra. Per se nullae speciales regulae de his proponendae sunt. Duplici canone de delatione occulta ss. eucharistiae et de usu ss. eucharistiae post sumptum potum vel medicinam, frequens aegrotorum refectio longe facilior reddita est. Et quia sacramenta sunt propter homines, tantum solacium afflictorum quod cultus verus et completus per se comitatur, praeferendum est maiori honori

---

(1) Haec omnia habentur *Periodica*, II, 66-70; 158 166; 177; III, 82-84; V, 152-154; cf. quoque dissertationem, II, p. 77-88.

exteriori quem ex publica delatione ss. eucharistia ante obtinebat. « Quis magis quam infirmus, ad ferendas morbi angustias, auxilio solacioque tanti sacramenti indigere dicendus est? » (Rev. Iorio, Secr. *S. C. de Sacr.* in annot. super resp. edit. 5 ian. 1928). Ceterum disciplinae cui favent recentes S. Sedis instructiones oportet ut, deposita propria persuasione, morem geramus.

2. De *periculose decumbentibus*, vel etiam de iis qui propter causam morbo extraneam in periculo mortis versantur, haec Codex decernit vel permittit : *a*) praeceptum recipiendae s. communionis confirmat ; *b*) suppressa controversia, quae de hac re exstabat, permittit, immo valde suadet ut qui, periculi expers, communionem receperit, eadem die, in vitae discrimen adductus, denuo communicet ; *c*) distinctis vero diebus permittit et decere dicit ut, secundum prudens confessarii consilium, s. viaticum pluries administretur. Pluries, ac proin etiam cotidie, si confessarius id expediens aestimet. Ac per se magis urgenda est cotidiana manducatio panis caelestis iis qui proxima caeli spe confortandi sunt ; *d*) opportunissimo monito, vetat ne sanctum viaticum nimis differatur ; et sedulae vigilantiae eorum committit qui animarum curam gerunt, ut infirmi plene sui compotes viatico reficiantur (c. 864. 865).

134. - Aegroti tamen certo vel probabili *periculo irreverentiae* exterioris a communione prohiberi possunt. Diligenter curandum esse monet *Rituale Romanum*, t. 4, c. 4, n. 4, « ne iis viaticum tribuatur a quibus, ob assiduam tussim, aliumve similem morbum aliqua indecentia cum iniuria tanti sacramenti timeri potest ». Quare iis qui vomitu laborant communionem dare non licet, nisi vir peritus vel experientia docuerit serium evomendi sacras species periculum abesse. Deficiente perito, aliquot horarum intervallum, ut puta sex, exspectandum videtur. Cum delirantibus experientia sumi possit tradendo prius particulam non consecratam. S. Alph., L. 6, n. 292. Cf. *Linz. Quartsch.* 1925, p. 541, ss.

Species autem per vomitum reiectae, si *incorruptae* permanserint, adorandae sunt ; atque iterum assumptae, iterum gratiam conferunt, cum sit nova corporis Christi manducatio. Lugo, *Euch.* 12, 53.

Si vero ob nauseam non sumantur, caute separatae, sunt in loco sacro servandae, donec, perfecta corruptione, in sacrarium proiciantur. Ut autem citior corruptio eveniat, non videtur prohibitum aliquam aquae copiam s. speciei infundere.

Si, quamvis non appareant, species vomitu contineri possint (1), « comburatur vomitus et cineres in sacrarium mittantur. » Rubric. *de defect. miss.* n. 14. — Quam diu species in stomacho incorruptae manere possint, cf. statim infra.

Diversa ratio indecentiae oritur *a*) e *defectu paenitentiae exterioris*,

(1) H. e. infra semi-horam, ex sententia Dr Capellmann, *Medicina pastoralis*, p. 270. Est recens qui contendit sacras species per duas horas manere non corruptas.

in scandaloso peccatore qui subitaneo morbo correptus fuerit : absolutio quidem condicionata, et condicionate extrema unctio dari possunt et per se dandae sunt, non autem ss. eucharistia ; — *b*) e *loco infami* ubi decumbat aegrotus etiam optime dispositus : tunc aperta saltem ministratio, propter reverentiae rationem, vetita est.

135. - Ritus communionis. Communicans *a*) suae devotioni consulere permittitur, ita ut, pietatis causa, sacramentum alieno ritu confectum suscipere possit ; — *b*) paschalem communionem proprio ritu suscipere suadetur : — *c*) viaticum vero moribundus proprio ritu accipere debet ; sed, urgente necessitate, quolibet ritu illud accipere potest (**c. 866**). Minister vero proprium ritum in ministrando sequi debet.

Art. III. - De tempore, loco et modo quo S. Communio distribui potest

136. - I. Quo tempore. 1. *Quo die.* Excepta *Feria VI in Parasceve*, qua solum *viaticum* ad infirmos deferre licet, omnibus diebus licet in Ecclesia latina ss. eucharistiam distribuere. In *sabbato sancto* tamen, « s. communio nequit fidelibus ministrari nisi inter missarum sollemnia, vel continuo ac statim ab iis expletis » (**c. 867**, § 1-3).

Viaticum quod solum in Feria VI Maioris hebdomadae distribuere licet intellegi debet viaticum praeceptum, vel quod primum in mortis periculo sumatur, v. g. a sacerdote qui sacram functionem celebraverit sanus et dein in discrimen vitae adductus sit ; non autem illud quod, durante periculo, laudabiliter iteratur. In *sabbato sancto*, quia est dies aliturgica, sola permittitur communio quae missae continuo nexu coniuncta sit. Satis autem coniuncta sollemnis videtur communio quae, immediate post sacrum, ex ipso altari ubi celebratum est ad infirmos eodem tecto conclusos deferatur. Nec tam gravis est alius communionis prohibitio, ut ab ea non excuset causa qualem, non ita pridem ante Codicem, ipsa *S. Rituum* Congregatio probavit. Licere si quidem declaravit, ut viris qui spiritualia exercitia compleverant nec missarum sollemnia exspectare poterant, communio sabbato sancto plane mane dispensaretur (Ferreres, *La Communion frecuente y diaria*, n. 176. 177).

2. *Qua hora.* « S. communio iis tantum horis distribuatur quibus missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat » (c. 867, § 4).

Canon, in hac favorabili s. communionis causa, intellegi ita potest, ut privilegium anticipandi missam ad communionem extendatur. Idque ita habet stilus *S. C de Sacramentis.* Ceterum rationabilis causa exceptionem permittit, ita ut numquam s. dape privandus sit qui ad eam recipiendam diu etiam post meridiem ieiunus manserit. Cum, celebrata functione Feria V in Cena Domini, missae iam in eadem ecclesia dici nequeant, reipsa cessare quoque videtur ab illa hora facultas distribuendi ibi s. communionem, praesertim cum s. species amovendae sint. Verum rationabilis quoque causa sufficit ut huic regulae derogetur.

« S. *viaticum* quacumque diei aut noctis hora ministrari potest » (c. 867, § 5).

Canone isto aufertur vetitum antiqui *Ritualis*, t. 4, c. 10, quo, excepta necessi-

tate, nocturna eucharistiae delatio prohibebatur. Permissa satis facile delatione occulta, ipsa prohibitionis ratio iam subsistere non videtur.

137. - II. Quo loco. Ubicumque missa celebrari, ibi quoque s. communio distribui potest, etiam in oratorio privato, « nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit » (c. 869).

Quia autem ex c. 822 § 4 Ordinarius missam in ipso cubiculo infirmi permittere nequit, non possunt qui infirmo astant simul cum ipso in eius cubiculo s. dape refici : Cfr resp. S. C. *de Sacr.*, 5 ian. 1928 (*Per.* XVII, 24 ss).

Potestas Ordinarii vetandi s. eucharistiae dispensationem, oratorio privato circumscribitur ; nec liceret episcopo communionem in privatis oratoriis generali statuto prohibere ; sed oportet ut peculiares causae id in casu particulari faciendum suadeant. Ne ipsa quidem communio paschalis per se in oratorio privato fieri prohibetur, salva notitia proprio parocho danda ex c. 859, § 3.

138. - Quo modo. In dispensanda eucharistia, minister sacer, et in ea recipienda fidelis communicans, augustissimo sacramento exhibere debent reverentiam quam ratio et canones exigunt, ita ut ministrando sacramento abstinere praestet, potius quam *positivam* irreverentiam admittere.

Itaque : *a*) intra missam, celebranti non licet eucharistiam distribuere fidelibus adeo distantibus ut ipse altare e conspectu amittat (c. 868).

Loca nimis sic distantia etiam in magna basilica haberi possunt. Temperamentum tamen in nosocomiis admittitur ita ut ss. communio dari possit infirmis in loco eiusdem contignationis ex quo vox sacerdotis audiri possit. (Cf. *S. Rit. C.* 7 febr. 1874 ad 1 et 2 ; *Decr. auth.* n. 3322).

b) Induere debet *vestes sacras* et *lumen* adhibere. Omissio luminis existimatur venialis ; nec gravis putatur omissio solius stolae vel solius superpellicei, bene vero omissio omnis sacrae vestis, nisi necessitas urgeat. Quid autem in occulta delatione per se observandum sit, vidimus supra, n. 114, 3. Regulae tamen hae non obligant sub mortali. Sic etiam *veniale* reputatur, omittere vestes sacras et lumen in deferendo Sanctissimo ab uno ad aliud altare.

Extra missam color stolae potest esse *diei* aut *albus*.

c) Incedere debet *gressu moderato*. Praeciso tamen scandalo, plures permittunt ut sacerdos currat. Ex necessitate licet uti equo, vel rheda etiam automobili. Non videtur decere, nisi viatici necessitate excusetur, ut sacerdos utatur instrumento quod vulgo dicitur *bicycleta*, *motocycleta*. De hac re interrogata S. Congregatio, absoluta prohibitione abstinuit, monuit tamen insolitam esse hanc rationem. Ad statuta episcopalia attendendum hic est.

d) *Detecto capite* ss. eucharistia *palam* deferenda est. Ante Codicem dispensatio extra civitates episcopis permittebatur ; intra civitatem reservabatur S. Sedi. In casu tamen verae necessitatis, sinebant, per epikeiam, ut sacerdos caput tegeret, nisi meliore ratione providere posset. Melior autem ratio nunc est delatio *occulta*.

e) *Propria manu* et quidem *pollice et indice* s. communio danda est. Aliis uti digitis veniale videtur, a quo excusabit ratio non privandi moribundum vel plures sanos (quidni unum ?) s. communione. Si tamen praesto sit alter sacerdos, is potius pollice et indice quam alter, aliis digitis, communionem distribuat.

Ac si aegrotus hostiam aliter accipere aut traicere nequeat, permittunt ut (non nimis frequenter) ipsi porrigatur particula hostiae in cochleari, cum vino vel aqua, dummodo absit scandalum et periculum lapsus in terram. Simile quippam fieri potest ad vitandum contagii periculum. Deficiente alio medio viaticum aegroto per fistulam oesophago insertam videtur ministrari posse (LEHMK., II, 193).

f) Nec *hostia maior*, nec *plures simul minores* uni communicaturo tradi possunt : id facere foret veniale. Sed, ne unus alterve diu exspectet, pars hostiae sacrificii detrahi possit vel consecrari possint maiores hostiae et in minores partes divisae distribui. Ubi opus fuerit, ipsae minores hostiae in duas, summum tres partes dividi possunt.

g) Sub levi requiritur *minister*. Si desit, sacerdos omnia per se ipse peragere potest. Exceptis responsis, mulier ministrum supplere non potest ; nec mos est ut in ecclesia publica mulier recitet « Confiteor ». Monialis tamen seu Soror in claustro vel cubiculo infirmi preces recitare solent.

h) *Confiteor* cum absolutione sub levi requiritur. Praescripta quoque est benedictio in fine, nisi paramentis nigris indutus fueris. Praescriptae nunc etiam videntur ceterae Ritualis preces. Cf. *Rituale* 1913 et 1925, t. IV, c. 2, n. 6 ; CAPPELLO, I, n. 453.

i) Adhibenda est *bursa* colore stolae similis, cum *corporali* : palla non sufficit.

j) Communio ministrari non potest in altari ubi ss. sacramentum est expositum. Quocirca, ubi unicum est altare, satius erit per pauca momenta velo tegere ss. sacramentum, sicut fit dum contio habetur.

Sed toleratur ut sacerdos vestibus pro missa indutus, deficiente facili copia alterius sacerdotis, communionem distribuat ad aliud altare atque istud est quo celebravit vel celebratum est.

k) Per se, nisi, ob specialem causam, Ordinarius id vetuerit in oratorio domestico, communio distribui potest ubi celebrare licet (**c. 869**). Ac potest inde etiam a quolibet celebrante deferri ss. eucharistia pro communione « devotionali », infirmis qui in cubiculo hospitalis vel domus decumbunt.

l) Non sunt stricte praescriptae, sed tamen pie servandae variae honoris significationes, ut deponendi arma, chirothecas, etc.

m) Cum pluribus infirmis qui in distinctis cubiculis eiusdem domus decumbunt s. communio danda est, *S. R. C.* permittit ut in solo primo cubiculo plurali numero omnes preces ante communionem dicantur, et in solo ultimo, « Dominus vobiscum » cum orat. « *Dne sancte* », plurali numero dicenda. In aliis cubiculis dicatur tantum « Misereatur tui »... « Indulgentiam »... « Ecce Agnus Dei »... « Domine non sum dignus » semel, et « *Accipe* » vel « *Corpus Dom.* » (Instr. 9 ian. 1929. AAS., XXI, 75 ; *Per.* XVIII, 111.)

TITULUS IV

DE PAENITENTIA

(cc. 870-936)

Scriptores : AUGUSTINE, O.S.B.. *A Commentary*, in hos canones. — CAPPELLO, S.I., *De Sacramentis*, II. — R. D. DE SMET, *De absolutione complicis et sollicitatione*. — R. D. LEITNER, *Handbuch des katholischen Kirchenrechts*, Lib. III § 13 et 14. — NOLDIN-SCHMITT, S. I., *De Sacramentis*, n. 217-335. — PRÜMMER, O. Pr., *Manuale*, qq. 302-313.

INTRODUCTIO. VARIAE NOTIONES DE IPSO SACRAMENTO

139. - Notio. — Sacramentum Paenitentiae est *sacramentum a Christo institutum in quo, potestate remittendi et retinendi peccata usus, idoneus minister, fideli sincere paenitenti et reatum suum confitenti, peccata post baptismum commissa iudiciali sententia remittit vel retinet.*

Hac definitione complemus descriptionem **c. 870**, qui solam remissionem peccatorum commemorat ; nec dispositionem in paenitente requisitam explicat.

Solent hic quaerere utrum *peccata in ipsa baptismi susceptione commissa* et *peccatum fictionis* baptismate an sacramento paenitentiae remittantur. De qua re ita breviter dicimus, peccata quae momento baptismi existunt ipso baptismo deleri ; ipsam fictionem esse potius baptismo anteriorem ; moraliter autem in sua mala voluntate post baptismum perseveraturum esse qui conscius cum fictione (i. e. suae indispositionis) ad baptismum accesserit, ita ut hanc perseverantiam accusandam habeat. Cf. S. Thom., 3, p. q. 69, art. 10, ad 2 et nostram *Theol. mor.* III, 441.

140. - Actus paenitentis : *contritio, confessio* et *satisfactio*, dicuntur a Conc. Trid., s. XIV, c. 3, quasi-materia huius sacramenti. Ac materia ista est *proxima*. *Remota* vero materia sunt *peccata* baptismo posteriora, circa quae isti actus versantur, atque ita quidem ut *mortalia* sint materia *necessaria*, quam diu non sunt directe sacramentaliter remissa ; *venialia* vero sint materia *sufficiens* ac *per se* non necessaria. Suntne autem vera materia *ex qua*, una cum forma, fit sacramentum, an essentia tota sacramenti in absolutione consistit, ita ut actus paenitentis sint tantum materia *circa quam* : id controvertitur. Nemini tamen est ipsa satisfactio elementum essentiale, sed tantum *integrale*.

141. - Forma sacramenti sunt verba absolutionis, quae, in Ecclesia latina sunt : « *Ego te absolvo a peccatis tuis*, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen », voce prolata in hominem praesentem.

Completa tamen Ritualis forma complectitur quoque, ante essentialia verba, preces et postea invocationem ; cf. infra, n. 161.

142. - Necessitas sacramenti. Lapsis post baptismum in peccatum mortale, sacramentum paenitentiae est « ad salutem necessarium ut nondum regeneratis ipse baptismus » (Trid. s. XIV, c. 2). Est ergo necessarium necessitate *medii*, saltem in voto.

Ordo dicendi. Quia argumentum istud in theologia morali plenissime tractare solent, satis nobis erit, paucis additis commentariis, Codicis canones referre, ipsum Codicis ordinem imitati, quo primo de *ministro*, dein de *subiecto* sacramenti, tum de *loco* ad confessiones excipiendas agitur ; subnectitur autem quintum caput de *indulgentiis*. Pro capite de loco ponemus breve caput *De externis adiunctis administrationis paenitentiae.*

Caput I. - De Ministro Sacramenti Paenitentiae

143. - « Minister huius sacramenti est solus sacerdos » (c. 871). — « Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in paenitentem » (c. 872).

Potestas *ordinis* requiritur, quia est sacramentum ; potestas *iurisdictionis*, quia est institutum ad modum iudicii. Opportune Codice monemur iurisdictionem esse quidpiam relativum, non solum respectu rei (peccatorum), sicut ipsa ordinis potestas, sed etiam respectu personarum. Quare sermo fit de iurisdictione

in paenitentem. Praeterea ad solam peccatorum absolutionem ordo sacerdotalis requiritur. Iurisdictio ad auferendas censuras vel poenas ecclesiasticas cuilibet clerico a competente superiore ecclesiastico valide tribui potest, immo, a S. Pontifice, etiam non clerico. Huc spectant absolutiones quaedam quas tempore S. Cypriani diaconi non nulli conferebant.

C. Tridentinum s. XXIII, c. 15 *Ref.* ut privilegiatam regularium iurisdictionem cum auctoritate Ordinarii loci apte componeret, exigere coepit, ad valide absolvendos saeculares, vel beneficium paroeciale, vel approbationem ab episcopo. Approbatio haec stricte sumpta, ut distincta a iurisdictione, inferebat, praeter iudicium de idoneitate, consensum Ordinarii loci ut quis sua iurisdictione uti posset. Saepe tamen episcopus confessario quem approbabat, simul iurisdictionem tribuere intendebat, ita ut plerique regulares confessarii iurisdictionem e duplici fonte haurirent, e fonte pontificii privilegii, per Superiores proprios, atque e fonte dioecesani antistitis. De *approbatione* quae iurisdictioni adiungenda sit Codex silet. Ex ipso tamen c. 874, § 1 tenore, satis perspicitur eam esse Codicis mentem, ut ne religiosi quidem exempti sine Ordinarii loci facultate, ullam ad absolvendos communiter saeculares expeditam iurisdictionem haberent. Formalis tamen et expressa revocatio privilegii, vi cuius Superiores regulares iurisdictionem ad absolvendos saeculares conferebant, in nullo canone legitur. Verum propter perpetuam necessitatem iurisdictionis dioecesanae, ita factum est inutile ut ex iis sit quae desuetudine abroganda videantur.

144. - Iurisdictio autem haec potest esse sive *ordinaria* sive *delegata.*

Ordinariam potestatem audiendi confessiones habent ; 1. *pro universa Ecclesia,* Romanus Pontifex, S. R. E. Cardinales ; horum iurisdictio ad omnes personas, etiam moniales, et ad omnes casus pertingit, exceptis tantum censuris Sanctae Sedi specialissime reservatis, iisque quae revelationi secreti *S. Officii* annexae sunt (c. 873. 239, § 1, 1°).

2. *Pro suo quisque territorio,* Ordinarius loci, parochus, et qui loco parochi sunt. — Pro eodem Ordinarii territorio, paenitentiarius canonicus ecclesiae sive cathedralis sive collegiatae, cum potestate « absolvendi etiam a peccatis et a censuris episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque ; et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis » (c. 873. 401, § 1).

Usus habet ut parochus censeatur pro tota dioecesi competens, nisi contrarium expresse statuatur.

Potestas in reservata episcopo, cum sine distinctione conferatur, tum casus quos ius reservat tum casus quos episcopus sibi reservat complectitur.

3. *Pro suis subditis,* Superiores religiosi exempti, ad normam constitutionum (c. 873, § 2).

Iurisdictio *ordinaria* omnibus cessat amissione officii ; et excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto, sed tantum post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam contra eum latam qui his poenis obnoxius sit (c. 873, § 3).

Itaque, ante huiusmodi sententiam, excommunicatus *valide* paenitentes audit

e absolvit, et *licite* si toleratus est et a fideli requiritur. Cfr. c. 2261. In periculo mortis, omnis sacerdos valide et licite morientem postulantem iuvat.

145. - Delegant, si verba Codicis attendamus : 1. ad audiendas confessiones quorumlibet, sive saecularium sive religiosorum, sacerdotes tum saeculares tum religiosos etiam exemptos, *Ordinarius loci* in quo confessiones excipiuntur (c. **874**, § 1).

Constat igitur nunc, quod iam scribebamus (*Per.* VII, p. 23-28), *religiosos* etiam exemptos, cum confitentur apud saecularem, *dioecesana* iurisdictione absolvi, quae proin dioecesanis reservationibus afficitur, nisi confessarius simul a Superiore exempto regularem iurisdictionem obtinuerit. Constat etiam *peregrinos* absolvi iurisdictione Ordinarii loci ubi confessiones excipiuntur, ita ut iurisdictio absolventis casibus in loco confessionis reservatis obnoxia sit. Quod nunc confirmatur resp. *Comm. I. C.*, 24 nov. 1920, *De reservationibus*, AAS, XII, 1920, 575 ; *Per.* X, 251. — Facultatem *subdelegandi* Ordinarius quoque facere potest.

2. Ad audiendas confessiones professorum, noviciorum, et eorum qui in religiosa domo diu noctuque degunt causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis, *Superior proprius religionis clericalis exemptae*, ad normam constitutionum, sacerdotes subditos atque etiam sacerdotes e clero saeculari aut alius religionis (c. **875**. 514, § 1).

Extra dubium ergo posita est potestas Superioris exempti tribuendi valide iurisdictionem, ad suos audiendos, sacerdoti cuilibet, sive saeculari sive religioso, etiam quos proprius Ordinarius non approbaverit.

3. Ad audiendas quaslibet religiosas ac novicias, iurisdictionem peculiarem confert *Ordinarius loci* ubi religiosarum domus sita est. Salva gravi aegritudine, vel accidentali aditu confessarii pro mulieribus approbati, de quibus casibus cfr. dicenda infra, peculiaris ista iurisdictio omnibus, etiam parochis, si Cardinales excipias, est necessaria ad valorem (c. **876**, § 1).

Verba c. 876, § 1 : « ad confessiones religiosarum *valide* ac *licite* recipiendas » per se locum esse sinunt dubio utrum ad ipsum valorem an tantum ad liceitatem peculiaris ista facultas requiratur. Hanc tamen ad valorem requiri constat, tum ex mente satis manifesta legislatoris, qui usum iam satis universalem postulandi peculiarem approbationem ad ipsum absolutionis valorem, universali dispositione sancire voluit, tum ex ipsis canonis verbis quae peculiarem *iurisdictionem* postulant. Iurisdictio enim, ex c. 872, ad valorem absolutionis necessaria est. Cf. t. I, n. 587 ss.

146. - Confessarii probatio. Per se iis solis concedenda est iurisdictio aut licentia audiendarum confessionum « qui idonei *per examen* reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam » locorum Ordinarii et Superiores religiosi « aliunde compertam habeant ». Ac post concessam iurisdictionem aut licentiam, si « prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus

esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico paenitentiario » (c. 877).

Rursus autem canone 874 Ordinarii locorum monentur ne iurisdictionem habitualiter concedant religiosis quos proprius Superior non praesentaverit ; praesentatis vero, salva examinis probatione, eandem sine gravi causa ne denegent.

Observes tandem prudentiam canone praescribi Ordinario loci qui iurisdictionem confert et Superiori religioso, etiam cum mere consentit in usum concessae iurisdictionis. Atque ab ipsis regularibus qui saecularium confessiones audire velint examen subeundum esse quod episcopus iis imposuerit, iam nullatenus ambigitur. Sed canonibus 877 et 878 quoque amputantur controversiae de iure quod haberent regulares ut, idonei reperti, absolute approbarentur nec ad examen revocari possent. Etenim ex c. 878 integrum est episcopo facultatem excipiendi confessiones tempore circumscribere.

Quo elapso spatio, licebit episcopo, ut novam facultatem concedat, rationabilem examinis condicionem apponere. Si vero perpetuam facultatem absolute dederit, positiva quidem suspicio imperitiae necessaria erit ut novum examen exigere licite possit ; valide tamen semper aget, cum, ex c. 880, ipsam iurisdictionem semper efficaciter tollere possit, salvo recursu in devolutivo ad S. Sedem.

147. - Nullus alius iurisdictionem sacramentalem delegat : nec *Cardinalis*, qua talis : aperta mens legislatoris obstat quominus ad *conferendam* iurisdictionem extendamus amplissimam potestatem ordinariam, quam ad *audiendas* confessiones accepit : legislator censeri nequit incredibilem ipsis potestatem fecisse delegandi per universum orbem quoslibet sacerdotes ad quaslibet personas absolvendas etiam a casibus S. Sedi specialiter reservatis ; atque inutile ipsis foret privilegium sibi eligendi confessarium, si possent omnes sacerdotes habiles reddere ac confessiones excipiendas ; — nec *canonicus paenitentiarius*, a quo facultas delegandi c. 401 formaliter excluditur ; — nec *parochus*, de cuius quidem potestate delegandi Codex silebat, ita tamen ut ex comparatis canonibus certa argumenta colligeremus ad hanc potestatem negandam. Nunc autem, ex resp. *Commissionis pontificiae* 16 oct. 1919, ad 3, authentice constat, parochos vel eorum vicarios, vel alios ad universitatem causarum delegatos, nec iurisdictionem ad confessiones excipiendas delegare, aut approbatis sacerdotibus iurisdictionem extendere posse ultra fines loci vel personarum intra quos ad normam c. 877, § 1 circumscripta fuerit, sed ad hoc speciali facultate seu mandato Ordinarii loci indigere (AAS, XI, 1919, 472 ; *Per.* X, 100).

Quare ne alii quidem parocho parochus iurisdictionem ad confessiones audiendas concedere potest.

148. - **Iurisdictionis limites.** « Iurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus. — Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi

Superiores ne iurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent « (c. 878).

Maxime usitata limitatio habetur in *reservatione casuum*, de qua infra agetur. Ratione *aetatis* iunioris, plures Ordinarii solent quoque ad solos viros audiendos iurisdictionem concedere sacerdotibus qui nondum 30 vel 35 annos nati sint. Fit quoque ut ad audiendas puellas contubernales religiosarum, specialis exigatur iurisdictio quae pro monialibus et sororibus est requisita.

Restrictio *localis* interdum hoc modo fit, ut iurisdictio concedatur ad audiendas confessiones in certa ecclesia vel in paucis quibusdam definitis ecclesiis, ita ut circumstantia loci sit condicio habendae iurisdictionis praefinita. Sed a rationibus iuridicis alienum foret circumstantiam loci ad valorem exigere confessionis exceptae a sacerdote cui iurisdictio in personas simpliciter tribuitur. Frequentissima demum limitatio est *temporalis*, qua iurisdictio ad annum vel plures annos conceditur.

149. - Concessionis forma et gratuitas. Ad ipsum valorem confessionum opus est ut iurisdictio *scripto* vel *verbis* expressa sit. Concessio autem gratuita esse debet (c. 879).

Itaque non sufficit *tacita* concessio, quae facile ambiguitate laborat, ac multo minus *praesumpta de futuro*, cum haec non sit vera, sed tantum esset si peteretur. Intimatio tamen concessionis non requiritur. Quare, in casu urgente, iurisdictio possit, ut aiunt, praesumi de praesenti ; i. e. qui moraliter certus sit de recepto ab episcopo libello quo iurisdictionem postulat, et de responso affirmativo dato sive suo procuratori sive per litteras, possit, rebus urgentibus, iam ante receptas litteras vel ante reditum mandatarii, confessiones excipere. Et mandatarius possit per nuntium telegraphicum postulantem de auditis precibus certiorem facere.

150. - Concessionis cessatio. Iurisdictio *delegata* exstinguitur expleto mandato ; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit ; cessante causa finali delegationis (ut si delegetur aliquis ad supplendum cappellanum infirmum, et is, ante adventum delegati, convaluerit et officium resumpserit) ; revocatione delegato directe intimata, vel renuntiatione directe intimata deleganti et ab eodem acceptata ; resoluto quoque iure delegantis, si tamen id ex clausulis appareat, vel potestas facta tantum sit audiendi sacramentaliter personas in rescripto vel indulto expressas et res adhuc integra sit (cfr. cc. 207 et 61). Sic iurisdictio concessa « ad beneplacitum nostrum » ex c. 73, ac clarius « donec vixero » vel « durante meo munere », morte delegantis cessat ; non autem ea quae conceditur « usque ad revocationem ».

Valide tamen absolvit sacerdos qui inadvertenter utitur iurisdictione post elapsum tempus vel exhausto numero casuum pro quo eandem habeat (c. 207, § 2).

Revocatio aut suspensio iurisdictionis non est facienda sine gravi causa. Haec tamen si exsistat, potest Ordinarius, etiam parocho aut

paenitentiario, confessarii munus interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam. Sed, inconsulto S. Sede, non licet episcopo omnibus alicuius religiosae domus confessariis, si domus sit formata, una simul iurisdictionem adimere (c. **880**).

Canon iste ita scriptus est ut intactam linquat auctoritatem Ordinariorum, qui proin semper valide iurisdictionem adiment, etiamsi revocatio prohibita sit. Namque ipsi revocato vel suspenso ab audiendis confessionibus parocho vel paenitentiario solum recursum in devolutivo permittit, ita ut, donec S. Sedes recursum admiserit, decretum episcopale suos effectus producat. Erga religiosos autem solam *collectivam* revocationem episcopus exercere prohibetur, si de domo formata agatur. Nihil autem obstat quin episcopus, ob graves causas, plures eiusdem domus religiosae confessarios *singulatim* suspendat, etiamsi nullus iam remanserit iurisdictione dioecesana praeditus.

151. - Vis possessae iurisdictionis. Qui *ordinariam* possident, subditos ubique terrarum absolvere possunt ; dum in *delegatis* requiritur iurisdictio data ab Ordinario loci ubi confessiones audiuntur, nisi paenitentes absolvi possint vi iurisdictionis a Superiore religioso, qua tali, communicatae. Sacerdos quoque quem sibi et familiaribus in confessarium elegerint sive Cardinalis sive episcopus, etiam titularis, expeditam ad eos audiendos iurisdictionem ubique ipso iure obtinet (cfr. c. 239, § 1, 2° et 349, § 1, 1°).

Verum, contra generale statutum c. 199, § 1, iurisdictio ordinaria ad absolvendos sacramentaliter paenitentes, ab iis solis delegari potest quos c. 874 et 875 ut delegantes indicat.

Id ex mente legislatoris colligebatur, et nunc authentice constat de parochis et vicariis parochorum, ex resp. *Comm. I. C.*, 16 oct. 1919, ad 3 (AAS, XI, 1919, 477 ; *Per.* X, 100).

Sed iurisdictio tam ordinaria quam delegata ab Ordinario loci, valet ad audiendos *vagos, peregrinos* ex aliena dioecesi, et *catholicos ritus orientalis* (c. **881**).

152. - Ex delegatione *iuris communis*, quilibet sacerdotes rogati quosvis paenitentes in periculo mortis a quibusvis peccatis aut censuris valide et licite absolvunt, etiam si praesens sit sacerdos approbatus (1). Absolutio tamen complicis extra casum necessitatis manet, ex parte confessarii, illicita (c. **882**). Onus recurrendi, quod absolute

---

(1) *Ultronea* tamen administratio sacramenti, extra necessitatem, iis qui censura irretiti sunt, manet illicita. Cf. NOLDIN-SCHMITT, III, 346, et ipsum c. 2261, § 1. Extra casum necessitatis, ac proin praesente alio sacerdote, absolutio peti non poterit ab eo qui ascriptus est sectae haereticae vel schismaticae, propter vetitam communicationem in sacris (c. 1258) ; vel a *publice intruso*, propter scandalum (cf. LEHMKUHL, II, 73). Sed ab ipso excommunicato vitando peti potest absolutio, etiam praesente alio sacerdote idoneo (c. 2261, § 3). Numquam autem peti potest absolutio ab haeretico vel schismatico utente ritu suae sectae, propter vetitam cooperationem ad falsum cultum.

a quibusdam censuris paenitenti convalescenti imponitur, explicatur in titulis de censuris.

153. - Idem ius commune sua delegatione iurisdictionem ampliat sacerdotum qui **maritimum iter** arripiunt. Delegati enim vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel ab Ordinario portus intermedii per quem in itinere transeunt, possunt toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere (**c. 883**, § 1).

Quotiens vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis (c. 883, § 2).

Canone isto, fere iisdem verbis quibus in decretis *S. Officii* 23-24 aug. 1905, 12-13 dec. 1905, facultas superioris iuris confirmatur et extenditur, dissipata tamen ambiguitate quorundam verborum. Etenim, in decreto *S. Officii* 23-24 aug. 1905, approbatio obtinenda dicebatur « a proprio Ordinario e cuius dioecesi discedunt ». Ista discessus condicio, quae obscuritate laborabat et difficultatem faciebat, feliciter iam omissa est. Praeterea suppressa est limitatio quae in decr. 1906 his verbis reddebatur : « Dummodo nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos approbatus et facile loci Ordinarius adiri nequeat ».

Tuta est sententia, quamvis minus nobis speculative accepta, quae nomine *proprii* Ordinarii, cuius approbatio est necessaria, hic etiam intellegit Ordinarium *regularem*.

Ex resp. *Comm. I. C.*, 20 maii 1923, vis vocis *obiter* haec est, ut sacerdos qui e navi terram adeat, possit confessiones excipere eorum qui confiteri petant, per tres dies, sed non ultra, si Ordinarius facile adiri queat ; ac potestas etiam ei competit qui non eadem navi sed alia iter maritimum prosequitur (AAS, XVI, 1924, 113 ; *Per.* XIII, 79).

Maritimum iter dicit plus quam maritimam quandam ambulationem qua, recreationis vel piscationis causa, quispiam per aliquot horas a portu solvit.

154. - Delegatione sua ius commune *supplet* quoque iurisdictionem in **errore communi**, aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti (c. 209).

Error communis accidit, si in loco ubi aliquis iurisdictionem exercet iurisdictionem habere passim aestimatur, ut si cognoscitur habitualiter occupare confessionale ecclesiae publicae.

Quid sit *error communis*, diximus I, n. 284.

Recordemur ex theologia generali *dubium* haberi quando mens inter duas vel plures sententias assensum suspendit (dubium stricte dictum) vel quando non efficit nisi iudicium opinativum, cum seria formidine oppositi (dubium late dictum). Hoc dubium est *iuris*, si eius obiectum est sensus vel etiam exsistentia legis ; *facti*, quando incertum est ipsum factum cui lex noscitur applicanda esse. Dubium de iurisdictione erit *positivum*, si ad affirmandam iurisdictionem ratio adest ; et est praeterea *probabile*, si rationes affirmandi sint graves seu

alicuius momenti. Dubium *iuris* positivum et probabile habebitur, si auctores graves iurisdictionem in tali casu haberi seu, v. g. condiciones c. 522 esse impletas affirment, etsi alii graves contradicant. Dubium facti *probabile* aderit, v. g. si, non habens occasionem legendi diploma mihi concessum, et dubitans de eius extensione, ex usu curiae opinor ad talem diem concessam fuisse. Dubium vero facti *negativum* fuerit, si dubito utrum die 5 an die 15 mensis cesset mea iurisdictio, nec pro alterutra parte rationem afferre possim (cf. I, 284).

Itaque, seclusa omni necessitate tituli seu causae quae mihi iurisdictionem tribuere videatur, si, de facto, me passim existimant iurisdictione munitum, vel si mea iurisdictio est probabilis (facto vel iure) actum iurisdictionis valide pono, i. e. in casu, absolutionem valide confero. Istud tamen inter utrumque casum interest : in *errore communi*, mere ab Ecclesia provideri spirituali fidelium utilitati, ne decipiantur, dum in dubio positivo et probabili meae iurisdictionis, Ecclesia me vult securum reddere, ita ut etiam in meum favorem *ad cautelam* iurisdictionem suppleat.

In dubio *negativo*, cum Ecclesia nihil suppleat, validitas actus a sola veritate rei quae ignoratur pendet.

155. - Dispositione iuris communis, fas est *Cardinalibus* et *episcopis* etiam titularibus, sibi et familiaribus eligere sacerdotem qui inde, iure communi delegatam, in istas personas obtinet iurisdictionem, quam ubique exercere potest (cfr. c. 239, § 1, 2° et 349, § 1, 1°).

Familiares porro hic intelleguntur qui ad familiam seu domum Cardinalis aut episcopi pertinent, maxime ratione servitii, ut secretarius, famuli.

Ipse S. Pontifex suo confessario iurisdictionem ad se absolvendum confert.

156. - Usus iurisdictionis *probabilis* est simpliciter licitus. Sola enim causa illiceitatis periculum foret nullitatis, quod ex c. 209 prorsus tollitur.

Usus iusrisdictionis *negative dubiae* est illicitus, nisi causa valde gravis seu notabile detrimentum animae paenitentis (D'ANN., III, 311) postularit ut ei, meliore quo possit modo, subveniatur. Cum enim Ecclesia iurisdictionem non suppleat, sacramentum periculo nullitatis et paenitens gravi damno per se exponitur. Praeterea, onus imponis paenitenti iterum confitendi peccata habenti iurisdictionem certam, saltem si postea iurisdictionem re vera defuisse comperiatur. Immo BUSEMBAUM, Cap. 2 *De Ministro*, Dub. 3, et BALL.-PALM., V, 395, iteratam confessionem semper requirere videntur, cum absolutio non sit *probabiliter valida*. Quare is qui in necessitate absolvit cum dubia iurisdictione, de re certiorem facere debet paenitentem, ut is saltem

perfecta contritione, propriae saluti caveat. Absolutio autem sub condicione expressa vel tacita (*si iurisdictionem habeam*) confertur. Sic absolutus, pro ceteris sacramentis tractandus erit sicut is qui dubitat utrum necne mortalia commiserit.

Causa sufficiens utendi dubia iurisdictione adesse censetur, si paenitens qui a longo tempore non sit confessus vel communicare aut celebrare debeat, copiam alterius non habeat ; vel si urgeat praeceptum annuae confessionis, vel si dubium post iam coeptam confessionem occurrat, nisi fortasse sine nimia difficultate paenitens confessionem abrumpere possit.

Observes tamen non esse paenitenti obligationem in his casibus confitendi sacerdoti qui *dubiam* tantum habeat iurisdictionem.

157. - Quamvis Ecclesia iurisdictionem in *errore communi* suppleat, permittere tamen non intendit ut sacerdos sibi hac via iurisdictionem procuret, et, v. g. fretus errore communi, novam facultatem post elapsum tempus petere omittat. Quare, non solum intrinsece illicitum est ut quis se mentiatur approbatum dum non est, verum etiam per se confessiones audire non potest qui conscius est deficientis sibi iurisdictionis, quamvis communiter pro approbato habeatur.

Vitatne suspensionem, non reservatam, a divinis, latam c. 2366 contra sacerdotem qui sine necessaria iurisdictione confessiones audire vel absolvere praesumat ? Id negant CERATO, *De censuris*, n. 118 ; NOLDIN-SCHMITT, III, 347 ; quia re vera iurisdictionem usurpat. Pro benigniore tamen sententia dici potest eum, cum Ecclesia suppleat, necessaria iurisdictione non carere.

In gravi tamen necessitate paenitentis qui diu absolutione careret, et in casibus ubi usum dubiae iurisdictionis permittunt, licere quoque videtur ut quis conscius paenitentem in errore communi absolvat.

Ut ait nunc, III, 347 NOLDIN-SCHMITT, « error communis fundat *validitatem*, error vel impotentia sacerdotis fundat *liceitatem* ». Impotentiam intellegunt moralem, seu causam quam LEHMK., II, 504-506 vocaret gravem.

Exemplum dant si mane, in magno concursu paenitentium, vicarius recordaretur tempus iurisdictionis iam elapsum esse nec posset episcopum adire.

158. - « Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo ; et etiam in periculo mortis extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum, et nominatim C. BEN. XIV *Sacramentum Paenitentiae*, 1 iun. 1741 » (c. 884).

Canone 884 remittitur ad Constitutiones Apost. eas quibus materia haec regitur. Sunt autem potissimum praelaudata C. *Sacr. Paenit.* § 4 et 5 ; C. *Apostolici muneris*, 8 febr. 1745 ; litt. enc. *Inter praeteritos*, 3 dec. 1749, § 56, ss., quibus accedunt quaedam declarationes S. Officii et S. Paenitentiariae.

Summa rei nobis ipso c. 884 traditur, cuius verba explicationes certas vel probabiles fundant.

De complice agitur sacerdotis. Complicitas intellegi potest *formalis* cum sacerdote. Haec non habetur, si, ex mutata veste, sacerdos existimabatur laicus ; vel si peccans nondum erat sacerdos. Ipsa tamen *S. Paenitentiaria,* 22 ian. 1879, respondit : Confessarium non posse absolvere complicem cum quo ante sacerdotium in puerili aetate turpiter egit, nisi moraliter certus sit, ipsum iam ab alio confessario directe et valide a peccato complicitatis absolutum fuisse ; — atque hodie moraliter omnes scriptores distinctionem complicitatis anterioris vel posterioris sacerdotio reiciunt. (De Smet, *De casibus reserv.* p. 213, n. 52. Cf. tamen Ball., V, 416.)

Complex est qui verbo, nutu vel facto *consentit* cum sacerdote in eodem peccato. Proprie dicta complicitas non est coniventia non impedientis peccatum, vel aliqua participatio approbantis auditum sermonem, non tamen excitantis.

Peccatum turpe intellegitur, sive actionis, sive verborum, sive aspectus, *grave* tamen ut *externum,* et, ut verisimile est, *in se libidinosum.* Non sufficiunt ergo tractatus de seductione futura.

Hinc Ballerini, *Op. theol.* V, 414, negat casum esse sacerdotis qui ostendit sibi placere cantilenas turpes quas alter sponte sua canit ; sacerdotis paciscentis cum alio de seducenda muliere, de emendo libro pravo ; sacerdotis obtinentis a paenitente licentiam peccandi cum eius uxore vel filia. Notat tamen Palmieri : « Nihilominus S. C. I., 28 maii 1873, declaravit : prohibitione absolvendi complicem in materia turpi comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus qui complicitatem important ».

Absolutio haec invalida est, excepto casu *periculi mortis,* in quo semper valet.

Invalida autem est absolutio *directa,* et, ut putare licet, quatenus ferat in hoc peccatum nondum ab alio directe absolutum.

Sunt, ut Ball., V, 415 ; Pighi, IV, 374, 2°, qui putant iurisdictionem in hoc peccatum esse in perpetuum sublatum, quod Cappello, *De Sacr.* II, 617 aestimat multo probabilius ; sed altera opinio est probabilis.

Itaque valere dicemus iteratam absolutionem quam complex dederit. Et quotiescumque paenitens *bona fide* confitetur, directe et valide ab aliis peccatis absolvitur, ita ut in nova confessione solum complicitatis peccatum accusare debeat.

Ac perinde res se habent, sive confessarius absolutionem dederit distractus sive paenitentem non recognoverit.

Noldin quidem, III, 370, severius nunc putabat respondendum esse, cum canon invalidam declaret absolutionem ipsius complicis, et non tantum peccati atque idem ut magis probabile placet Cappello, II, 619-621 ; sed secundum praecedentes constitutiones intellegi potest canon qui ad easdam remittit. Nobiscum stant Pighi, IV, 374 ; Gen., II, 352 ; Arregui, n. 646 ; et Noldin-Schmitt, III, 371.

Casus can. **884** autem non habetur, si neuter alterum ante confessionem *cognoverit*. Sin minus, facile obligaveris sacerdotem ad propriam diffamationem.

Accurate hic distinguas confessarium qui complicem non *cognoverit* et eum qui complicem non *recognoverit*. Complicem quem extra confessionem cognoverit, sed initio confessionis non recognoverit, bene monere debet de defectu suae iurisdictionis : namque ideo in nullam infamiam incurrit.

Quid, si paenitens sacerdotem complicem vultu non tamen nomine cognoscat, et accedat ad confessionale complicis, tamquam ignoti sacerdotis ? Confessarius nomen suum prodere non debet. Poterit ergo paenitentem absolvere si is aliam materiam absolvendam afferat, sed peccatum complicitatis nondum erit directe absolutum.

Absolutio autem potest esse *formalis* et vera (quamvis inefficax), potest esse *ficta* vel aequivalenter *data*. Patet, non magis valere fictam quam quae intentione erat vere data.

159. - In ipso periculo mortis est *illicita, extra casum necessitatis*. Casus necessitatis habetur : *a*) si nullus alius sacerdos, etiam simplex seu non approbatus, ad confessiones audiendas vel adsit, vel vocari possit sine gravi scandalo aut infamia, sive certa, sive probabili. Ac notat Ballerini, V, 422, ipsa probabilem complicitatis suspicionem iam esse graviter infamantem et scandalosam ; *b*) si alius qui adest moribundi vel aegroti confessionem excipere nolit, aut infirmus alteri confessionem facere recuset, ita ut periculum sit sacrilegae confessionis.

Atque ex C. Ben. XIV confessarius complex sub gravi procurare debet ut locus alii sacerdoti pateat, v. g. discedendo sub aliquo praetextu. Si nullus alius praesto sit nisi notorie suspensus vel excommunicatus, non constat hunc complici praeferendum esse, cum adhibere notorie excommunicatum valde parum per se deceat.

Bene coepta confessio potest quoque ad finem perduci, sive alter sacerdos advenerit, sive periculum mortis cessaverit. Qui autem, propter morbi impedimentum, incompletam tantum fecerit confessionem, hanc dein apud complicem perficere non poterit, nisi peccatum complicitatis iam fuerit satis distincte accusatum ut in specie sua directe remissum fuerit.

Quid si *mere apparens* fuerit periculum mortis in quo complex a sacerdote absolutus fuerit ? Dummodo prudens fuerit periculi existimatio, absolutio valebit : namque rationabiliter intellegitur data iurisdictio pro prudenter existimato mortis periculo.

Prudenter quoque Codex absolutionem solum ex parte confessarii illicitam declarat, ne paenitens illicitae petitionis scrupulo umquam angatur.

160. - Usum epikeiae probati auctores non omnino excludunt, eamque in gravissima necessitate permittunt. V. g. in locis missionum, si nullus alius sacerdos adest apud quem complex confiteatur, nec spes

est fore ut alius sacerdos umquam adventurus sit (BALL.-PALM., V, 424. 425); vel si urget praeceptum annuae confessionis et communionis, mulier complex non potest, sine gravi scandalo et infamia, susceptionem sacramentorum omittere, nec in alium locum se conferre potest ad quaerendum confessarium (NOLDIN, III, 371, b, sed nunc magis dubitant NOLDIN-SCHMITT, III, 372). Observes non sufficere ipsum praeceptum, nisi alia adiuncta accedant. Namque per se, in isto casu, complex deberet, praetermissa confessione, ad s. communionem accedere. Nec regulae de peccatorum reservatione hic applicari possunt. Cf. BALL.-PALM., V, n. 426. In necessitate autem praedicta (extra eam id non est faciendum, BALL.-PALM., V, n. 415), melius fecerit sacerdos monendo paenitentem ut peccatum complicitatis postea alii confessario declaret si quondam eius copiam habuerit. De poena cf. c. 2367.

161. - Completa Ritualis formula sententiae absolventis complectitur quoque preces ante essentialia verba, ita ut tota sit haec : « *Misereatur tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.* — (Subinde, elevata manu, pergit). *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.*

Dominus Noster Iesus Christus te absolvat, et ego, auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, [*suspensionis* (si est clericus)] *et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* (Dum Personas divinas nominat, signum crucis efficit (1). *Passio D. N. I. C., merita B. M. V. et omnium sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen* ». Iam vero :

Orationes *Misereatur, Indulgentiam,* ex Trid. s. XIV, c. 3 laudabiliter adiunguntur. Canon vero **885** nos monet « Ne omittantur sine iusta causa ». Hanc causam tum penuria temporis, tum multitudo paenitentium facile praebent. Cf. NOLDIN-SCHMITT, III, 233.

Nec constat eum peccare qui omiserit : D. N. I. C. te absolvat, etc., si nulla censurae sit suspicio, et forma absolutionis a peccatis, intentione absolventis, etiam ad censuras et vincula cum peccatis conexa, si quae fortasse sint, referatur. Tunc, etiamsi paenitens sit certa censura ligatus, omissio non erit gravis. Sed mortale fuerit velle prius a

(1) Episcopi ter signum crucis efformant *S. R. C.*, 20 maii 1890, ad V (*Dec. auth.*, n. 3731. — Ut notat R. P. HAEGY, C. S. Spir., *Manuel de liturgie*, I, p. 606, nota 3, mos est quarundam regionum, ut poenitens initio dicat : « Benedic mihi Pater, quia peccavi », confessarius autem respondeat : « Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua : in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

peccatis absolvere quam a censura quae usum legitimum sacramentorum tollit, qualis est excommunicatio, et aliquando interdictum.

Estne vox *Deinde* pars textus nigri an rubri, id non stricte certum est, sed fere moraliter constare iam videtur. Servetur igitur usus pronuntiandi istud vocabulum, cum nunc in editione typica Ritualis litteris nigris scriptum sit.

Omittere personas SS. Trinitatis putatur veniale.

Formula « Passio D. N. I. C. » non imponitur quidem utenda sub peccato, sed eam adhibere praestat propter spiritualem paenitentis utilitatem. Coniungit enim cum bonis actibus paenitentis specialem valorem satisfactorium, quem non nulli aequiperant cum vi paenitentiae sacramentalis (1).

Ubi multi sint paenitentes audiendi, possit quis ante primam absolutionem praemittere *Misereatur*, *Indulgentiam*, eadem in sequentibus omittendo : formulam autem « Passio D. N. I. C. » pronuntiare dum paenitens recedit. Formula « D. N. I. C. » non est regulariter omittenda.

Urgente necessitate, Rit. hanc brevissimam formulam docet : « Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris, etc. ».

162. - Qua iudex, ne iniustitiae erga paenitentem reus sit, debet coeptam causam ad finem, quantum est ex se, perducere, absolutionem dare disposito, sacramentum validum (seu validam sententiam) conferre, convenientem dare paenitentiam. Et Codex, c. 886 sancit ius quod habet paenitens, qui eam petit, obtinendi absolutionem sine mora. Quare, paenitenti qui sententiae *probabili* adhaeret absolutio per se danda est : is enim est dispositus. Immo satis ad hoc est ut ob extrinsecam auctoritatem probatorum doctorum concipiat iudicium de actionis honestate, cum sacerdos suam sententiam sequendam imponere nequeat. Atque absolvi per se *potest* qui sententiam sequitur improbabilem quidem, sufficienti tamen specie probabilitatis tectam, ut paenitens in bona fide existimari possit. Aliter dicendum est de paenitente qui mera pervicacia confessario resistat.

Iustas tamen causas esse absolutionem in paenitentis spiritualem utilitatem differendi nemo negat. Et iustam causam indicabimus opportunitatem urgendi, ante absolutionem, exsecutionem difficilis obligationis, quae secus vix impleretur.

---

(1) Verba ista ab aliis putantur mere exprimere orationem qua, nomine Ecclesiae, sacerdos Deum orat ut abundantes gratias actuales concedat quibus paenitens opera valde meritoria et satisfactoria peragat. Sunt tunc quoddam utile sacramentale : interpretatio ista magis congruit cum naturali verborum significatione. Alii vero iisdem tribuunt vim elevandi omnia opera bona paenitentis ad dignitatem satisfactionis sacramentalis, non quidem indefinite, sed donec non plene expiatae fuerint culpae accusatae et in sacramento remissae. Cfr NOLDIN-SCHMITT, III, 236.

163. - Paenitentiae ratio. Ab antiquissimo tempore, haec doctrina fuit Ecclesiae, peccata baptismo posteriora non iam plene, i. e. quod ad culpam et poenam, per se remitti nisi *laboriose*, i. e. congrua, pro temporali debito, oblata expiatione. Pro *temporali debito*, inquam, namque aeternum semper et necessario gratis una cum culpa aufertur. Simul Ecclesia in se recognovit potentiam reos ligandi poenis eosdemque plene etiam a debitis temporalibus solvendi : quae tamen potestas, cum non sit ad dissipandum data, prudenti usui obnoxia est. Praeterea cum, peracta imposita expiatione, peccatores habuerit tamquam plene purgatos et quasi altero baptismi genere ablutos, Ecclesia constanter professa est ad provinciam suam salvificam pertinere ut fideles suos a culpa et a poena liberaret.

A pluribus saltem saeculis (1) Ecclesia plenam peccatorum remissionem cum paenitentiis sacramentalibus, longe quam in primo aevo mitioribus, coniungere non intendit. Disciplina ista apud S. TH., *Quodlibeto* III, art. 28 clarissime demonstratur, et in Trid. S. XIV, c. 2. 3. 8. 9 ; S. XXV *Decr. de indulgentiis*, formaliter approbata est. Sed piis operibus, libere peragendis, indulgentiae annexae sunt quae ad exstinguenda debita temporalia sufficere possunt.

Constans igitur Ecclesiae traditio fuit absolvendi ex iurisdictionis potestate, etiam a poena, oblata solutione partim ex operibus paenitentium, partim ex meritis Christi et sanctorum. Prius tamen principalis solutio ex definitis paenitentiis, quas satisfactiones Christi et sanctorum tacite supplerent, peti solita erat, dum hodie opera non praecepta principalem locum obtinuisse videntur, et indulgentiae omnibus tamquam supplementa expresse praesto sunt. Hodie ergo, usu formaliter duplici iurisdictionis, quo paenitentias sacramentales imponit et indulgentias concedit, Ecclesia in perfectam peccatorum remissionem suavius, plenius et perfectius quam olim per disciplinam paenitentialem operatur. *Suavius*, inquam, quia sine tanta coactione et ex parte per ultroneos actus ; *plenius*, namque pro peccatis minus gravibus christiani olim quasi sibi relicti erant ; *perfectius*, quia in maiore luce splendent tum variae rationes quibus Ecclesia ligare et solvere potest, tum sacramenta eorumque virtus, tum merita Christi et sanctorum, et sanctorum communio, tum varia dignitas operum et praestantia spiritus amoris et caritatis.

Age porro, **c. 887** « Pro qualitate et numero peccatorum et condicione paenitentis, salutares et convenientes satisfactiones confessarius

---

(1) Fuitne diversa intentio Ecclesiae, quando graves et diuturnae paenitentiae imponebantur ? Id contendebat HILGERS, S. I., in opere *Die Ablässe*, sed historice minime constat. (D'ALÈS, *La doctrine des indulgences*, *Études*, t. 175, p. 40, ss.)

iniungat », expositioni casuisticae et pastoralibus indicationibus locum praebet. Cf. GALTIER, S. I., *La pénitence à imposer* : *Nouv. Rev. théol.* 1923, p. 1, ss. ; M. CLAEYS BOUUAERT, S. I., *La religion catholique en esprit et en vérité*, ibid. p. 211. 212, et nostram *Theol. mor.* III, 545 ss.

164. - Confessarii munus. « Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat » (c. 888, § 1).

Alia confessarius praestare debet quatenus est *confessarius*, alia quatenus est *proximus*. Quae debet ex munere, seu qua confessarius, debet sub graviore imputatione et cum maiore incommodo, et qua parte obligant confessarium erga alterum hominem, praestanda sunt ex iustitia et cum onere restitutionis ; dum reliqua quae positive praestanda sunt, obligatione et normis caritatis reguntur. Priora per se facienda sunt et a solo confessario ; posteriora, per accidens, quatenus necessitas occurrerit, et ab omni homine in iisdem adiunctis versante ; priora novam speciem peccati inferunt culpando confessario ; non item posteriora.

Itaque Codex duas formales officii rationes confessario implendas assignat : *iudicis*, quia absolutio vel retentio peccatorum est sententia iudicialis ; *medici*, quia ad sananda vulnera peccatorum iudicium istud est institutum. Prior ergo persona ex natura huius sacramenti, altera ex eius fine colligitur. Quare non se habent eodem ordine ; magis intrinsecum et essentiale est munus iudicis ; officium medici, quatenus de superaddita absolutioni medicina agatur, potius ad integritatem quam ad essentiam muneris pertinere videtur. Quatenus, inquam, de *superaddita* absolutioni medicina agatur, namque ipsa absolutio peccatorem substantialiter sanum efficit.

Hactenus dicta respiciunt *specificam* huius sacramenti rationem. Ex *generica* enim sacramenti ratione, sacerdos personam ministri agere debet, et hoc titulo validam et decentem sacramenti administrationem curare.

De istis officiis auctores saepe satis confuse dixerunt. S. ALPH., L. 6. n. 426, confessario personam *doctoris*, *patris*, *medici* ; AERTNYS-DAMEN, C. SS. R., L. 6, tr. 5, c. 4, art. 1, personam *doctoris*, *medici* et *iudicis*, ascribunt ; alii, v. g. PRÜMMER, III, 431 ; FERRERES, II, 704, quattuor munera *patris*, *doctoris*, *medici*, *iudicis* eidem competere existimant. Codex secutus est S. THOM., 4 S., d. 19, post omnes quaestiones ; LUGO, d. 22, n. 19 et d. 14, n. 171 ; D'ANN., III, 329 ; LEHMK., II, 541, officium *iudicis* ut unicum essentiale *proprium* agnoscit, ad quod cetera ut accessoria addit.

Ex duplici persona sustinenda, Codex infert confessarium « divinae iustitiae et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat ». Itaque respectus salutis anima-

rum, quamvis principalis, non est unicus ; sed oportet ut confessarius suam salvandi sollicitudinem cum cura honoris divini apte conciliet.

165. - Iuvanda accusatio. 1. Confessarius, qua *minister*, *medicus* et *proximus*, curare debet ut paenitens moraliter completam accusationem peragat. Qua minister enim, integritatem sacramenti, qua medicus sanationem perfectam, qua proximus spiritualem instructionis eleemosynam, procurare debet.

2. Minus gravis tamen est eius quam paenitentis obligatio. Ad paenitentem enim *per se* spectat diligens omnium peccatorum gravium accusatio ; *per accidens* tantum ad confessarium. Quare non censent graviter peccare confessarium qui in serie confessionum excipienda semel vel bis interrogationem necessariam omiserit.

3. Confessarius autem examen supplere debet non quale ipse confessarius in propria causa procurandum haberet, sed quale paenitens pro sua qualitate et eruditione instituere sine nimio incommodo potest. De his igitur solis speciebus quas paenitens pro sua condicione facile distinguit, erit interrogatio facienda. Numerica supputatio obtinenda erit qualis, pro tempore elapso, statu plus vel minus confuso conscientiae, moraliter possibilis est.

Atque etiam ad spiritualem paenitentis fragilitatem attendendum erit. Itaque cavendum est ne diligentia nostra paenitenti fiat nimis onerosa, et exosam ipsi reddat confessionem. Sic enim peccaremus contra primariam regulam agendi boni confessarii, quae est ut faciat eo modo quem salus animarum postulare videtur.

Confessarius « caveat ne curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum Decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne iuniores de iis quae ignorant imprudenter interroget » (**c. 888**, § 2).

Nisi enim paucae et cautae sint nostrae interrogationes, occasionem dare possumus accusationi vel suspicioni, ignorantiam imprudenter dissipare vel offendere, nosmetipsi vel paenitentem periculo peccandi exponere. Observes tamen solas curiosas aut inutiles quaestiones excludi.

166. - Confessarius « **caveat omnino ne complicis nomen inquirat** » (c. 888, § 2).

Hoc simplici vetito, c. 888 supplet excommunicationem prius latam Benedicti XIV Brevi *Suprema*, 7 iul. 1745, etc. ; *Ubi primum*, 2 iun. 1746, et confirmatam C. Pii IX, *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869, inter excomm. R. P. simpliciter reservatas, contra eos qui docuerint vel defenderint ut licitam, praxim inquirendi nomen complicis sub poena denegatae absolutionis.

Agitur de paenitente qui sui peccati complicem habuerit. Nomen

istius complicis inquirere est studiose et ex curiositate eam notitiam quaerere, sive intra confessionem, per interrogationem paenitentis, sive extra, quod multo peius foret.

Paenitentem de isto nomine sine iusta causa interrogare, ipso iure naturae prohibemur. Et grave foret id sub poena denegatae absolutionis facere, aut si accederet scandalum vel gravis diffamatio : his seclusis peccatum erit levis curiositatis. Severius Prümmer, *op. c.* n. 381.

Verum paenitens de complice interrogari poterit, quantum opus est ut species vel occasio peccati dignoscatur.

Confessarius urgere quoque poterit, immo per se debebit, obligationem, si quam habeat paenitens, revelandi seu deferendi complicem extra confessionem ; exigere tamen non potest ut haec revelatio sibi fiat, nisi forte sit Superior cui soli revelatio utiliter fiat. (Hoc tamen S. Alph., VI, n. 492, ob prohibitionem Ben. XIV, concedere non audet.)

Inconsultum autem est ut confessarius ultro assumat onus denuntiandi quempiam pro paenitente, immo ut id regulariter facere annuat.

167. - De sigillo sacramentali. Notio. Sacramentali sua confessione paenitens concredit confessario depositum inviolabiliter sigillatum, cuius sigillum *directe* vel *indirecte* violari potest. Inviolabilitas istius sigilli canone **889** vindicatur.

Violatio *directa* ab eo committitur qui narrat formaliter vel aequivalenter cum designatione personae ad quam pertinet rem quae sigillo protegitur.

Indirecta proprie committitur, quando revelatio ista non intenditur sed *permittitur*, i. e. quando sermone vel actione diversa et ad alium finem directa periculum incurritur ne manifestetur quod sigillo tegi debeat. Istud fiet, quando vel materia narratur sine aperta personae designatione, vel persona designatur sine materiae indicatione, sed cum periculo manifestandi personam, vel ingerendi suspicionem materiae.

168. - De usu scientiae sacramentalis. Secluso etiam omni periculo revelationis vel detrimento famae quod communitas vel locus pateretur, prohibetur nihilominus, extra confessionem, omnis usus scientiae confessionis cum gravamine paenitentis (**c. 890**, § 1).

Idque *absolute*, ut constat ex prop. prohibita ab Innoc. XI, per decr. *S. Off.* 18 nov. 1682 : « Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta (strictius dicta) revelatione et gravamine paenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur. » Ac statutum est « dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine paenitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione sive limitatione. » (Denz. 1220) Gravamen autem intellegendum

est vel quod paenitens re vera formaliter experiatur vel quod conaturaliter experiretur si novisset usum istum scientiae esse factum. Quare :

1 Ipse Codex c. 890, § 2 vetat omnem usum quem ad gubernationem exteriorem facerent notitiae de peccatis in confessione habitae « tam Superiores pro tempore exsistentes quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati ».

2. Nisi facultas obtenta fuerit, contra istam prohibitionem erit negare suffragium ei quem ex sola confessione noveris indignum, vel eundem officio removere ; dimittere famulum, convictorem ; cuipiam munus difficile et ingratum committere ; — paenitenti vultum austeriorem ostendere, vel eum *ob audita* in confessione (non stricte ob defectum naturalem aliter atque ex accusatione peccatorum notum, puta balbutiem, modum obscurum loquendi, declinare, et iam ad confessionem faciendam non admittere.

De usu scientiae sacramentalis sine periculo revelationis, non semper concors fuit doctorum sententia. Et saeculo etiam XVI plura putabantur in hac re permissa, quae hodie procul dubio vetantur, dum nullus scriptor theologus afferri possit qui directam aut stricte indirectam sigilli violationem permiserit.

Iste abusus scientiae referri potest et a non nullis auctoribus refertur ad quandam *latius dictam* sigilli violationem. Parum accurati modi loquendi non modicam in hac materia confusionem induxerunt, et variis controversiis occasionem dederunt.

Demum *improprie dicta* seu analogica sigilli violatio habetur sine usu scientiae sacramentalis, quando aliquid revelatur quod paenitenti afferat gravamen, vel confessionem odiosam reddat, ut si, in adiunctis quibus id displicet, dixeris talem ad confitendum accessisse, vel corporis aut mentis defectum reveles.

Si omnem violationem, etiam latius acceptam, non tamen analogicam complectamur, describemus obligationem ex sigillo ortam, seu *obligationem sigilli*, esse *obligationem, in omni casu inviolabilem, tacendi, etiam mortuo paenitente, dicta in ordine ad absolutionem sacramentalem, quorum revelatio seu manifestatio sacramentum onerosum vel odiosum redderet.*

169. - *Instr.* 9 *iun.* 1915, *S. Off.* rationem agendi improbavit eorum qui, etiam secluso periculo omnis revelationis paenitentis, narrant casus in confessione habitos, etiam si qui ad aedificationem facere possunt. Etenim fideles qui haec audiunt in minorem existimationem veniunt sigilli sacramentalis ; facile reperitur inter astantes qui putet casum suum referri, ita ut sacramentum aliquo pacto ei fiat odiosum. Iubet igitur S. Congr. ut Ordinarii locorum et Superiores abusus huiusmodi coerceant ; atque in posterum curent « edoceri sacerdotes sibi subditos ne quid unquam attingant pertinens ad materiam confessionis sacramentalis sub nulla forma nulloque praetextu, ne obiter quidem, nec directe nec indirecte, neque in publicis neque in privatis sermonibus, praesertim occasione missionum et exercitiorum spiritualium ».

Non ideo tamen prohibentur necessariae vel utiles consultationes.

Huc ergo spectare videntur haec gravissima monita supremae Congregationis : *a)* ut sacerdotes abstineant istis colloquiis quibus inter se, v. g. ad mensam, sermones misceant de miris casibus in confessione auditis, de peccatoribus qui a multis annis non erant confessi ; idque praesertim in missionibus, ubi facilior est huiusmodi imprudentiae occasio; *b)* ut in contionibus nulla referant tamquam audita in confessione, nisi licentiam datam expresse memorent ; *c)* ne palam narrent

quae videntur per solam confessionem cognosci posse, nisi subiungendo, res sibi alia via fuisse notas.

170. - « 1. Magister noviciorum eiusque socius, Superior seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant » (c. 891).

Nulla, igitur, hoc canone iurisdictio vel conceditur vel admitur. Verum iurisdictionis usus magistro noviciorum, eius socio, Superiori seminarii collegiive per se prohibetur erga suos alumnos secum in eadem domo commorantes. Prohibitio igitur non afficit Superiorem maiorem, qualis est Ordinarius loci, qui seminarium non habitet, nec Superiorem immediatum per ferias, si alumni tunc non sunt contubernales. Et quia *collegium* dicitur respectu convictorum, prohibitio non est respectu externorum, vel eorum qui in collegio non pernoctant.

Confessio tamen talis novicii vel alumni, quae semper valida manet, licite audietur, si haec *concurrant* : spontanea petitio ; gravis et urgens causa ; casus particularis. Gravis et urgens causa aderit, si paenitens ad tranquillitatem conscientiae audiri velit, nec, prae adiunctis v. g. instantis communionis vel absentis confessarii ordinarii, alium reperiat cui scrupulum vel peccatum suum facile declaret. Casus particularis excludere videtur confessionem quae, habitualiter fiat magistro, eius socio, vel Superiori collegii. Id ultimum tamen nimis urgere nolimus. Nam casus particularis non tam dicit casum singularem numero, quam casum qui substat causae *speciali*. Specialis autem causa potest afficere seriem etiam diuturnam.

2. Superiores religiosi qui ordinariam vel delegatam potestatem habent audiendi confessiones possunt quidem confessiones audire subditorum qui sponte sua ac motu proprio eos adeunt, « at sine gravi causa id per modum habitus ne agant » (c. 518). Et caveant ne per se aut per alium, vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione aliquem subditum inducant ut peccata apud se confiteatur (c. 518, § 3).

171. - Obligatio audiendi per se vel per alios confessiones fidelium sibi commissorum, quotiens ii audiri rationabiliter petunt, premit parochos aliosque quibus cura animarum vi muneris mandata est (c. 892, § 1).

Cum parochus nominatim petitur, plures, v. g. LEHMK., II, 50, et merito, ut videtur, cum id ad eius munus pertineat, volunt ipsum personaliter teneri, nisi impeditus fuerit, vel subditus libens alium aditurus sit. Nec SUAREZ tamen *De Paen.* d. 32, s. 1, n. 5, nec LUGO, *Paenit.* d. 22, n. 3, id exigere videntur, nisi spiritualis aliqua paenitentis necessitas postulet ut a parocho audiatur. Codex rem non videtur nisi secundum benignam sententiam urgere.

Graviter autem peccat parochus qui suis parochianis occasionem confessionis non praebet nisi paucis tantum diebus in mense. Sacramentorum enim receptionem, quam facilem reddere debet, efficit onerosam et difficilem. LEHMK., II, 50.

« *Urgente necessitate*, omnes confessarii obligatione tenentur ex caritate confessiones fidelium audiendi ; et in mortis periculo, omnes sacerdotes » (c. **892**, § 2).

Confessarii ii sunt qui, cum iurisdictionem obtinuerint quam *exercere soleant*, iam quasi ex munere confessiones excipiunt. Quare eos non putarim gravi incommodo excusari, si qui petunt in gravi spirituali necessitate versentur, vel si, tempore paschali, communis sit indigentia confessariorum in loco ubi degunt. Si vero petens confessionem est in mortis periculo, iam quilibet sacerdos tenetur, et quidem sub gravi, si gravis fuerit paenitentis necessitas. In suscepto enim ab ipsis sacerdotio Ecclesia titulum habet ipsis imponendi hanc obligationem quam c. 892 imponere videtur.

Caput II. - De reservatione peccatorum

172. - Reservatio casus est eius avocatio ad iudicium Superioris vel Ordinarii, qua simul potestas inferiorum limitatur (c. **893**, § 1 et 2).

Definitione ista, genuina notio reservationis restituitur, quae non est, saltem principaliter, poena, sed directe dicit restrictionem iurisdictionis, ita ut confessarium non autem paenitentem directe afficiat.

Quocirca de *subiecto* reservationis, *Pontificia Commissio de Codice*, 24 nov. 1920, *De reservationibus*, prudenter respondit *peregrinum* teneri reservationibus loci in quo degit (AAS, XII, 1920, 575 ; *Per.* X, 251). Etenim. ex c. 881, § 1, ipsi iurisdictione dioecesis loci ubi confitentur absolvuntur. Hanc autem reservationem restrictam possidet confessarius absolvens. Quo pacto ergo posset erga peregrinos uti iurisdictione ultra fines quibus eam habet ?

173. - Potestas reservandi casus iis omnibus competit qui ordinario iure facultatem audiendi confessiones facere vel censuras ferre possunt. Vicario tamen *capitulari* potestas negatur ; dum Vicarius *generalis* speciali mandato opus habet (c. 893).

Canone quidem 896, in religionibus clericalibus exemptis potestas reservandi casus soli Superiori generali expresse addicitur. Id tamen dictum putamus respectu aliorum Superiorum singulorum, cum canon his verbis incipiat : « Inter Superiores ». Itaque intactam manere arbitramur potestatem Capituli vel Congregationis generalis, in quibus suprema Ordinis iurisdictio inest.

174. - De ignorantia reservationis. Quaeri consuevit utrum necne ignorantia paenitentem a reservatione excuset. Attenta genuina notione reservationis, quae maturiori iudicio causas graviores subdit, ita ut iurisdictionem inferioris limitet nec inter poenas canonicas numeretur, responsio certo negativa danda videtur. Quod declaratione mox allegata de peregrinis non parum confirmatur. Proprias enim alienae dioecesis reservationes hi plerumque ignorant, nec huius poenis ligantur ; et tamen simplex confessarius eosdem per se a casibus reservatis

absolvere posse, sine ulla distinctione est negatum. Nondum tamen extrinsecam probabilitatem sententiae benignioris reicere audemus. Hanc rationibus suis stipatam cfr in lucubratione R. P. FUSTER, S. I., *Los reservados episcopales según el nuevo Código*, in RAZÓN Y FÉ, t. 52 (1918), 510 sq. ; t. 53 (1919), 103. 216. 510 ss.

Nihil tamen prohibet *reservantem* quin sola reservet peccata quae cum cognitione reservationis commissa sint. Quam mentem Ordinarius vel *expresse*, declaratione ad reservationem addita, vel *tacite* significare poterit, v. g. si excusatio propter ignorantiam in suo seminario doceatur. Numquam autem dicemus, « *ignorationem a reservatione excusare* », sed potius concedemus cognitionem reservationis inter condiciones casus reservati quandoque computandam esse.

175. - Duplex reservationis obiectum. Reservari possunt *peccata* et *censurae*. Ambo communi *reservati casus* nomine vocantur, ita ut potestas in *reservata* vel in *casus reservatos* data, per se utramque potestatem in peccata et in censuras reservatas complectatur. Quando autem peccatum censura simul, i.e. poena medicinali, punitur, reservatio afficere potest vel solum peccatum, vel solam poenam, vel utrumque Si vero censura, qualis excommunicatio, ipsum impedit usum legitimum sacramentorum, absolutio censurae absolutioni peccatorum formaliter praeponi debet. Quare si tunc reservatio solam censuram afficit, peccatum nihilominus dicitur reservatum *ratione censurae*. In capite autem *De Paenitentia*, Codex fere non agit nisi de reservatis peccatis. Disciplinares regulae de reservatis censuris in libro V° proponentur.

176. - « Unicum peccatum ratione sui S. Sedi reservatum est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos » (c. 894).

Attamen, c. 2363 falsa denuntiatio huius criminis, Superioribus facta, censura specialiter S. Sedi reservata plectitur. Quomodo haec componantur, in L. V° dicemus.

Accessit tamen, ex decreto *S. Paen.*, 10 nov. 1928, peccatum confessarii absolventis adhaerentes obstinate factioni « Action Française ». Quod peccatum ita reservatur, ut qui ab eo absoluti fuerint debeant, sub poena excomm. specialiter S. Sedi reservatae, intra mensem a die obtentae absolutionis vel, si aegroti, a convalescentia, recurrere ad S. Paenitentiariam eiusque stare mandatis (Cfr AAS., XX, 398, *Per.* XVII, 246 ss).

177. - 1. Ordinarius locorum monetur ne peccata reservet nisi, vel ex discussione in synodo facta, vel ex audito capitulo cathedrali et aliquot selectis curatis, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit (c. 895).

2. Inter Superiores religiosos, solus *Superior generalis* religionis exemptae, vel *abbas* monasterii sui iuris, cum proprio cuiusque Consilio, peccata, ut supra, reservare possunt. Qua tamen reservatione *vetantur*

restringere potestatem confessariorum ordinariorum domus religiosae; nec facultatem coarctare *valide* possunt confessarii ab Ordinario loci approbati, quem religiosus adiverit (cfr **c. 896**. 518. 519).

Cum proprio Consilio id est, *audito* isto Consilio : sic enim clausulam istam interpretandam ducimus. Quae interpretatio ex loco parallelo immediate praecedente confirmatur. Ordinario enim loci mere praecipitur ut capitulum suum audiat.

178. - Sequendae normae. 1. Pauci casus, tres ad summum vel quattuor, ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis, *specifice determinati*, **reservandi sunt (c. 897).**

2. Reservatio ne ultra in vigore maneat quam extirpatio inoliti cuiuspiam vitii vel instauratio collapsae disciplinae postulet (c. 897).

3. Prorsus abstineant omnes a peccatis sibi reservandis « quae iam sint Apostolicae Sedi, etiam ratione censurae, reservata ; et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit » **(c. 898).**

Prima condicio, dum specificam *determinationem* requirit, postulat ne genus, v. g. concubinatus, reservetur ad speciem attingendam, sed vult ut casus circumscribatur iis notis vel adiunctis quae reservationem postulent : reservetur v. g. concubinatus adulterinus, si propter istam circumstantiam reservandus sit.

Quod *ad 2am condicionem*, hodie, sane, non in omni regione sperari potest ut vitium reservatione extirpari possit. Sed si propagationem vitii impediat, id iam satis esse arbitramur ut reservatio utilitatem habeat quae votis S. Sedis postulatur.

Tertia condicio ambo haec vetat : *a*) ne Ordinarii reservent *ratione sui* peccatum quod, ratione *censurae* tantum, reservatur S. Sedi ; *b*) ne regulariter saltem, seu sine causa peculiari, reservent peccatum cui a iure annexa est *censura*, quamvis non reservata. Itaque, v. g. ne reservent sibi violationem clausurae monialium vel virorum regularium, quae ratione excommunicationis est reservata S. Sedi (c. 2342) ; nec, saltem regulariter, sibi reservent scienter praetermissum beneplacitum apostolicum in alienatione bonorum ecclesiasticorum pretiosorum vel valore 30000 libellas excedentium, cum puniatur censura nemini reservata (c. 2347, 3°).

Quid, si censura sit a iure reservata Ordinario v. g. abortus effectu secuto et peccatum ratione sui ab Ordinario reservaretur ? Cum casus non reservetur S. Sedi, versamur extra casum *a*) ; sed, si id faceret regulariter, Ordinarius offenderet alterum vetitum, quo iam prohibetur regulariter reservare casum cui censura nemini reservata imposita est. Id dicimus, attenta sola littera legis.

Legem non violarit Ordinarius qui sibi reservarit v. g. attentationem abortus *effectu non secuto* quia attentatio ista nulla sanctione latae sententiae vel reservatione iuris communis afficitur.

Observes, secundum plures auctores non posse *valide* ab episcopo reservari casum iam reservatum S. Sedi. Cf. quoque Cappello, II, 519.

179. - Reservatio *quaevis* vi **caret**, ex **c. 900** :

1. Cum confitentur *aegroti* qui domo egredi nequeunt, vel *sponsi* matrimonii ineundi causa.

2. Quotiens vel legitimus Superior *petitam* pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem *denegaverit*, vel, prudenti confessarii iudicio, facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi paenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis.

3. *Extra territorium* reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam paenitens ex eo discesserit.

Regulae istae, propriae peccatorum quae *sine censura* reservantur, ita latae sunt ut statutum sive episcopi sive Superioris religiosi quod iis contrarium fuerit, valore destitueretur. Propter verbum *quaevis*, cadere quoque nobis videbatur in unicum peccatum ratione sui S. Sedi Codice reservatum. Quod nunc constat ex *Comm. I. C.* 10 nov. 1925 (AAS, XVII, 583 ; *Per.* XIV, 177 et 185). Non afficiunt autem alterum peccatum de quo n. 176.

Ob benignam legislatoris mentem, arbitramur *aegrotos* intellegi posse quotquot corporis infirmitate, v. g. fracto pede, domi retinentur. Atque exceptio prodest etiam iis, v. g. religiosis, qui in domo sunt ubi confessarii habitant.

Sponsi vero sunt quicumque in ordine ad proximum matrimonium confitentur ; id est, sunt omnes nupturientes, quamvis nulla sponsalia formaliter fecerint.

Grave paenitentis incommodum est, v. g. gravis difficultas redeundi ad confessarium, necessitas celebrandi, difficultas abstinendi communione sine aliqua nota vel suspicione ; immo, ni fallimur, ipsum notabile animae detrimentum quod ob minus bonam voluntatem pateretur, si timendum sit ne recedat indispositus, vel omissurus sit praeceptum paschale. Cf. quoque CAPPELLO, II, n. 554.

Periculum violandi sigilli aderit si, ob adiuncta, timendum sit ne Superior in suspicionem veniat personae pro qua facultas petitur. Hoc autem nomine non venit periculum ne ipse paenitens, adeundo privilegiatum confessarium, se isti suspicioni exponat : nequit enim paenitens facto suo sigillum violare. Sed tale periculum inter gravia incommoda numerandum erit.

Cum autem negata a Superiore facultas, in casu determinato petita, ipso iure concedatur, vis reservationis huc demum recidit ut paenitens qui reservatum commisit, simplicem confessarium bis adire cogatur, et sic maturiores confessarios quaerere suadeatur, quos facultatibus instructos merito praesumere possit. Promulgatio autem reservationis subditos de gravitate reatus, de eius oppositione cum status sui ratione opportune monet. Cf. NOUV. REV. THÉOL., *De l'utilité des réserves dans les Ordres religieux* (BESSON), 1921, 24.

Cum ipsa cesset reservatio, absolutio lata est procul dubio *directa* (1).

180. - Reservationum divulgatio. Facultas in reservata. 1. Ordinarii locorum curare debent ut reservationes suas ad subditorum notitiam deducant ; nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant (c. 899, § 1).

2. Facultatem tamen ipsum ius tribuit *canonico paenitentiario* ; vultque ut saltem Vicariis foraneis seu decanis habitualiter impertiatur ; addita, praesertim in locis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi totiens quotiens confessarios sui districtus, si et quando, pro urgentiore aliquo casu, ad eos recurrant (c. 899, § 2).

3. Praeterea, ipso iure a casibus quos quoquo modo sibi Ordinarii reservarint absolvere possunt *parochi*, aliive qui parochorum nomine in iure veniunt, toto tempore ad praeceptum paschale utili ; tum singuli missionarii, dum missiones ad populum habentur (c. 899, § 3).

---

(1) Si in quo raro casu, confessarius simplex uti nequeat can. 900 ad absolvendum paenitentem a peccato sine censura reservato, FERRERES, II, 670, existimat eidem licere ut absolvat cum onere recurrendi, quasi casus fuerit cum censura reservatus : esse paritatem causae, et decreto anni 1888, unde c. 2254 desumptus est, absolutionem etiam a reservato sine censura contineri.

Canone isto, dum divulgationem reservationum praecipit, et monet ne casus reservati *cuicis et passim* communicentur, legislator efficaciae reservationis prospicere intendit. Ne inde tamen putemus ipsius menti consentaneum esse ut facultas in reservata nemini vel tantum paucis delegetur. Diserte vult ut pauci sint casus; nusquam autem dicit : « Pauci ab iis absolvere possint ». Immo plures ipse indicat quibus facultatem habitualem, cum potestate subdelegandi, competere vult. Sed cum cavet « ne cuivis et passim detur », id unum intendit, ut selectis confessariis, tum saecularibus tum religiosis, committatur facultas quae, secundum ipsius legislatoris mentem, potius tribuenda quam neganda videtur.

Ex can. 451, nomine *parochorum* veniunt quasi-parochi qui quasi-paroecias regunt in quas Vicariatus vel Praefectura apostolica divisa fuerint (c. 216, 2. 3) et vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti. (Cf. cc. 471-475).

Porro *tempus* ad *praeceptum paschale implendum* utile illud est quod sive iure communi sive statuto Ordinariorum, potestate sibi facta utentium, statuitur ; illud denique etiam, ni fallimur, quod cuipiam legitime prorogatum est. Neque exigitur ut confessio ad paschale praeceptum implendum fiat. Sed tempus ipsum est privilegiatum, in quo etiam ii qui paschali praecepto iam satisfecerint, absolutionem casuum quos Ordinarius sibi reservaverit a parochis obtinere possunt.

Quia lex favorabilis est, *missiones* intellegi possunt etiam *exercitia spiritualia*, dummodo ad aliquem populum, id est collectiva ratione, tradantur. Lex enim missiones *in ecclesia* factas non postulat. Ac propter eundem finem conversionis et renovationis spiritualis, tum missiones tum exercitia spiritualia dantur, nisi quod in his magis activa populi seu recipientium cooperatio supponitur. Immo CAPPELLO, II, 553 *probabile*, attento fine legis, id valere etiam de exercitiis singulatim factis.

181. - Conclusio de praesenti reservationis oeconomia. Normae explicatae simul demonstrant, in hodierna disciplina paenitentiaria, reservationem peccatorum esse quidpiam secundarium, in cuius locum alia media efficaciora et minus periculosa adhiberi possunt, ita ut nulla sit necessitas addendi, ad reservationes pontificias, alias reservationes iuris particularis. Quod magis confirmatur Instructione *S. Officii*, 13 iul. 1916, quae canonibus de reservatione viam munivit. Sic enim habet, n. 8 : « Sed denique studeant potissimum Ordinarii doctos, pios ac prudentes confessarios in tota dioecesi efformare, iisque opportuniora ad inolita vitia convellenda remedia suggerant quae ipsimet, si paenitentes ad se remitterentur, adhibituri forent. Quo, dum confessariis et paenitentibus inevitabiles reservationum molestias vitabunt, optatum effectum suavius simul ac certius, Deo adiuvante, consequi poterunt ».

Quare in hac Alma Urbe, suppressa est omnis reservatio dioecesana peccatorum, et omnibus confessariis facultas facta est absolvendi a casibus qui iure reservantur Ordinariis.

Ut tamen reservatio, quando servatur, sua utilitate non privetur, e mente Ecclesiae est ut reservationes sint paucae numero, temporariae,

ut facultas ab iis absolvendi probatis tantum detur confessariis, et ut notitia reservationum late vulgetur.

Caput III. - De Subiecto sacramenti paenitentiae

I. REGULAE GENERALES

182. - Usus licitus et necessarius sacramenti. 1. Subiectum idoneum seu capax sacramenti paenitentiae est omnis homo viator baptizatus, qui post baptismum peccavit. Is licite quaerit in hoc sacramento absolutionem a peccatis venialibus et a peccatis mortalibus etiam directe iam virtute clavium remissis (**c. 902**) ; debet autem clavibus sacramentalibus subicere peccata mortalia, post baptismum commissa et nondum per claves Ecclesiae directe remissa. Quam obligationem inculcat **c. 901**.

2. Quod ad modum, iis qui aliter confiteri non possunt licet, firmo sigillo sacramentali, confiteri per interpretem. Praecavendi sunt abusus et scandala (**c. 903**).

Si, conventione facta, interpres, terga vertens paenitenti, alta voce legat formulam examinis conscientiae, paenitens vero, signo manu dato, peccata confiteatur, poterit confessio fieri prorsus secreta coram interprete et etiam astantibus (si non numquam fieri expediat).

3. Quod ad tempus exsequendae istius obligationis, haec urgetur tum in periculo mortis : quo casu graviter peccarit qui gravi discrimini se voluntarie exponat moriendi ante complete factam confessionem et receptam absolutionem ; tum, ex lege Ecclesiae, saltem semel in anno, pro omnibus qui ad annos discretionis pervenerunt. Anni autem discretionis intelleguntur ipse usus rationis.

4. Ex collato c. 901, qui generali obligationi requirit peccata mortalia post baptismum commissa, cum **c. 906**, qui eius obligationis implendae tempus definit, iam constat, quod in controversiam veniebat, eos solos praecepto annuae confessionis teneri qui mortalia peccata commiserint.

5. Annus autem supputari potest sive civilis sive a Paschate ad Pascha, sicut de praecepto annuae communionis dictum est. *Per accidens* tamen iterum confiteri debebit, qui, ante tempus paschale iam confessus, novum quodpiam mortale commiserit a quo absolvendus est, ut praecepto communionis paschalis satisfacere queat.

Per accidens quoque ad confessionem faciendam obligabitur, is cui usus sacramenti sit necessarium medium vitandi peccata gravia. Sed ipsa necessitas vel non demonstrabitur vel a fideli non apprehendetur, ita ut constans istius remedii usus prudenter a confessario declarari non possit stricte necessarius. Opportunis-

sime autem confessarius paenitentem peccatorem adhortabitur ad frequentem exomologesim. Atque ut consuetudo gignatur, optimum erit ut, pro gravitate culparum, tamquam paenitentiam sacramentalem, iniungat novum usum sacramenti v. g. post mensem, idque semel vel bis aut ter, pro bona paenitentis voluntate.

6. Denique c. 907 docemur praeceptae confessioni non satisfieri ab eo « qui confessionem facit sacrilegam vel voluntarie nullam ».

Voluntarie nulla plerumque erit simul sacrilega. Casus tamen fingi possit hominis qui iniuste coactus ad definitum sacerdotem adeundum, nolit tunc serio sacramentum suscipere. In eo casu, culpa frustrati sacramenti iniuste cogenti imputanda videtur.

183. - Quid absolutio directa, indirecta. Directe a peccato absolvitur is cui peccatum vi sententiae iudicialis sacerdotis remittitur : quod supponit causam iudici esse propositam, et sufficientem in iudice haberi potestatem. Indirecte autem a peccato absolvitur is cuius quoddam peccatum forensi quidem decreto non attingitur, remittitur tamen virtute gratiae sanctificantis, ex administratione sacramenti infusae. Haec enim cum nullo peccato mortali componi potest.

Qui enim cum debita dispositione ad sacramentum paenitentiae accedit, ius habet ad praesentem consecutionem vel ad novam infusionem gratiae sanctificantis. Manens tamen cum uno peccato mortali, gratiam istam consequi nequit. Restat igitur ut Deus per instrumentalem causam sacramenti ex opere operato infundat gratiam ; haec autem peccatum mortale expellat.

Quia autem indirecta ista absolutio cohaeret cum infusione gratiae, et nulla infusio gratiae formaliter comitatur absolutionem censurae, absolutio *censurae* nequit esse nisi directa.

Duplex autem causa erit absolutionis indirectae : defectus iurisdictionis in certa peccata, et praetermissio accusationis peccati, sive ex oblivione sive ex iusta causa excusante.

184. - Quid de peccatis commissis ante baptismum condicionate iterandum ? Debentne clavibus Ecclesiae subici peccata mortalia commissa ante baptismum qui sub condicione iteratur ?

Res non vacat controversia. Plerique ea dicunt esse materiam *necessariam* confessionis. Etenim, sic ipsi aiunt, condicionata iteratio baptismi, quae securitatis causa permittitur, non impedit quin ad participandas obligationes societatis christianae, teneat vulgatum istud : in dubio standum est pro valore actus. Quare qui probabiliter est civis societatis omnibus huius obligationibus astringitur. Cfr. D'ANN., III, 252 (13); LEHMK., II, 424. Responsum confirmant, tum declaratione *S. Off.* facta in causa Caroli WIPPERMANN, in Germania, 14 iun. 1715, tum resp. *S. Officii* 17 dec. 1868 (ASS, IV, 1912, 320) quo neo-conversi Angliae iussi sunt integre confiteri.

Quare LEHMK., II, 424, iam prorsus relinquendam aestimat opinionem benignio-

rem LACROIX, L. 6, p. 1, n. 324, et aliorum qui contendunt, post dubium baptismum non remanere nisi dubiam, ac proin practice nullam, obligationem accusandi peccata ante iteratum baptismum commissa. In erudita tamen sua disquisitione, Ill. D. MANNAIOLI (1) controversiam nondum esse authentice, ne via quidem disciplinari, sublatam fatetur. Ipse quoque infirma putat argumenta REUTER et LEHMKUHL : certa enim possessione carere baptismum dubie validum, nec demonstrari illam subiectionem certam legibus Ecclesiae qua LEHMK. eum gravat qui iura seu beneficia Ecclesiae certo non participat. Addas forum internum non regi praesumptionibus quae in foro exteriore necessariae sunt. Nihilominus doctus scriptor existimat obligationem observandi omnia praecepta christianorum et ideo confitendi omnia peccata publico societatis christianae bono postulari, ac proinde iure divino, ipsa, inquam, vi « iuris divini quo ecclesiastica societas constituta est et regitur » sanciri. Publico autem bono postulari propter gravissimas perturbationes quas licentia contraria afferret. Pergerent enim ipsi neo-conversi omnibus Ecclesiae legibus se immunes existimare, atque ipsi catholici propenderent ad dubitandum de suo baptismo ut obligationes positivas christianorum effugerent. Quid autem si, dubio sui baptismi valore innixus, episcopus legem caelibatus respueret ? — Verum haec non adeo formidanda esse videntur. Neo-conversi brevi post conversionem certum baptismum recipere solent, ita ut nulla diuturna immunitate fruerentur : dubia de baptismo frequenter nascitura esse catholicis ex spe declinandi obligationes, prorsus non verisimile est, cum hominibus male dispositis modus simplicior suppetat iugum Ecclesiae declinandi, extraordinario autem scandalo quod daret putatus episcopus ducendo uxorem aliter occurri potest per secretum discessum in regionem longinquam. Nec minor foret difficultas, si episcopus reperiret se certo invalide baptizatum esse, vel si ipsa collatio baptismi dubia foret : tunc tamen Ill. auctor omni obligatione imponenda abstinet.

Sic de re breviter statuendum esse nobis videtur. 1. Angliae, cui latum est decretum *S. Officii*, et foederatis Americae septemtrionalis Statibus, quibus per conc. Baltimorense est extensum, observanda est disciplina integrae confessionis, sed tamquam ecclesiastica, ita ut prudenter urgenda sit sicut aliae ecclesiasticae leges. Nec dicas cum LEHMK., II, 424, haberi ibi authenticam iuris divini interpretationem, cum Ecclesia non possit materiam quampiam efficere necessarie accusandam. Namque non ita constat huiusmodi rationabilem condicionem confessionis probabiliter necessariae non posse ab Ecclesia imponi tamquam legem qua haereticos secum reconciliet ; et responsa ista dari potuerunt propter moralem certitudinem valoris baptismi in casu concreto. In postulato enim de Anglis conversis, episcopi oratores allegarunt iuniorem clerum anglicanum magna diligentia valido baptismo consulere. Atque ita accedimus ad responsum intrinsecum. 2. Cum baptismus ob causam etiam levem sub condicione iteretur, causas distinguendas esse arbitramur. Si gravis ratio erat dubitandi de valore

(1) *De obligationibus christianorum propriis quibus in genere dubie baptizati obstringuntur, et in specie de confessione sacramentali integra ab haereticis neo-conversis et a catholicis adultis qui sub condicione rebaptizantur divino iure peragenda.* Disquisitio theologico-moralis. Romae, 1913.

prioris baptismi, sola probabilis exsistit obligatio confitendi peccata, quae, nisi in periculo mortis sola confessio det securitatem, certo urgeri nequit. Si vere ob leve dubium baptismus iteratur, ceterae obligationes baptizatorum non ideo nutare possunt. Moraliter certa itaque erit tunc obligatio integrae confessionis peragendae.

Recens tamen P. Arendt, S. I., in erudita lucubratione (1) existimat ad certum baptismi recepti factum accedere de valore praesumptionem iuris et de iure, lege divina contentam, et quae proin certas reddit obligationes etiam fori interioris. Praesumptio ista sola certitudine nullitatis baptismi eliditur.

185. - Confessarii legitime approbati libera optio permittitur cuivis fideli, etiam si confessarius ad alium ritum pertinuerit (**c. 905**).

Quae ratio nobis esse videtur stricte potius interpretandi leges quae libertatem religiosorum et sororum coartant, cum facultati communiter factae derogent.

II. DE CONEXA OBLIGATIONE DENUNTIANDI

186. - Lex de denuntiando sollicitante. « Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim C. Benedicti XIV *Sacramentum paenitentiae*, 1 iun. 1741, debet paenitens reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario vel S. C. S. Officii ; et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere paenitentem monere » (**c. 904**).

Praeter obligationem deferendi quosdam reos, quae ex iure naturae manare potest, memoranda est hoc loco peculiaris obligatio iuris positivi, interpretanda ex monumentis iuris anterioris, cuius hanc brevem summam tradere debemus.

Praeter C. Ben. XIV consulenda quoque est C. anterior Greg. XV, 30 aug. 1622, *Universi*, quam Ben. XIV in suam Constitutionem fere rettulit, non tamen suppressit. Atque in C. *Etsi Pastoralis*, 26 maii 1742, § 9, n. 5, Ben. XIV declaravit legibus istis latinos et graecos aeque teneri. Ad Constitutiones istas varia accesserunt responsa *S. Officii*, maxime 16 responsa 11 febr. 1661, et instructio ad episcopos, 9 febr. 1867. Decreto Alex. VII, 24 sept. 1667, duae propositiones huc attinentes n. 6. 7, proscriptae sunt : quod decretum quoque a Ben. XIV confirmatum est.

187. - Reus denuntiandus est *sacerdos* qua confessarius (non qua paenitens) etiam iurisdictione carens ; non vero clericus inferior aut laicus. Quamvis non nulli id negent (2), ipse *episcopus* denuntiandus videtur. Ab inquisitoribus quidem iudicari non potest, sed hodie res

(1) *Un prétendu conflit entre le for extérieur et le for intérieur. N. R. Th.*, 1924, 385, ss.

(2) Attento saltem iure positivo ac proin intacta obligatione legis naturalis quae adesse facile potest. Sic Arregui, 653 ; Ferreres, II, 692 ; Noldin-Schmitt, III, 377 nota. Sententiam istam *canonice* veram dicit Prümmer, III, 462, (in ed. tamen 1928, mere « forte probabilem »), sed urget obligationem iuris naturalis.

facile ad C.S. Officii defertur. Sic S. ALPHONSUS, L. 6 n. 685 melius dici existimat, et id stilo Supremae Congregationis consentaneum esse novimus.

Reus iste debet *sollicitasse* ; sed non excusatur mutua sollicitatione quam fecerit paenitens, immo quam paenitens inchoaverit. Mere tamen consensus exteriore signo datus, non videtur sollicitatio, quamvis plerique severius respondeant. Cf. S. ALPH., VI. 681 ; BUCCERONI, Opusc. in C. *Sacramentum Paen.* n. 29 : quod PALM., V, 727 nota, improbare non audet. Mutua autem sollicitatio habetur si ambo agunt quae vetantur, etiamsi alter faciat invitatus.

188. - Sollicitatio fieri potest verbis, signis, nutibus, tactu (in corpus proprium aut alienum), ipsa scriptura aut tunc aut postea legenda. Verba quae sollicitationem non clare continent, ex adiunctis vel subsequenti eventu aestimanda erunt. Ita verba in laudem pulchritudinis, vel haec dicta : « veniam in domum tuam promitte mihi te facturum quod voluero » sunt iam in se satis suspecta. Haec alia vero : « Exspecta me tali loco ; negotium tecum tractandum habeo » iudicabuntur inchoata sollicitatio, si in isto congressu nullum serium negotium agendum demonstretur, et invitans sollicitaverit.

Nec refert (modo alia requisita adsint) distinguere utrum paenitens immediate, an mediate sollicitatus fuerit, an opera paenitentis conscii altera persona, an sit ad peccandum secum, an cum altero.

Oportet tamen ut de pravo confessarii affectu moralis certitudo habeatur.

189. - Sollicitatio, quamvis nondum in se debeat apparere grave peccatum externum, dirigi tamen debet (ut casus habeatur) ad peccatum grave, externum, contra sextum decalogi praeceptum.

Peccatum istud potest consistere in actionibus, in tractatibus, in sermonibus. Tractatus sunt hic consilia, deliberationes, pactiones (*delle trattative, des machinations*) de re turpi tunc vel postea facienda : sive ea a solo confessario vel ab ambobus proponantur.

Denuntiandus igitur est qui miscet de praesenti (in requisitis adiunctis), etiam provocatus, turpes sermones, seu verba graviter illicita et castitati contraria.

190. - Adiuncta requisita. *Positiva* tamen denuntiandi obligatione non omnis sollicitatio attingitur, sed ea sola quae facta sit « *in confessione* » (c. 904). Haec verba tamen amplam ex confirmatis constitutionibus significationem receperunt. Itaque denuntiandus est qui supra descriptam sollicitationem fecerit vel inchoaverit :

1. *In actu sacramentalis confessionis,* nec refert sacramentum dein interruptum esse vel mansisse incompletum.

2. *Ante* vel *post* confessionem, sed, in utroque casu, *immediate.* Si aliud vere medium intercesserit, casus non habetur. *Vera* hic supponitur confessio.

Quid si paenitens dum *petit* confessionem vel vult confiteri, sollicitatur? Si petitio formalis vel virtualis fit dum paenitens est in actu et statu confessionis: v. g. confessarius sedet, paenitens non mere est inter circumstantes eius confessionale, sed iam est ad eius pedes genuflexus, tunc habetur virtualiter inchoata confessio, et sacerdos est denuntiandus. Quod multo magis constat, si confessarius sic petenti confessionem annuit, quamvis, propter ipsam sollicitationem, paenitens subinde iam confiteri nolit. Si nondum est in statu et actu confessionis, non videtur vi huius clausulae deferendus.

3. *Occasione confessionis,* seu quando confessio est causa per accidens sollicitandi personam confitentem. Casus proprie habetur, quando confessarius paenitenti quem vult sollicitare schedam tradit ab ipso postea legendam, et quae sollicitationem contineat.

Clausula tamen extenditur ad casum quem modo solvimus paenitentis qui in statu confitentis sollicitatur, dum in eo erat ut accusationem inciperet.

Praeterquam quod res est difficillimi usus et probationis, non constat deferendum esse confessarium qui notitia abutitur hausta in confessione, v. g. fragilitate paenitentis ad eum sollicitandum. *Occasio* enim est minus stricte *confessio* quam *notitia* habita ex confessione. Cfr. Palm., *Op. theol.* nota ad tom. V, 718.

N. B. Non autem est, ex lege positiva, denuntiandus qui confitenti famulo tradit schedam ferendam alii personae non paenitenti quam confessarius sollicitet, si ipse famulus nullo modo complex est. Tunc enim paenitens nullo pacto sollicitatur.

4. *Praetextu confessionis,* etiam confessione non secuta. Praetexere confessionem est sollicitationi colorem dare confessionis. Praetexere autem debet *confessarius,* atque hoc maxime fecerit qui, prava intentione ductus, colloquia turpia in ipsa confessione ineat quasi haec completae accusationi sint utilia vel necessaria. Oportet autem ut praetextus ad *ipsum paenitentem* vel decipiendum vel movendum ad peccatum dirigatur.

Quare non habetur casus, si paenitens praetexat confessionem ut confessarium sollicitet, vel, si ambo ex condicto id praetexant ut alios fallant. Sic S. Alph. VI, 679 qui ibidem deferendum dicit confessarium ex cuius consilio mulier se fingit aegrotam ut advocet confessarium quocum peccet. Utrique solutioni repugnat Ball., V, 719, 720, existimans non requiri ut praetextus afficiat paenitentem.

Praetextu vero confessionis sollicitare perhibetur confessarius qui puerum mittendum curet in cubiculum eumque, etiam fine confessionis proposito ingressum,

sollicitat ; vel sacerdos qui, sive ficte sive vere, paenitentem invitet ad confitendum, ut eum sollicitet. Invitet, inquam, ad *confitendum*. Namque si praetextu confessionis personam invitet ut se conferat in ecclesiam ibique eam, extra sedem confessionalis, ac proin non iam praetexens confessionem, sollicitet, casus deferendae sollicitationis non habetur, cum sola *invitatio* non ipsa sollicitatio praetextu confessionis facta sit.

Magis manifesto a denuntianda sollicitatione immunis est qui confessionem allegat ut licentiam obtineat alienam domum adeundi in qua peccaturus est cum complice.

5. *Cum simulatione* audiendi confessionem facta sollicitatio, etiam extra confessionis occasionem ac proin etiam si ambo ob finem plane diversum se illuc contulerint, *in confessionali*, sive in alio *loco ad audiendas confessiones destinato* aut *electo*.

Confessionale est aedicula ista formae peculiaris in ecclesia posita ad usum sacramenti paenitentiae. — Locus *destinatus* ad confessiones est, non tota sacristia, sed, v. g. ibi vel in locutorio positum genuflexorium cum sede ad audiendas confessiones. Talis, ex ipso resp. *S. Off.* in ACT. S. SEDIS, t. 9, p. 530, est locus quo monialium confessiones audiuntur. — Locus *electus* ad confessionem est alius quilibet locus, v. g. cubiculum infirmi, ubi saltem unus amborum sincere voluerit vel confiteri vel excipere confessionem. Si enim uterque locum ad confitendum eligere mere finxerint, locus dici nequit *electus* confessioni faciendae, nec simulatio confessionis fit in loco vere electo.

Simulatio autem in duobus prioribus locis habetur iam reipsa, si paenitens et confessarius se modo solito ibi sistant, nisi ex cachinnis perspiciatur aliam rem agi ; dum in tertio loco, studiose imitanda est externa confessionis ratio ut simuletur confessio. Simulatio enim dicitur figura sine re. Testes actu praesentes non sunt necessarii. Satis est ut adesse possint.

191. - 1. Obligatio denuntiandi tenet : *a*) Ipsum *sollicitatum* ; *b*) *Quemvis alterum*, etiam impuberem, modo compos rationis fuerit, qui sive ut testis immediatus sive ex fide dignis personis factam sollicitationem noverit (1). Eum tamen excipias cui ad consilium petendum res manifestata fuerit. Et qui mere rem audivit, non iam obligatur, si persona narrans suae obligationi satisfecit.

Nec longum temporis intervallum, nec defectus probationum, nec denuntiatio iam facta alterius casus, nec propria culpa sollicitati qui consenserit peccato, immo qui prior sollicitaverit, eum excusant a facienda denuntiatione. Sed proprium consensum manifestare non debebit ; nec, si hunc prodat, est id in actibus referendum.

(1) NOLDIN-SCHMITT, III, 378 b, putat solam personam sollicitatam novo Codice obligari ad denuntiandum, quamvis etiam alii vocati comparere in iure et respondere iudici debeant.

Excusatio tamen *gravis damni* timendi in vita, fama, bonis temporalibus, quam diu duret periculum, ab hac lege *qua positiva* excusat. Damnum enim commune obligationem ex lege *naturali* augere potest. Suspenditur quoque obligatio in regionibus ubi sine gravi incommodo, ne per litteras quidem, adiri potest vel Ordinarius vel S. Officium.

Excusabitur pariter persona quae nec personaliter Ordinarium adire vel ei scribere potest, nisi confessarius, *quod per se non est consulendum*, propter periculum erroris et detractionis, pro ipsa rem agere voluerit.

Probabiliter denuntiandus non est confessarius qui solo *metu gravi* ad actus turpes inductus fuerit, cum metus gravis a poenis ecclesiasticis reos excusare soleat. Cf. S. ALPH., VI, 687 ; D'ANN., III, 376 (8) ; nec, ut quidam putant, sacerdos de cuius emendatione prorsus constet. — Morte autem rei obligatio cessat, cessante plene fine legis.

2. Ipse confessarius sollicitans se indicare non debet. Quod si tamen ultro fecerit, et omnia sincere aperuerit, immunis erit a poena (non tamen a cautelis praescriptis), etiamsi postea accusatus fuerit.

3. Denuntiatio facienda est **intra mensem** a cognita obligatione denuntiandi.

4. Facienda est denuntiatio vel **S. Officio** vel **Ordinario loci** in quo facta est sollicitatio, etiamsi confessarius fuerit alterius dioecesis aut religiosus exemptus. Superiores autem religiosi districte prohibentur se in hanc causam intromittere (c. 501, § 2).

192. - Denuntiatio facienda est **iudicialis**, ac proin coram S. Officio vel Ordinario loci aut eorum delegato, cum interventu ecclesiastici viri qui personam notarii agat.

193. - Confessarius paenitentem de sua denuntiandi obligatione monere debet : graviter onerata eius conscientia (**c. 904**).

Confessarius omnis, non tamen ipse *sollicitans* (hoc nimis durum foret), hanc *monitionem* facere debet. Instante tamen morte, paenitens non est per hanc monitionem exponendus aeternae ruinae. — Si ex monitione facta, publica totius rei divulgatio timenda sit, locus esse videtur epikeiae. — Atque in tempus magis opportunum differri potest monitio quae, nunc inutilis, postea efficax praevidetur. Si autem paenitens non sit reversurus, confessarius eum saltem moneat de obligatione colloquendi de ea re cum altero confessario ob difficultatem adhuc enodandam, et obtemperandi confessario. Eadem ratione se gerere possit qui solvendo casui se imparem aestimarit. Sine tamen iusta causa non licet confessario onus in alium derivare. — Nec monenda est persona quae, propter suam simplicitatem, sollicitationem non intellexit : eius enim scandalum vitandum est.

194. - **Quaestiones.** Quid si confessarius *iam convictus et punitus* fuerit ob sollicitationem ?

Si propter eandem numero sollicitationem, valebit quoque hic : Non bis in idem. — Si autem propter aliud numero delictum, procul dubio iterum deferendus est.

Quid si ultro comparuerit ? Is deferendus est, ut in iudicio constet omnia ab ipso declarata esse (S. *Off.* instr. 1867).

Quid in dubio ?

a) Si verba sollicitationem significant, et de sola confessarii intentione dubitatur, finis verbis consentaneus fuisse praesumitur.

b) Si ipsum delictum vere dubium est, benigniores partes praeferri possunt. S. Alph., VI, 702.

c) Si de *persona* quae sollicitavit dubitatur, *res* indicanda est, si spes probabilis est fore ut iudex per suam diligentiam reum detegere possit. Sed qui inter duas personas dubius haeret, neutram indicare debet, ne famae innocentis noceat (d'Ann., III, 368 (19)).

195. - Absolvi non possunt, ne ab ipso sollicitante quidem, personae quae, istius obligationis consciae, delationem istam facere recusant. Atque ad exsecutionem urgendam, praestabit interdum eas non absolvere prius quam obligationem impleverint.

Qui tamen gravi difficultate premitur comparendi personaliter coram iudice ordinario vel delegato, possit vel ad Ordinarium loci vel ad S. Officium litteras dare quibus, nondum designato reo vel specie facti, simpliciter declaret se denuntiatione facienda teneri, et postulet ut eam coram solo confessario perficere possit. Verum litterae subscriptae esse debent : caecae seu anonymae omni valore destituuntur.

Confessarius tunc a curia episcopali, nisi eam iam habeat, obtinebit formulam quaestionum ponendarum. Responsa personae notabit, iis omissis quae huius complicitatem vel culpam manifestarent. Nomine demum subscripto, relationem genuinam seu fidelem esse confirmare debebit.

Confessarius tamen per se non obligatur ad denuntiationem excipiendam. Quod si id facere renuat, persona quae Ordinarium difficile adeat exspectare potest occasionem confessarii qui ministerio isto fungi velit.

Denique, si nimia repugnantia retardetur, nec tanta videatur esse denuntiationis utilitas, potest confessarius, tacito nomine, difficultatem S. Paenitentiariae proponere atque ab ea impetrare pro paenitente dispensationem a nimis gravi onere subeundo.

196. - Obligationis sanctio. Fidelis qui intra mensem *scienter* non perfecit denuntiationem **c. 904** praescriptam, contrahit excommunicationem l. s. nemini reservatam, a qua tamen absolvi nequit nisi postquam obligationi suae satisfecit, vel se satisfacturum serio promiserit.

[192-196]

Qui vero scripserit Ordinario loci vel S. Officio, responsum etiam diutius exspectare potest ; si autem difficultatem denuntiationis aperuerit, silentium pro dispensatione ab obligatione interpretari legitime posse videtur (c. 2368, § 2).

Poenae contra sollicitantes gravissimae statuuntur c. 2368, § 1, sed omnes sunt ferendae sententiae. Nec solet Ordinarius loci (ubi mos est ut ipse agat) vel S. Officium vix recepta denuntiatione, statim procedere. Primam vel alteram denuntiationem sequi solet monitio sive paterna sive iudicialis (1) ; post tertiam, causa instruitur.

Caput IV. - De extrinsecis adiunctis Confessionis excipiendae

197. - I. De loco. 1. *Proprius* confessionum *locus* est ecclesia vel oratorium saltem semi-publicum (**c. 908**).

Confessiones tamen virorum etiam in aedibus privatis excipi possunt (**c. 910**, § 2).

Fit interdum ut etiam mulieribus, v. g. monialibus, alius locus, propter iustam causam, legitime sit designatus, v. g. sacristia aperta vel cubiculum oratorio contiguum. Stari potest definitioni Ordinarii. Casus ipso c. 909, § 1 indirecte praevidetur.

2. « Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico mulieribus destinato.

« Sedes confessionalis crate fixa ac tenuiter perforata inter paenitentem et confessarium sit instructa » (**c. 909**).

3. « Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis, et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit » (**c. 910**, § 1).

Consulendae igitur sunt ordinationes dioecesanae. Grave per se censent excipere mulierum confessiones extra sedem confessionalem seu sine crate interposita ; eas audire in loco non patenti, per se non excedit veniale.

Ex resp. *Comm. I. C.*, 24 nov. 1920, etiam virorum confessiones, quando in ecclesia vel oratorio publico excipiuntur, non sunt per se extra talem sedem audiendae (AAS, XII, 575 ; *Per.* X, 249). Eam tamen levem esse prohibitionem liquet.

198. - II. **De veste adhibenda.** Vestis per se usurpanda est *superpelliceum* et *stola violacea* ; Rituale tamen subiungit : « prout tempus vel locorum fert consuetudo ». Die autem 20 aug. 1628, *S. R. C.* declaraverat « episcopum cogere posse sacerdotes saeculares ut audiant

(1) Olim, sed non hodie, post alteram denuntiationem, S. Officium iubebat ut episcopus sacerdotem observaret.

confessiones cum cotta (superpelliceo) et stola, et regulares, cum stola tantum ». Sed decretum iam non reperitur inter authentica.

Interrogata de toleranda consuetudine non adhibendi nisi stolam vel nisi superpelliceum, *S. R. C.* 23 mart. 1882 ad 3 respondit « servetur Rituale Romanum » (*Coll. auth.* n. 3542). Idem responsum datum est satis simili quaesito 7 iul. 1877 ad IV (*Coll. auth.* n. 3426). Die autem 31 aug. 1867, ad II respondit : « Conveniens est ut in ecclesia adhibeatur stola, iuxta S. R. C. decreta » (*Coll. auth.* n. 3658).

Huiusmodi ergo rubrica est directiva, non ideo tamen neglegenda.

199. - III. De tempore. Omni die atque hora audiri possunt confessiones ; cavendo tamen ne in tenebris excipiantur.

Caput V. - De Indulgentiis

(cc. 911-936)

Praeter scriptores allegatos initio tituli, cf. BERINGER-STEINEN, S. I., *Die Ablässe* ; NICOLAUS-PAULUS, *Geschichte der Ablässe* ; *Theologia Mechliniensis*, Tractatus De Indulgentiis.

Art. I. - De indulgentiarum concessione

I. VARIA GENERALIA

200. - Indulgentiae notio. C. 911 definit indulgentiam « remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii. » Ita notio hodierna quae invaluit a S. THOMAE aetate.

Itaque indulgentia dicit remissionem *coram Deo*, et non coram Ecclesia, v. g. paenae ex sententia iudiciali debitae ; — remissionem *poenae*, non ipsius culpae : si quando, in monumentis antiquioribus, sermo fit de condonandis *peccatis*, id commodam explicationem habet, quatenus nomine peccati non solus reatus culpae sed etiam reatus poenae designatur ; — remissionem poenae *temporalis*, quia aeterna gratis, cum culpa gravi, condonatur ; — debitae pro peccatis quod *ad culpam* iam deletis : nulla enim poena in foro Dei remittitur manente culpa ; — quam *ecclesiastica auctoritas*, vi missionis a Christo concreditae : « quorum remiseritis peccata remittuntur iis » ; — ex *thesauro Ecclesiae*, i. e. ex satisfactionibus potissimum Christi, secundario, sanctorum, Ecclesiae concreditis ; — pro *vivis*, per modum *absolutionis*, seu verae iurisdictionis, quae proin inviolatum titulum confert indulgentiam consequendi ; pro defunctis, per modum *suffragii*, i. e. *deprecando*, oratione quidem efficacissima, legibus tamen orationis obnoxia.

Quatenus datur *absolvendo* vivos, et in plenam peccati exstinctionem dirigitur, cum sacramento paenitentiae arte conectitur. Conexio ista historice confirmatur prima ratione sacramentalis paenitentiae, quae diu tanta imponebatur ut ad plenam satisfactionem tenderet. Apte ergo hic caput de indulgentiis ponitur. Idem porro canon edicit ut omnes fideles indulgentias magni faciant.

201. - Indulgentiarum varietas. 1. Distinguitur indulgentia *plenaria* seu *totalis*, et *partialis*. *Plenaria*, complete obtenta, tollit omnem poenam temporalem pro peccatis debitam. Talis est etiam indulgentia *iubilaei*, quae accidentaliter tamen ab alia plenaria differt, propter privilegia annexa dispensandi in certis votis, absolvendi a censuris, a reservatis, et maiorem spem obtinendi re vera totam indulgentiam, ob maiora opera requisita ut condiciones, et communem conatum societatis christianae. Cfr. BERINGER-STEINEN, I, n. 28.

Partialis est quae non est infinita. Talis autem esse potest sive *ex vi concessionis*, sive ex *defectu dispositionis* in subiecto.

a) *Partialis ex vi concessionis* est *hodie* indulgentia tot dierum vel annorum. Hic autem non intelleguntur anni, etc. quos quis deberet in igne purgatorio manere, sed anni paenitentiae canonicae, servata tamen efficacia expiationis istorum annorum. I. e. qui indulgentiam 100 dierum lucratur, eandem remissionem poenarum Deo solvendarum obtinet quam obtinuisset per centum dies paenitentiae canonicae. Per certa autem tempora quadragesimalia, paenitentiaria disciplina severior erat et magis expiatoria. Quare expressam mentionem meretur indulgentia septem quadragenarum.

Cum tamen canonica paenitentiarum disciplina varia severitate fuerit pro varietate locorum et temporum, et nemo hactenus definiverit tempora et loca ad quae concessio se referat, fatendum est, istam indulgentiam *partialem* laborare quadam incertitudine quae feliciter tolli posset.

Liquet igitur aestimationem indulgentiae plenariae ab aestimatione indulgentiae partialis formaliter differre.

b) *Partialis ex defectu dispositionis* est indulgentia quae ex plenaria convertitur in partialem, quia subiectum, pro imperfecta sua dispositione, non potuit eam ut plenariam lucrari. Canon enim **926**, his verbis confirmat opinionem iam antea receptam : « Plenaria indulgentia ita concessa intellegitur, ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur, pro dispositione quam habet. »

Quomodo autem partialem istum fructum aestimabimus, nisi hoc modo, ut dicamus, *penitus* auferri poenas debitas pro peccatis a quibus paenitens est affectu alienus, manere vero poenas pro peccatis (venialibus) ad quae affectum inordinatum servaverit. Itaque partialis indulgentia significat hic completam expiationem quorundam sed non omnium peccatorum.

Olim interdum concedebatur indulgentia plenaria et tot annorum. Tunc, ei qui indulgentiam non lucrabatur totam, prostabat partialis indulgentia formae consuetae ; seu convertebatur plenaria in partialem consuetae rationis. Huiusmodi tamen formula aliter ab alio explicatur.

2. Pro eius *diuturnitate*, distinguitur indulgentia *perpetua* vel *temporaria*.

3. Pro *obiecto* cui annectitur, est vel *personalis*, quae a certis tantum personis, vel simpliciter vel mediante cooptatione in religionem, confraternitatem, etc., acquiri potest ; *localis*, quae ab omnibus sed in certo tantum loco obtinetur ; *realis*, quae possessioni vel usui cuiuspiam rei annectitur. Ac potest quoque esse mixta, ita ut *simul* quaedam qualitas personae et quaedam rei possessio vel usus necessaria sint. Tales erant, ante ultimam declarationem BENEDICTI. Pp. XV, indulgentiae dictae apostolicae. Etenim, post primum usum rei his indulgentiis ditatae, hae non poterant iam, mutato possessore, novo possessori prodesse.

4. Indulgentiae (partiales) « *in forma Ecclesiae consueta* » censentur concessae « *vere paenitentibus* », seu « *vere contritis* ».

Memoratur sic condicio necessaria delendae culpae, ut debitum poenarum remitti possit.

5. Habetur indulgentia *formae ordinariae* et *iubilaeum*, vel in *forma iubilaei* (quae iubilaeum aliquo modo in condicionibus et privilegiis imitatur).

Iubilaeum ipsum est ordinarium seu maius, et extraordinarium seu minus. *Ordinarium*, a BONIFATIO VIII in singula saecula, a CLEMENTE VI in singulos quinquaginta annos, ab URBANO VIII in singulos triginta tres annos indictum, a PAULO II (1475) vigesimo quinto quoque anno celebrari consuevit. In primordiis, iubilaeum in sola Urbe offerebatur lucrandum ; ab anno 1600 (ALEXANDRO VI Pontifice) ubique iam copia datur illo fruendi, post annum « sanctum » tamen, Romae celebratum. Anno tamen 1875, simpliciter Urbi et Orbi concessum est.

Postrema indictio iubilaei, per Bullam *Infinita Dei*, 29 maii 1924, solis romanis incolis, advenis et peregrinis, iisque qui in itinere impediuntur, indulgentias promittit. Cf. AAS, XVI, 1924, 209 ; *Per.* XIII, 97.

Bulla autem *Servatoris*, 25 dec. 1925 iubilaeum lucrandum dedit extra Romam, per totum annum 1926 (a 1 ianuarii ad 31 decembris). Cf. AAS, XVII, 1925, 611 ; *Per.* XIV, 148.

Extraordinarium iubilaeum pro gravi aliqua causa extra illud tempus conceditur. *Finis* enim iubilaei non est indulgentia, sed commune Ecclesiae bonum hac ratione promovendum.

Extraordinarium, ad totum annum 1929, indixit gloriose regnans SS. D. N. PIUS Pp. XI, in quinquagesimo sacerdotii sui anniversario, Bulla *Auspicantibus* 6 ian. 1929 (AAS., XXI, 5 ; *Per.* XVIII, 1.)

Quid accidentaliter differat quod ad vim et efficaciam ab indulgentia plenaria, diximus hic supra. In iubilaeo servandae sunt normae datae a BEN. XIV in variis CC. praesertim in C. *Peregrinantes*, et *Inter praeteritos*, quatenus iisdem per bullam iubilaei non derogatur. Praescribi consueverunt *confessio* et *communio* ab annua et paschali distinctae, et *visitationes* ecclesiarum. In iubilaeo extraordinario adiungitur *ieiunium cum abstinentia* et *eleemosyna*. In ipso anno sancto,

[201]

suspendi consueverunt aliae indulgentiae (saltem pro vivis), et facultates absolvendi a reservatis et dispensandi; rursus tamen amplae conceduntur iis qui iubilaeum lucrari intendunt. Verum suspensiones istae magis ac magis exceptionibus temperantur; et propriae sunt iubilaei ordinarii.

Vi bullae *Ex quo primum*, 5 iul. 1924, per annum sanctum 1925, i. e. a prima vespera Natalis Domini 1924 ad primam vesperam Natalis Domini 1925, principium suspensionis aliarum indulgentiarum ita confirmatur ut simul his exceptionibus temperetur: *a*) integrae manent indulgentiae defunctis applicatae; *b*) subsistunt indulgentiae in articulo mortis; — indulgentiae salutationis angelicae (vel substituti, tempore paschali, *Regina caeli*) recitatae ad sonitum campanae; — indulgentiae visitantium templum per adorationem XL Horarum; — indulgentiae comitantium SS. Sacramentum cum ad aegrotos defertur vel mittentium ea occasione cereum aut facem per alios ferendam; — indulgentiae quas S. R. E. Cardinales, Ap. Sedis nuntii, archiepiscopi et episcopi in usu pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent. (AAS, XVI, 1924, 305; *Per.* XIII, 137).

6. Indulgentiae aliae sunt applicabiles *defunctis*, aliae non prosunt nisi eas lucranti. Aliis in vita degentibus numquam acquiri possunt. Omnes autem indulgentiae a Rom. Pontifice concessae, nisi aliud constet, defunctis applicabiles sunt (**c. 930**).

Hoc de indulgentiis futuris aeque ac de praeteritis valere arbitramur. Indulgentia quae a bona morte nomen habet non est defunctis applicabilis dum indulgentia *toties quoties* concessa in commemoratione omnium defunctorum non potest nisi pro defunctis acquiri.

Applicabiles autem fiunt defunctis omnes indulgentiae ab eo acquisitae qui *votum heroicum* fecit in gratiam animarum purgatorii; atque ipse fruitur cotidiano privilegio personali altaris.

Nomine voti indicatur hic propositum, perpetuum quidem sed sine peccato revocabile, quo quis omnem fructum satisfactorium suorum operum et suffragia quae pro ipso post mortem offerentur, abdicat in gratiam animarum purgatorii: sive animarum quas ipse aliquo modo definiat semel vel successive, sive animarum quibus B. Virgo easdem applicatas velit. Haec enim traditio in manus B. M. V. non est essentialis; nec actu suo heroico prohibetur quis praescripta sibi vel aliter debita suffragia pro definitis defunctis offerre.

202. - Potestas Ecclesiae in schola dogmatica demonstratur. Nec licite autem, nec valide indulgentia conceditur *sine causa*, cum potestas data sit dispensandi, non dissipandi seu prodigendi; sed « quaecumque causa adsit quae in utilitatem Ecclesiae vergat et honorem Dei, sufficiens est ratio indulgentias elargiendi » (S. Th. 4, D. 20, q. 1, art. 3, solutio 2). Nec requiritur stricte proportio inter opus et indulgentiam, cum opus sit *condicio* non vero *causa* remissionis. Aliqua tamen convenientia inter indulgentiam eiusque condiciones necessaria est, id est ea quae concessionem rationabilem efficiat. Quod non tantum ex operis difficultate, sed etiam ex fine intento et relatione operis ad illum finem metiendum est. Sic non parum in gloriam Dei cedunt publicae protestationes fidei in primatum R. Pontificis, ita ut voluntarie praesentibus Pontificis sollemniter benedicenti, ingens indulgentia offerri possit.

203. - Principalis potestas papae. In Ecclesia indulgentias concedere potest « papa principaliter, alii vero in quantum potestatem ab eo accipiunt vel ordinariam vel delegatam ». Ita iam S. TH., *Q lib.* 2, art. 16, quia thesaurus Ecclesiae « est in dispensatione eius qui praeest generali Ecclesiae » ; atque ex **c. 912**, alii, praeter R. P. non possunt ordinaria potestate indulgentias elargiri nisi quibus id expresse a iure concessum est.

Inferiores autem *Romano Pontifici* nequeunt : **1.** facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id iis a S. Sede expresse fuerit indultum ; — 2. indulgentias concedere defunctis applicabiles ; — 3. eidem rei seu actui pietatis vel sodalicio cui iam a Sede Apostolica vel ab alio indulgentiae concessae sint alias adiungere, nisi novae condiciones adimplendae praescribantur (**c. 913**).

Habetur ergo hic aliquod ius praeventionis, quo primus concedens potestatem inhibet alterius qui sit S. Pontifici inferior. Nova autem adiecta condicione, indulgentia iam non est simpliciter sodalicio vel rei concessa, ita ut prohibita cumulatio vitetur. Exclusio indulgentiarum defunctis applicabilium a potestate inferiorum S. P. non ita ante Codicem constabat (Cfr. v. g. LEHMK., II, 669). Si quae tunc valide applicabiles defunctis concessae sint, eas periisse non existimamus. Praeterea, *Nuntii Apostolici*, ex litteris facultatum suarum, et *Ordinarii locorum* in missionibus, ex formulis *Prop. Fid.* indulgentias defunctis applicabiles concedere possunt. (Facultates Nuntiorum, Delegatorum Apost. habentur t. I, cap. 2, p. 524 ; Fac. Formulae III, *S. C. P. F.*, t. I, p. 533.)

204. - **Cardinales** indulgentias 200 dierum etiam totiens quotiens concedere possunt, simpliciter quidem « in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis » ; in aliis vero locis, tantum a praesentibus, singulis vicibus, lucrandam (c. 239, § 1, n. 24).

Metropolita in dioecesibus suffraganeorum sicut in propria dioecesi, 100 dies concedere potest (c. 274, 2°).

Episcopus residentialis, a capta possessione, 50 dies in suae iurisdictionis locis (c. 349, § 2, 2°). Quod possunt quoque **Vicarii Apostolici** et **Praefecti Apostolici**, intra sui territorii fines et durante munere, etiamsi charactere episcopali careant, (c. 294, § 2). Et confer praeterea facultates delegabiles ipsis per formulas *S. C. P. F.* concessas.

Cum consecratur Ecclesia vel altare, episcopus consecrator, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare illa die visitantibus ; in die vero anniversario, 50 dierum, si sit episcopus ; 100 si archiepiscopus ; 200 si S. R. E. Cardinalis (c. 1166, § 3).

Quid **Legati Apostolici** possint, ex eorum litteris cognosci debet.

In **articulo mortis** autem, parochus vel alius sacerdos qui infirmo assistit ei benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria concedere potest secundum formam praescriptam (c. 468, § 2).

Sacerdotes foederi sacerdotali eucharistico ascripti, fidelibus qui saltem quinquies in hebdomada ad s. synaxim accedere solent, communicare possunt in sacramento paenitentiae indulgentiam plenariam semel in hebdomada lucrandam, et quae nullam aliam condicionem exigere videtur praeter usum quasi-cotidianae communionis. Hanc pro pluribus hebdomadis sacerdos concedere potest, saltem quam diu apud ipsum confitentur. Cfr. *Per.* II, 69 ; III, 113 ss. (vel II et III, 297-301).

205. - S. Pontifex indulgentias concedere consuevit per S. Paenitentiariam, cui sectio de indulgentiis annexa est (1). Concessio autem vel simplici rescripto continetur, quod tunc, si perpetua est concessio, hanc clausulam habet : « Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla brevis expeditione » ; vel expeditur per secretariam Brevium.

Qui autem a S. Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro *omnibus fidelibus*, obligatione tenentur, *sub poena nullitatis* gratiae obtentae, authentica exemplaria earundem concessionum ad S. Paenitentiariam deferendi (**c. 920**).

Authentica exemplaria, i. e. scriptum documentum vel propria S. Pontificis manu subsignatum, vel subscriptum a Cardinali aut ab Officiali competente, qui vivae vocis oraculum testetur.

Clausula « pro omnibus fidelibus » stricte intellegitur, ita ut has solas indulgentias respiciat quas omnes fideles *ubique* omni tempore, sine speciali usu rei benedictae, lucrari possint, non autem eas quae definitae ecclesiae visitationum postulant. Cfr. BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe* I, n. 199. 200.

206. - Interpretatio indulgentiarum debet esse ampla seu lata, servata tamen verborum proprietate, quia sunt gratiae. Quare *perpetuae* censentur quae sine temporis limitatione conceduntur ; et *totiens quotiens* opus iteratur, quando non additur : *semel in die*. Plenaria tamen non potest regulariter pluries in die iterando opus obtineri (cf. **c. 928**, § 1. 2).

207. - **Indulgentiarum divulgatio.** « Novae indulgentiae, ecclesiis etiam regularium concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne pervulgentur, inconsulto Ordinario » (**c. 919**, § 1).

Promulgatio Romae fit regulariter per insertionem in *Acta Ap. Sedis*.

Contra autem ac plures (2), v. g. R. P. FANFANI, *De Indulgentiis*, p. 25, arbitrari videntur, praescriptum istud non afficit *omnes* indulgentias, sed eas quae non sunt mere personales, verum concessae sunt alicui ecclesiae, altari, vel coetui (ex c. 713, § 1) ; neque est condicio valoris, nisi forte agatur de indulgentiis quae ab archisodalicio communicantur sodalicio. Cfr. BERINGER-STEINEN, *o. c.*, I, n. 195-197.

208. - **Indulgentiarum cessatio.** 1. Morte concedentis non cessant, cum sint gratiae factae. Cessant revocatione (3).

---

(1) Diu exstitit S. C. *Indulgentiarum et Reliquiarum*, instituta a CLEM. IX, Br. *In ipsis* 6 iul. 1669. Haec a PIO X, C. *Sapienti Consilio* 29 iun, 1908, suppressa est, et indulgentiarum administratio commissa est speciali sectioni C. *S. Officii*. Dein BENEDICTUS XV motu Proprio *Alloquentes*, 25 mart. 1917, quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum traduxit ad *S. Paenitentiariam*, « salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa easdem indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt » (c. 258, § 2).

(2) Isti legunt canonem ac si scribatur : « Novae indulgentiae omnes, etiam quae ecclesiis regularium concessae sunt », dum haec est vis canonis : indulgentiae *ecclesiis* concessae, etiam si sint regularium.

(3) Decreto 22 feb. 1929, *S. Paenitentiaria* promulgavit authentice collectionem indulg. ab anno 1898 concessas, simul revocans generales concessiones post dictum annum factas et in eadem collectione non contentas. Cf. AAS., XXI (1929), 205 ; *Per.* XVIII, 170 ss.)

2. **Cessant, destructo loco vel coetu** cui erant annexae. Verum :

a) *Persona moralis* non definitive exstinguitur exstinctis sociis, nisi per centum annos cessaverit ; et in uno socio superstite permanere censetur (c. 102).

b) Nec cessant indulgentiae concessae *ecclesiae* quae, funditus eversa, iterum inter quinquaginta annos aedificetur in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo (**c. 924**, § 1).

Quia causa favorabilis est, sufficere censemus ut intra quinquaginta annos aedificatio fieri coepta sit.

Reviviscentia haec, ante Codicem, sine limitatione admittebatur, et adhuc admitti potest pro altari si, post destructionem, novum eodem loco et sub eodem titulo aedificetur.

3. **Coronis vel rebus annexae** indulgentiae non iam pereunt eo quod, post primum possessorem utentem, alter eas adhibeat ad lucrandas indulgentias, sed tunc tantum cessant si coronae vel res prorsus *esse desinant* vel *vendantur* (c. 924, § 2).

Ex recenti declaratione, 18 febr. 1921, ut mere reales iam considerandae sunt indulgentiae apostolicae (AAS, XIII, 1921, 164 ; *Per.* X, 319). Itaque, qui corona benedicta iam usus est ad lucrandas indulgentias potest, efficaciter et licite eandem alteri *gratis* tradere, qui indulgentias *recitationi* annexas ipse lucrabitur. *Gratis*, inquam, namque ad omnem simoniae speciem avertendam, saepius iam declaratum erat indulgentias perire venditione quae sit benedictione posterior (cf. resp. 16 iul. 1887). Nihil autem obstat quin mercator ipse curet ut benedicantur *iam venditae* coronae ; nec obstat pretium nondum solutum esse.

Benedicuntur globuli, non autem catena : haec ergo mutari potest intactis indulgentiis : nec refert quo ordine globuli reponantur.

II. DE QUIBUSDAM INDULGENTIIS IN SPECIE

209. - I. 1. **Benedictio papalis** seu quam s. Pontifex ipse per se vel alii eius nomine dant, est secundum se *sacramentale*, cui saepe, non tamen semper, indulgentia plenaria conectitur.

Sic dum in audientia benedicit personis, dum occasione matrimonii, iubilaei benedictionem mittit, nullam ideo indulgentiam concedit.

Quare cum postulatur benedictio apostolica, expressa indulgentiae mentio facienda est ab eo qui hanc sibi quaerit.

2. Sed quando petitur facultas conferendi benedictionem apostolicam adhibito ritu (v. g. cum imagine Crucifixi), tam mens impetrantis quam concedentis est ut cum illa benedictione indulgentia plenaria conectatur.

Talem indulgentiam supponit ipsa forma Ritualis.

Codex nunc **c. 914** concedit ut benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam Ritualis formam, impertiri possint *episcopi* in sua quisque dioecesi, *bis in anno* : in sollemni die

Paschatis, et alio die festo sollemni, ab ipsis designando, etiamsi missam sollemnem non celebraverint, sed eidem tantum astiterint; *Abbates* autem vel *Praelati nullius*, *Vicarii* et *Praefecti Apostolici*, etiamsi episcopali dignitate careant, id possunt in suis territoriis *uno tantum* ex sollemnioribus diebus per annum (**c. 914**).

Qui *Regulares* simili privilegio (i. e. impertiendi benedictionem istam extra missiones vel adiuncta huiusmodi) fruuntur, eodem uti nequeunt nisi in suis ecclesiis et in ecclesiis monialium vel tertiariorum suo ordini legitime aggregatorum, nec eodem die et loco quo episcopus eam conferat (**c. 915**). Locum intellegas civitatem, oppidum (Cf. Breve Leon. XIII, 2 iul. 1882). *Formula* pro regularibus reperitur in Rit. t. VIII, c. 32, ibique benedictio danda dicitur verbis « Benedicat vos omnipotens Deus », etc.

Canone isto non attinguntur benedictiones papales quae v. g. in fine missionis religiosis missionariis permittuntur.

De his *S. Rit. Cong.* 11 maii 1911, hunc ritum ac formulam dedit : Unicum signum crucis cum crucifixo, adhibita formula : « Benedictio Dei omnipotentis etc. » Quae formula in appendice novissime editi Ritualis iam unica proponitur n. 4 inter benedictiones faciendas ex indulto apostolico.

210. - II. Indulgentiae apostolicae seu papales dicuntur quae secundum elenchum initio cuiuslibet pontificatus promulgari solitum, annectuntur rebus eo fine benedictis a S. Pontifice vel ab eo qui potestatem accepit. Inter has reperitur indulgentia plenaria in articulo mortis, propter quam res istae dicuntur benedictae indulgentia « bonae mortis ». Ad indulgentias lucrandas sufficit res illas possidere vel in propria persona vel in domo propria, et coram iis preces praescriptas recitare, etiamsi agatur de corona.

211. - III. De altari privilegiato. Privilegium istud est indulgentia plenaria, certioris efficaciae, quatenus, ex parte celebrantis, sola requiritur applicatio missae.

Pleraque altaria sunt pro solis defunctis privilegiata. Sunt tamen quae *expresse* declarata sunt privilegiata pro vivis et pro defunctis. Tunc etiam vivens dispositus pro quo celebraveris, indulgentiam plenariam directe consequitur.

Applicatio non potest fieri nisi ei pro quo celebratur. Si pro pluribus celebratur, indulgentia inter plures non dividitur sed uni tantum prodest, nec privilegium evadit inutile eo quod ipse sacerdos non determinaverit cuinam ex iis pro quibus celebrat velit applicare indulgentiam (*S. C. Indulg.* resp. 19 iun. 1880 : *Decr. auth.* n. 451).

Id ultimum responsum est de altari privilegiato pro defunctis. Atque interrogata utrum necne idem valeret *de vivis*, *S. Poenitentiaria* aestimavit solutionem huius quaestionis a S. Officio exspectandam esse. Idem tamen dicendum arbitramur, quia natura indulgentiae *plenariae* divisioni inter plures repugnare videatur ;

nequit pluribus *unica* indulgentia qua plenaria prodesse ; nec per se in partiales dividi potest, cum diversa sit ratio indulgentiae partialis (Sic etiam Ber. Steinen I, 979 et *Theol. Mechlin.* p. 101.) Indulgentia autem altaris privilegiati pro defunctis non iam postulat ut, diebus quibus liceat, missam apparatu nigro celebres.

Ex rescripto *S. Officii*, 9 nov. 1922, de altari privilegiato pro agonizantibus, novimus indulgentiam intellegendam esse tamquam pro vivis per modum absolutionis, nec tamen opus esse ut celebrans determinet cuinam velit indulgentiam applicatam. Cf. *Per.* XII, 138 ss., et 195, N. B.

Distinguitur privilegium *locale*, quod adhaeret altari : hoc debet saltem lato sensu esse fixum ut stabile appareat, quamvis solam petram, excluso stipite, habeat consecratam ; et *personale*, quod adhaeret personae ubicumque celebret ; vel quod etiam conceditur pro *certis defunctis* : v. g. Congregationis.

In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, omnes missae sunt privilegiatae. — Privilegiata sunt quoque omnia altaria ecclesiae per eos dies quibus in ea peragitur supplicatio XL Horarum (Cf. c. **917**).

Altare Gregorianum est altare privilegiatum S. Gregorii quod in ecclesia montis Coelii exstat, atque ob liberationem monachi Iusti, peculiari titulo ad divinam acceptationem donatum censetur.

Ad vitandas imprudentes inscriptiones, c. **918** praecipit ut designato altari nihil inscribatur nisi : « Altare privilegiatum perpetuum vel ad tempus, cotidianum vel non. » Nec sub obtentu privilegii, pro missa ibi dicenda maior eleemosyna exigi potest.

Ordinarii locorum et Superiores maiores religionis clericalis exemptae possunt designare et declarare unum altare privilegiatum cotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, paroecialibus quasi-paroecialibus, non autem in oratoriis publicis vel semi-publicis, nisi sint ecclesiae paroeciali unitae seu eiusdem subsidiariae (c. **916**).

212. - IV. Indulgentia plenaria *pro festis Domini* vel *B. M. V.* concessa intellegitur pro solis festis calendarii *universalis* (c. **921**, § 1), dum antea reservabatur festis potioribus et sola partiales in omnibus festis calendarii universalis obtinebantur : plenaria vel partialis festis *apostolorum* tributa, pro festo eorum *natali* concessa intellegitur (c. 921, § 2).

Legitime *translato festo*, transferuntur *conexae* indulgentiae, si *perpetua* fiat translatio officii cum missa ; vel si transferantur, etiam ad tempus solum, *sollemnitas* et *externa celebratio* (c. **922**). Deficientibus his posterioribus condicionibus, indulgentia manet affixa diei, etiamsi si sit feria VI in Parasceve (*S. Paen.* 18 febr. 1921 : AAS, XIII, 1921, 165 ; *Per.* X, 320).

Externa ista celebratio nullum postulat indultum, nisi missa optetur ritibus vel calendario repugnans. — Conexae indulgentiae sunt quae coniunguntur sive festis sive supplicationibus quae ante festum, post festum et eius octava durante peraguntur (c. 922).

213. - V. Visitatio ecclesiae requisita institui potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae diem cui indulgentia affixa est claudit (**c. 923**).

Id iam a 26 ian. 1911 concessum est. Cf. AAS, III, 1911, 64; *Per.* VI, 8.

Plenaria cotidiana quae, vel *ad tempus* vel ut *perpetua*, visitantibus aliquam ecclesiam seu oratorium publicum offertur, significat indulgentiam quam singuli fideles *semel* tantum in anno, sed qualibet die, acquirere possunt (**c. 921**, § 3). Dicitur cotidiana *pro vivis et defunctis* quatenus est defunctis applicabilis. Basilica tamen S. Petri perpetua indulgentia instar Portiunculae ditata est. Simili privilegio fruitur quoque basilica Lapurdensis, sed hic, in singulis visitationibus, integra corona B. M. V. recitanda est.

Art. II. - De indulgentiis acquirendis

214.- I. Communes condiciones lucrandae indulgentiae. — 1. Subiectum *capax* est omnis baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum (si plura praescribuntur), subditus concedentis (**c. 925**, § 1) (1).

Attamen, nisi aliud ex concessione appareat, peregrini, vagi, omnes exempti in territorio degentes, episcopales indulgentias lucrari possunt; subditi vero etiam extra territorium (**c. 927**).

Quamvis tutior sententia, cui adhaeret C. De Lugo, d. 27, n. 75, statum gratiae requirat etiam cum indulgentia defunctis applicatur, id tamen non constat. Alii tenent sufficere ut opus praescriptum fiat, quo posito, Pontifex ipse indulgentiam defunctis applicat. Quod magis verisimile est, quando indulgentia pro solis defunctis obtineri potest, ut indulgentia totiens quotiens in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum; aliae autem indulgentiae, ut ex verbis **c. 930** « Nemo *indulgentias acquirens*, potest eas aliis in vita degentibus applicare » colligitur, prius acquiri quam applicari videntur: acquiri autem non possunt nisi in statu gratiae. Rursus tamen c. 925, § 1, statum gratiae expresse non exigit nisi ut quis *sibi* lucretur indulgentias. Res igitur dubio non vacat.

2. Ad lucrandas indulgentias *intentio* saltem generalis eas acquirendi requiritur, praeter debitam operum iniunctorum exsecutionem (c. 925, § 2).

Atque opinio quae fit communis sufficere tenet intentionem *semel* habitam et non retractatam lucrandi omnes indulgentias quarum condicionibus sit satisfactum, etiam si ignores indulgentias quae lucrandae prostant. Id tenent. v. g. Gen.-Salsm., *Inst.* II, 404; Prümmer, *Man. theol. mor.* III, 550; Marc Gestermann-Raus, II,

(1) *Acatholici* formaliter non excluduntur. Quare baptizati et in bona fide videntur indulgentias acquirere posse. Sic Leitner, IV, § 14, V, 2. In re quae forum externum fugit, praesumptio haeresis veritati cedere potest.

n. 1731. Obicitur quidem indulgentiam dari ut ad opus excitemur; verum respondetur Pontificem non putandum esse minus liberalem erga illos qui opus ultro peragunt quam erga illos qui stimulo lucri spiritualis moventur.

Immo habitualem *implicitam* sufficere putat LEHMK., II, 675. Cfr PALM., t. V, n. 775-778; — BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, I, n. 80. Hanc intentionem autem dicunt in ipsa professione vitae christianae iam haberi. Ac generalis norma qua plures putant ab Ecclesia suppleri defectus, quando agitur de opinionibus probabilibus et practicis, nos reddit magis securos. Cf. PALMIERI, *Op. theol.* t. 5, n. 778, ed. 3, vel p. 635 n. 32 ed. 2. Verum alii negant istam voluntatem Ecclesiae ubi non agitur de supplenda iurisdictione, v. g. GURY (Cfr GURY-DUMAS, ed. 5, II, n. 1103).

Commendandus tamen est pius usus efficiendi mane intentionem lucrandi indulgentias quarum condicionibus satisfiat. Quod prorsus satis est. Non est ratio cur notitia ipsius indulgentiae postuletur.

Verum si condicio indulgentiae sit opus praestitum in certum finem, oportet ut opus re vera in istum finem referatur.

Sunt, v. g., LEHMK., II, 662, qui existiment indulgentiae partialis valorem variare pro dispositione eius qui opus praescriptum implet, cum efficacia paenitentiae canonicae, quam indulgentia supplet, esset etiam alia pro alio paenitentis fervore. Huic conclusioni obici tamen potest, opus, quod est *condicio* indulgentiae, in locum paenitentiae canonicae non vere subrogari.

215. - II. Condiciones operum. **Opus** indulgentiae condicioni satisfaciens: 1. non potest esse *aliter praescriptum*: quod alio titulo, ex lege vel praecepto, ac proin sub peccato debetur, indulgentiae lucrandae inservire nequit, nisi in ipsa concessione aliud expresse dicatur; per idem tamen opus potest aliquis simul et paenitentiae sacramentali satisfacere et indulgentias lucrari (**c. 932**).

2. Debet, quando fit, esse *utile ad finem* a concedente intentum. Sic venialis vanae gloriae defectus non impediet quin, per eleemosynam praescriptam pro bellica expeditione vel pro aedificatione ecclesiae, satisfiat condicioni (Cfr. LUGO, *Paenit.* d. 27, n. 85); ab eo autem qui, ieiunans, simul se inebriat, frustratur finis placandi Deum ieiunio intentus. LAYMANN, *Theol. mor.* L. 5 tr. 7, c. 6, n. 4.

3. Opus debet *per lucrantem ipsum* praestari, saltem tamquam per causam principalem. Namque in eleemosyna danda potest quis alterum adhibere ut instrumentum, vel etiam, monitus, consentire ut ipsius nomine eleemosyna fiat. Quod videtur sufficere, etiam si tunc sumatur de bonis alienis.

4. Opus debet *moraliter totum* adimpleri. Notabilis igitur subtractio, non tamen exiguae partis (puta duo, tria Ave Maria in corona) omissio, indulgentias impedierit.

5. *Uno eodemque opere plures* indulgentiae simul obtineri nequeunt, nisi aliud expresse cautum sit, sicut concessum est ut una coronae B. M. V. recitatio valeat ad indulgentias apostolicas et Crucigerorum; ad indulgentias SS. Rosarii et Crucigerorum (Rescr. 12 iun. 1907; *Per.* III, 167 vel II et III, 351). Repeti tamen non debet confessio et communio quae ad indulgentias consequendas requirantur (**c. 933**).

6. Cum plura praescribuntur, parum per se refert *quo ordine* opera peragantur.

216. - III. Praescripta confessio etiam ab eo facienda est qui non habet peccata mortalia ; sed *absolutio* non est necessaria (S. C. *Indulg.* 19 maii 1759 : *Decr. auth.* n. 214 ; 6 maii 1852 : *Decr. auth.* n. 359). *Semper* utiliter peragitur intra octo dies qui diem cui annexa est indulgentia immediate praecedunt, vel infra eius octavam. Et quae praecipitur ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum vel hebdomadam ductis, utiliter etiam fit *intra octavam* quae exercitium expletum immediate sequitur. — Neque actualis confessio requiritur ab iis qui *a*) *solent* saltem bis in mense confiteri ; vel *b*) fere cotidie, i. e. saltem quinquies in hebdomada, in gratia et cum pia mente s. eucharistiam suscipere. Excipe confessionem requisitam pro indulgentiis iubilaei ordinarii et extraordinarii, vel ad instar iubilaei (c. 931, § 3). Cf. de confessione requisita lucubrationem R. P. Hecht, P. S. M., *Per.* XV, (37) ss.

217. - IV. Praescripta communio *semper* utiliter recipitur in pervigilio diei cui indulgentia annexa est, vel infra eius octavam ; sicut etiam infra octavam quae immediate sequitur expleta exercitia triduana vel septennaria (seu octavaria) quibus indulgentiae concessae sunt (c. 931). Excepta indulgentia *iubilaei, paschalis* communio valet ad lucrandas indulgentias quae s. communionem postulant (S. C. *Indulg.* 10 maii 1844).

218. - V. Condicioni visitandae ecclesiae (1) vel publici oratorii *non determinati,* facilius satisfaciunt fideles qui, perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa, vitam communem agunt in domibus, de consensu Ordinariorum constitutis ; itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes. Si domus enim caret ecclesia vel publico sacello, sufficit ut visitent sacellum domus in quo obligationem audiendi sacrum iure implere possunt (c. 929).

Itaque privilegium istud non valet de indulgentia Portiunculae, 2 aug., cum tunc definita ecclesia visitanda sit ; nec in domibus hospitalibus laica auctoritate sine Ordinarii interventu seu consensu erectis, quamvis ipsum sacellum Ordinarii auctoritate sit erectum ; nec prodest carcere detentis, cum diversa sit causa vitae communis.

Simili privilegio fruuntur *cardinales, archiepiscopi, episcopi* etiam titulares, eorumque *familiares*, in propriis cardinalium, archiepiscoporum vel episcoporum sacellis.

(1) Quandonam utiliter peragatur, diximus n. 213.

Oratorii autem *publici* notio ex ipso Codice sumenda est ; atque observes formalem Codicis rationem non iam desumi ex aditu in publica via, sed ex eo quod omnibus fidelibus, saltem inter divina officia, ius sit legitime comprobatum, illud adeundi (c. 1188).

Visitat porro ecclesiam qui pie seu intentione colendi Deum, eam ingreditur. Ad id formales preces non sunt necessariae. Sic qui tendit in ecclesiam ad confitendum, ad ornandum altare, eam visitat. Si ipse ingressus fieri nequit, sive quia clausa est ianua, vel multitudo obstat, plerique tenent satis esse ut quis se pie ad valvas sistat. S. ALPH., VI, 538, q. 14. Quod nunc moraliter certum dici potest, postquam S. Paenitentiaria, inter Monita sua 31 iul. 1924, de iubilaeo, n. XV, satis tunc esse declaravit ad ecclesiarum « fores vel gradus Deum exorare ».

Visitationes autem non multiplicantur nisi egressu seu discessu et novo accessu ad ecclesiam.

219. - VI. Preces *in genere* praescriptae debent saltem ex parte esse *vocales* ; quaelibet autem oratio seligi potest.

Definite praescripta oratio quolibet idiomate recitari potest, « dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione sive *Paenitentiariae*, sive unius ex Ordinariis loci ubi *vulgaris* est lingua in quam vertitur oratio » (c. 934, § 2).

Sub antiquo iure, sola condicio fidelitatis postulabatur ut essentialis (S. C. *Indulg.* Decr. auth. n. 415). Nunc versio typis edita testimonium *S. Paenitentiariae* vel competentis Ordinarii de fidelitate versionis ferre debet. Verum sufficere arbitramur ut *manuscripta* versio sit fidelis : de manuscriptis enim huiusmodi testimonia peti non consueverunt.

Satis quoque est *cum socio* praescriptam orationem alternis partibus recitare, aut eam mente prosequi dum ab alio recitatur, v. g. actus consecrationis (c. 934, § 3).

Muti autem indulgentias *publicis* precibus annexas lucrantur, si, una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus, mentem ac pios sensus ad Deum attollant ; *privatas* vero orationes satis est ut mente recolant, signisve effundant vel oculis percurrant (c. 936).

Atque etiam *mutilatis* provisum est qui non possint corporalem actum peragere interdum una cum recitatione praescriptum : satis est ut preces fundant (Ex aud. SS. 22 oct. 1917 : AAS, IX, 1917, 539 ; *Per.* IX, 70).

Quaevis autem *additio, detractio* vel *interpolatio* tollit indulgentiam (c. 934, § 2).

Quod satis severe intellegitur. Sic cantatae litaniae B. M. V. in quibus vel semel tantum recitetur *Kyrie eleison*, vel singulis enumeratis titulis non respondeant singula *Ora pro nobis*, indulgentiis lucrandis non sufficiunt (*S. Paen.* 21 iul. 1819 : AAS, XII, 1920, 18 ; *Per.* X, 245).

Quid autem de more interponendi in medio *Ave Maria* brevem mysterii meditandi enuntiationem ?

S. Paenitentiaria, ab oratore privatim interrogata utrum consuetudo ista posset necne servari et *propagari*, intactis indulgentiis SS. Rosarii, 27 iul. 1920, respondit *Negative*. Verum deinde, 22 ian. 1921, declaravit nullo modo revocatum esse indultum 1859 quo Pius IX, pro locis ubi mos iam invaluerat, indulserat ut fideles tali ratione rosarium recitantes eiusdem indulgentias lucrari possent. Ac praeterea, ipsa supplicante, Benedictus Pp. XV, indultum ita extendit ut prosit omnibus qui, in quibuslibet locis, SS. Rosarium secundum istum morem recitare consueverint (AAS, XIII, 1921, 163 ; *Per.* X, 318).

Quid autem, secluso indulto, respondendum videtur ?

Puto rem definiendam esse ex mente orantis. Qui, — atque haec intentio praesumenda est, — ipsam angelicam salutationem integram et intactam esse vult, et mere post mediam salutationis angelicae partem, quasi moram quandam interponere per quam mysterium vel partem mysterii recordetur, usu isto, nullum indulgentiis periculum gignere videtur. Nonne, in re graviori baptismi, admittunt valere baptismum collatum his verbis : « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritu Sancti, et Beatae Virginis », dummodo nolit baptizans B. Virginem cum SS. Trinitate connumerare, sed mere, post formam sacramenti, eius opem implorare ut quasi ratum habeat baptismum iam collatum ?

Observes quoque usum nominandi mysterium post vocem *Iesus*, repetendum esse ab ipso Dominico Pruteno, Carthusiano, qui, initio saec. XV, meditanda mysteria primus coniunxit cum recitatione salutationis angelicae, quae tunc temporis in vocem *Iesus* desinebat. Cf. Ber.-Steinen, I, n. 897.

Preces recitandae dicuntur ab iis qui saltem *corde contriti* sint, i. e. qui in statu gratiae versantur, et poenarum remissionem obtinere possunt, quia sufficiens contritio culpam delevit. Vox *saltem* excludit necessitatem recurrendi ad Paenitentiae sacramentum.

220. - VII. **Intentio seu mens Pontificis** est exaltatio S. Ecclesiae, extirpatio haereseum, propagatio fidei, peccatorum conversio, pax et concordia inter principes christianos. Satis autem est, ut orans velit preces offerre ad intentionem S. Pontificis vel ad indulgentias lucrandas (S. C. *Indulg.* 12 iul. 1847, ad 3. *Decr. auth.* n. 344).

Quantum vero est orandum ? Res non est definita. Cum lex non postulet nisi *orationem* (**c. 934**, § 1), non pauci sufficere existimant unum ***Pater***. Alii obiciunt tamen tam parca oratione demonstrari defectum devotionis, quo saltem plenaria indulgentia impeditur. Sufficere quinque Pater et Ave vel huic aequivalentem orationem, plane constat. Nec minus certum videtur, sufficere pauciora quae *lente* et *magna cura* recitentur (1). Cf. Beringer-Steinen, I, 133. Ceterum quaelibet oratio vocalis seligi potest, sed mentalis tantum non sufficit (c. 934, § 1).

(1) Hodie communissima sententia est et ex adductis decretis satis colligitur, recitationem *quinque Pater et Ave* aut *aequivalentem orationem* sufficere ad explendam condicionem orandi pro S. Pontificis intentione, et etiam breviorem satis esse posse, si devotius et ferventius persolvatur. Cf. S. Alph., L. VI, *De indulg.* n. 538, Mocchegiani, *Coll. Indulg.* 1897, n. 187. — *N. R. Th.*, 1922, 29.

In visitatione ad lucrandam indulgentiam Portiunculae, saltem sexies *Pater, Ave et Gloria* dicendum est. Decr. *S. Paenitentiaria* n. IX, 10 iul. 1924. AAS, XVI, 1924, 347 ; *Per.* XIII, 163.

221. - Generalis facultas commutandi opera iniuncta in alia, pro iis qui legitimo impedimento ab iis praestandis prohibentur, *confessariis* canone **935** conceditur. Quae commutatio, etiam extra tribunal paenitentiae a confessario, i. e. a sacerdote approbato pro confessionibus, fieri potest.

Dicta valere videntur quoque de indulgentiis Portiunculae.

Oportet tamen ut *obiectum* seu causa indulgentiae substantialiter servetur, solis mutatis condicionibus. Sic usus crucifixi ad hoc benedicti substantialis est ut via crucis suppleri possit. Indulgentia concessa propter communionem frequentem, hanc necessario supponit. Sed quae festis annectitur non supponit nisi festum.

TITULUS V

DE EXTREMA UNCTIONE

(c. 937-947)

Scriptores : Augustine, O. S. B., in hos canones. — Leitner, R. D. Dr., *Handbuch*, etc., IV, *Sakramente*, § 15. — Noldin-Schmitt, S. I., III, n. 429-448. — Prümmer, O. Pr., *Manuale*, q. 314-316.

INTRODUCTIO

222. - **Variae notiones.** 1. *Ordo Codicis.* Post canonem introductorium de materia et forma, Codex, capite 1 agit de ministro ; c. 2, de subiecto ; c. 3, de ritibus et caerimoniis extremae unctionis.

2. « Extremae unctionis sacramentum conferri debet per sacras unctiones, adhibito oleo olivarum rite benedicto, et per verba in ritualibus libris ab Ecclesia probatis praescripta » (**c. 937**). In canone isto introductorio, Codex memorat *materiam* sacramenti *remotam* : oleum olivarum rite benedictum ; *proximam* : unctionem certarum partium corporis ; et *formam* : verba in ritualibus libris praescripta.

3. **Forma** ordinaria haec est : « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per (visum, auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum) deliquisti. Amen. »

In casu autem necessitatis, haec brevior formula a *S. Officio* 25 april. 1906, indicata est ut sufficiens : « Per istam sanctam unctionem, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen. »

4. Formula *deprecativa* plane quadrat ad locum S. Iacobi (ep. c. 5, 15) : « et oratio fidei salvabit infirmum. » Negant tamen id esse essentiale, ex institutione Christi, cum olim in Ecclesia latina adhibita fuerit formula indicativa (*indulget*), neque haec animo deprecandi obstet.

Caput I. - De Ministro Extremae Unctionis

223. - Minister validae administrationis est omnis et solus sacerdos (**c. 938**, § 1).

Minister ordinarius est parochus loci in quo degit infirmus. Episcopus tamen ungitur a dignitate vel canonico capituli cathedralis, cui competit (c. 397, 3). In omni autem *religione clericali*, Superiorum ius est et officium ut per se vel per alium extremam-unctionem administrent professis, noviciis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis, aut hospitii aut infirmae valetudinis (c. 514, § 1).

In *casu necessitatis* vel de licentia rationabiliter praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest (c. 938, § 2).

Quae verba probant Ordinario quoque loci competere ius ministrandi extremam unctionem iis qui in territorio suo decumbunt.

224. - Obligatio ministrandi. Minister ordinarius hoc sacramentum per se vel per alium administrare debet *ex iustitia* ; et quidem sub mortali iis qui istud petunt, nisi iusta causa excuset. Namque cum periculo vitae non tenetur illud ministrare iis quibus per sacramentum Paenitentiae providetur.

Atque incerta dispositio interior eius qui est sensibus destitutus hoc etiam efficit ut ne tunc quidem stricte demonstretur obligatio sacramentum conferendi cum periculo vitae. Peccat autem graviter minister ordinarius qui administrationem differat cum probabili periculo ne aeger sine unctione moriatur, nisi iusta causa excuset.

In casu necessitatis, quilibet sacerdos sacramentum istud administrare debet *ex caritate* (**c. 939**), ac proin secundum caritatis leges. Obligatio non putatur mortalis, nisi aegrotus valde indigeat, quia nullum aliud sacramentum suscipere possit. Proportionatum incommodum excusabit ab obligatione. Nec in extrema necessitate videtur obligatio incurrendi periculum vitae, ob factam rationem : sed zelus plus suadebit.

Caput II. - De Subiecto Extremae Unctionis

225. - Subiectum capax et corpore idoneum. « Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli qui, post adeptum usum rationis, ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur » (c. 940, § 1).

Itaque requiritur **subiectum baptizatum, usu rationis** potitum, in **mortis periculo,** non propter extrinsecam causam praelii, sententiae capitis, sed **propter causam corpori intrinsecam** ex morbo vel senectute. Morbo autem assimulatur vulnus, partus.

Vox graeca epist. S. Iacobi : ἀσθενεῖ, designat morbum serium, quo quis viribus fractus est. Ex decr. Eugenii IV pro Armenis, dari potest « illi de cuius morte timetur ». Trid. Concilium S. XIV, c. 3, dicit tantum esse *praesertim* conferendum illis qui in exitu vitae sint constituti. Ex superiore Ritualis editione, t. 5, c. 1, n. 5, dandum est iis qui « tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, et iis qui prae senio deficiunt et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate ». Quare admittunt sufficere *probabile* indicium seu dubium positivum de morte secutura ex hac infirmitate.

Novissima Ritualis editio, t. 5, c. 1, n. 8, repetit can. 940, § 1.

Si ipsum periculum sit *dubium*, sicut si dubitatur num infirmus usum rationis attigerit vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur *sub condicione* (c. 941).

Quotiens periculum adest, confertur semper *valide* ; si periculum satis proximum est quamvis sine animi afflictione, vel si periculum remotum coniungitur cum afflictione, *valide et licite* ; si dubitatur de periculo, sed adest afflictio, *valide et licite* sub condicione confertur. Sic regulae breviter tradi possunt.

Ob non ita pridem emissa placita de morte apparente, sacramentum condicionate conferri potest, saltem absente viro perito qui de perfecta morte nos certiores reddat, intra semi-horam a momento quo, vulgari iudicio, mors secuta est ; immo intra horam, si subitanea morte quis affectus fuerit. (Immo R. P. Ferreres existimat conferri posse absolutionem et extr. unct. saltem per semihoram ex quo peritus medicus, omni inspectione facta, personam defunctam esse declaravit. Cf. plura benigne ab ipso scripta, *Comp. theol. mor.* II, n. 849-856).

Illicita saltem fuerit ministratio facta infirmo consentienti in *securum* scalpelli usum (*opération, operazione*) quo omne periculum ex morbo quem nunc habet removebitur.

Qui manus chirurgi passuri sunt plerumque, iam actu, interno mortis periculo sunt obnoxii, ita ut iam ante scalpelli usum ungi possint. Si tamen quis corpore sanus periculosum scalpelli usum subiturus sit, v. g. ad deformitatem corrigendam, non possit ungi antequam ipse usus scalpelli periculum internae rationis induxerit.

226. - Dispositio animae. « Illis qui impaenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant » extrema unctio conferenda non est; « quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub condicione » (c. 942).

Observes non iam constare de contumacia eius qui sensibus est destitutus. Quaenam autem condicio tunc apponenda est ? Condicio « si non es impaenitens » quam indicat R. P. BLAT (in hunc can. p. 349) et quam prima specie ipsa verba can. 942 suggerere videntur ? An consueta condicio : « si capax es », quam proponunt GÖPFERT-STAAF, *Moraltheologie*, III, n. 201 ? Si apponas condicionem, non validae sed fructuosae susceptioni requisitam, aegrotus, si tantum post receptam extremam unctionem malam suam dispositionem in meliorem converterit, privabitur beneficio reviviscentiae sacramenti, cum, in tali hypothesi, administratio fuerit invalida, et omnem salutem vel a perfecta contritione, vel a condicionata absolutione cum attritione (si absolutio operari possit) exspectare debebit. Quare, omnibus perpensis et recedentes a priore nostra sententia censemus sub condicione « si capax es » extremam unctionem ministrandam esse, et omnino sentimus cum NOLDIN-SCHMITT, III, 446, *d*, condicionatam administrationem imperari can. 942 quia, in casu, propter probabilem impaenitentiam nolentis, dubia est ipsa voluntas suscipientis sacramentum, quae ad valorem est necessaria.

Si autem postea condicionate repetenda videatur extrema unctio, condicio sit « si nondum es unctus », potius quam sub condicione, « si capax es » ; namque, ut statim dicetur, repetita administratio potius valida aestimanda est, ita ut condicio « si capax es » illicitam administrationem minime excluderet.

Ut sacramentum hoc cum fructu recipiat, debet infirmus qui conscius sit peccati mortalis, vel confiteri ante quam ungatur vel perfecte conteri si possit. Existimata igitur contritio sufficit, immo serius conatus contritionis, si copia confessionis non detur, dummodo habeatur attritio.

227. - Consensus sufficiens. Absolute conferendum est sacramentum infirmis qui, cum suae mentis compotes essent, illud saltem implicite petierunt, aut veri similiter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint (**c. 943**).

228. - Obligatio suscipiendi. Sacramentum istud *neglegere* nemini licet ; « et omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant » (**c. 944**).

Gravis tamen obligatio istud sacramentum recipiendi per se adesse non censetur. Ita probabilis sententia. Verum grave fuerit sacramentum istud contemnere, vel neglegere cum *scandalo* huiusmodi contemptus.

Abusus autem differendi sacramentum in instantem mortem vel donec certo desperata sit salus, infirmum interea privat *a*) spiritualibus istius sacramenti auxiliis ; *b*) effectu sanitatis recuperandae.

229. - Vetita iteratio. « In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus, post susceptam unctionem, convaluerit, aut in aliud vitae discrimen inciderit » (**c. 940**, § 2).

Licite igitur sacramentum in duplici casu iteratur : *a*) in morbo diverso ; *b*) in eodem morbo sed in novo periculo mortis, ut si infirmus imperfecte convaluerit ac dein iterum in discrimen adducatur.

Olim pluribus diebus successivis conferebatur, ita ut vetita iteratio ad magis recentem disciplinam referenda sit, nisi tamen successivae istae unctiones pro una integra administratione haberi possint. Itaque iteratio istius sacramenti in eodem periculo, etsi graviter prohibita, non tamen certo invalida videtur. Cf. KERN, S. I., *De Sacramento Extremae Unctionis*, p. 338, ss.; L. GODEFROY, *Dict. de théol. cath.*, V, 1980. 1997. 2021.

Caput III. - De ritibus et caerimoniis Extr. Unctionis

230. - Oleum requisitum. Requiritur oleum olivarum benedictum ab *episcopo vel a sacerdote* ex facultate S. Sedis (c. 945). Atque ut valor sit certus, oleum debet esse pro extrema unctione benedictum (1), quamvis oleum catechumenorum vel etiam chrisma cum probabili valore adhiberi possit. Oleum istud renovandum est quotannis in Coena Domini, veteri exusto : antiquo tamen uti licebit, donec novum non obtineatur. Sed renovationem olei neglegere pro gravi culpa habetur. S. ALPH., VI, 708. Licebit hic quoque, deficiente materia, addere minori copia non benedictam, quae, accessione, ipsa benedicta censebitur.

231. - Unctiones faciendae. Materia *proxima* est unctio certarum partium corporis, i. e. saltem praecepti necessitate, quinque sensuum, vel si mutilati sint, vicinarum partium.

Saltem *praecepti necessitate*, inquam. Cum enim nec epistola S. IACOBI nec Trid. Conc. S. XIV pluralitatem unctionum diserte commemorent, una sola unctio quae in uno sensu vel in principali corporis parte fiat videtur sacramento essentialis. Ac nunc prorsus constat in *casu necessitatis* unicam unctionem sufficere « in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviore » (c. 947, § 1). *Necessitas* autem oriri potest sive ex imminente morte ipsius aegroti, sive ex periculo contagii, sive ex physico obstaculo attingendi consueta loca ungenda. Quando copia habetur, unctio tunc in ipsa fronte facienda est. Si quid tamen obstet, unctio in uno sensu etiam tuto peragitur. Quare Codex mere declarat unctionem *rectius* in fronte fieri.

Expresse autem iubet eodem c. 947, § 1, ut unctiones « ordine et modo in libris ritualibus praescripto accurate peragantur ».

Verum semper omittenda est unctio *renum* ; unctio vero *pedum* ex qualibet rationabili causa omitti potest.

Sed, etiam in casu necessitatis, salva manet obligatio « singulas unctiones supplendi, cessante periculo ». Obligatio ista ponitur absoluta. Rationabiliter tamen intellegi possit de suppletione quae cum priore administratione moraliter uniatur, nec proin nimis ab ea separetur. Exemplum sumens a receptis placitis de supplenda alterutra consecratione quae invalida fuerit, GENICOT-SALSMANS (II, 417) existimant obligationem supplendi *post horam* cessare. Diversa tamen sententia quae, verbis Codicis inhaerens, tenet supplendas esse unctiones quam diu duret idem morbus periculosus, hac altera ratione defenditur. Cur supplendae sunt unctiones omissae ? Ut plenior effectus ex integra sacramenti perceptione obtineatur. Plenior iste effectus non videtur, contra atque autumat LEHMKUHL, II, 718, 3,

---

(1) In pyxide signatur litteris O. I.

tribuendus meliori dispositioni subiecti stimulati repetita unctionum caerimonia : recepto enim sacramento, desinit eius operatio. Nec stimulatur qui sensibus sit destitutus. Verum, ut explicat NOLDIN-SCHMITT, III, 438, ipsum sacramentum plenius recipitur. I. e. extrema unctio, sub hoc respectu, comparanda est cum Eucharistia, quae sub una quidem specie plene, magis integre tamen sub utraque recipitur, ita ut receptio alterius speciei gratiam augeat si subiectum melius dispositum reperiat. Sic, « quaelibet unctio cum sua forma complete et perfecte sacramenti effectum significat, proindeque illum etiam producit » (NOLDIN-SCHMITT, n. 432). Novis tamen unctionibus significatio iteratur et novus titulus gratiae ponitur, sive gratiae eiusdem, si dispositio manserit eadem, sive amplioris, si subiectum sit perfectius dispositum. Quod si res ita se habent, durante eodem morbo, suppletio omissae unctionis semper utilis esse potest, ac proin facienda videtur. Admitti quoque potest specialis efficacia ad sananda peccata quae per singulos sensus nominatim sunt commissa.

Sapienter respondit S. C. *S. Officii*, 9 mart. 1917 (AAS. IX, 178 ; *Per.* VIII, 192) unctiones istas supplendas esse *absolute*, non *condicionate*. Condicionata enim administratio priorem dubiam fuisse supponeret : quod admitti nequit. Nec iteratur extrema unctio, sed perficitur.

Supplenda quoque est unctio sensus quae prius impedita fuit vel ex oblivione praetermissa aut non bene facta.

Modus autem faciendi unctiones is est. — 1. Quamvis usus instrumenti valori sacramenti non obstet, nihilominus, « extra casum gravis necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant » (c. **947**, § 4). — 2. Non requiritur ut oleum fluat, et certo sufficit si extremum digitum intingas in oleo et ungas : immo plures unam guttam ad unctionem sufficere putant. Sic PALM., V, 851. — 3. Ungendae autem sunt *palpebrae*, occlusis oculis ; extremae auriculae ; nasi extrema summitas vel ambae alae laterales narium ; os, compressis labiis, vel, si os comprimi nequeat, labium inferius vel superius ; volae seu cavae partes manuum (in sacerdotibus tamen, in quibus hae iam alias unctae sunt, metacarpia) ; plantae pedum vel, pro more recepto, metatarsia. Deficiente membro, fiat unctio in parte vicina corporis (*Rit. Rom.* t. 5, c. 1, n. 19) ; deficiente prorsus alterutro ex geminatis sensibus vel organis, ungatur iste qui habetur. — 4. « Minister (inserviens) si est in sacris, vel ipsemet sacerdos, post quamlibet unctionem, tergat loca inuncta novo globulo bombacii vel rei similis, eumque in vase mundo reponat et ad ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque proiciat in sacrarium » *Rit. Rom.* t. 5, c. 2, n. 9.

232. - Olei conservatio. « Oleum infirmorum parochus loco nitido et decenter ornato in vase argenteo vel stanneo diligenter custodiat » (c. **946**).

Domi ea retinere vetatur, « nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia » (c. 735).

Causa rationabilis esse potest distantia qua domus paroch͏ialis ab ecclesia distat. Vetatur autem asservatio in tabernaculo ubi SS. Eucharistia custoditur.

TITULUS VI

DE ORDINE

(cc. 948-1011)

Scriptores : Augustine, O. S. B., *A commentary*, Tom. IV, in hos canones. — Leitner, R. D. Dr., *Handbuch*, etc. Liber II, c. 1 et 2. — Noldin-Schmitt, S.I., *De Sacramentis*, n. 449-501. — Prümmer, O. P., *Manuale*, q. 317-326.

233. - Ordo Codicis. Codex, more suo, paucis quibusdam canonibus introducit argumentum quod in sex capita dividit. Horum duo prima : De Ministro et De Subiecto s. ordinationis sunt principalia. His accedunt c. 3, De iis quae sacris ordinationibus praeire debent ; c. 4, De ritibus et caerimoniis s. ordinationis ; c. 5. De tempore et loco s. ordinationis ; c. 6, De annotatione et testimonio peractae ordinationis. In capite de subiecto, omnis disciplina de irregularitatibus proponitur.

In nullo autem capite Codex disputatas quaestiones de sacramentali natura omnium ordinum, vel de essentiali ritu ingreditur. Immo ne insinuat quidem, contra ac fecit in superioribus titulis de sacramentis, quaenam sit materia, quaenam forma s. ordinationis. Has igitur quaestiones theologis dogmaticis vel moralibus permittemus.

CANONES INTRODUCTORII

234. - Notiones. Ordinatio, quae pro creatione magistratuum sumebatur, in Ecclesia creationem ministrorum sacrorum designat. Hinc **c. 948,** qui, voce sacramenti ordinis consulto abstinens, haec habet : « Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium ». Qui canon conferendus est cum c. 107, de origine divina distinctionis clericorum a laicis.

Sacramentum vero Ordinis est sacramentum quo, per ritum sacrum a competente ministro adhibitum, spiritualis potestas confertur simul cum gratia ad digne obeunda munia sacra. Potestas ista potissimum spectat sacramenta, vel quae referuntur ad sacramenta, ut chrisma, oleum infirmorum, etc. Cum potestate ista conectitur potestas, saltem radicalis, praedicandi verbi Dei, regendi populi Dei, benedicendi.

Active sumptus, *ordo* idem est quod *ordinatio,* et designat actionem qua spiritualis ista potestas confertur ; *passive* vero, effectum istius actionis seu collatam habilitatem. Significare quoque potest collectionem personarum quae sacra potestate donatae sunt, seu hierarchiam ecclesiasticam.

Sacramentum istud est quoddam *totum potestativum*, ita ut separatim exsistere possint et separatim conferri plures partes quae simul habentur ab eo qui plenitudinem ordinis possidet.

Sacramentum vero ordinis *characterem* imprimit. Quare nec amitti potest nec iterari. Quod, saltem ex ecclesiastica institutione, valet quoque de ordinibus minoribus et de prima tonsura.

Plura de sacramento isto, cfr dogmaticos.

235. - Distinguuntur nunc in *Ecclesia latina*, ac proin in Codicis canonibus, tres ordines *maiores* vel *sacri* : subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus seu sacerdotium, quod duplex est : minus seu incompletum, et maius, quod est episcopatus ;—et quattuor ordines *minores* : ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus (c. **949**).

Suntne minores ordines sacramentum ? Plerique hodie id negant, nixi maxime rationibus historicis, quibus demonstrant ordines istos non exstitisse ante saec. III, variasse numero, nec nunc eosdem esse in Ecclesia latina et graeca. Argumenta tamen ista non sunt apodictica, si consideres ordinis sacramentum a Christo institutum esse tamquam *totum potestativum*, nec isti institutioni repugnare quin Ecclesia potuerit novos distinguere gradus quibus committeretur partialis potestas in maiore gradu contenta. Servari igitur potest sententia S. Th. in 4 D. 24, q. 1, art. 2, sol. 2, vel Suppl. q. 35, n. 2 et plerorumque scholasticorum, qui omnibus ordinibus naturam sacramenti inesse admittebant. Cf. BALL.-PALM., V. n. 886 ; NOLDIN-SCHMITT, III, 453 ; BUCCERONI, III, 880.

Constat autem diaconatum, presbyteratum et episcopatum esse sacramenta, ex ipso Trid. S. XXIII, cap. 3 et can. 6 : « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit. » Ministri isti saltem sunt diaconi.

Episcopatus porro est sacramentum a simplici presbyteratu ita distinctum ut non tantum inferiores sacerdotes careant potestate collata per consecrationem episcopalem, sed etiam, saltem secundum plures, ut episcopatus simplicem presbyteratum non contineat, ac, praetermissa ordinatione sacerdotali, invalide conferretur, dum, contra, valida est ordinatio diaconi qui nullum ordinem inferiorem susceperit, valida est ordinatio sacerdotis qui nondum prius ordinatus est diaconus. Quamquam Ecclesia ordinationes « *per saltum* » gravissime prohibet, et iubet ut praetermissae formales ordinationes suppleantur.

Cur tres ordines dicantur maiores vel sacri, Codex non explicat. Vocantur autem *sacri*, sive propter annexum votum castitatis, sive propter potestatem datam in res consecratas. Iidem dicuntur *maiores*, quia propius accedunt ad ipsum sacrificium vel habiles reddebant ad maiora officia suscipienda. *Reddebant* inquam, quia non iam post Codicem subdiaconus vel diaconus in episcopos cooptari possunt.

236. - Significatio verborum. Prima autem *tonsura*, cum nullam conferat potestatem, non est sacramentum, sed initiatio ad statum clericalem, quo clerici a laicis distinguuntur. Ecclesia tamen, in eius collatione vult ut normae de sacramentis conferendis observentur ; ac

proin verba « *ordinare, ordo, ordinatio* » comprehendunt, praeter consecrationem episcopalem, omnes ordines atque ipsam primam tonsuram, « nisi aliud ex natura rei vel contextu verborum eruatur » (**c. 950**).

Caput I. - De ministro S. Ordinationis

237. - Minister validae ordinationis est per se episcopus consecratus. Ius tamen commune vel, per peculiare indultum, Sedes Apostolica potest ei qui non est episcopus indulgere collationem ordinum minorum et subdiaconatus. Potestne presbyter habilis reddi ad conferendum *diaconatum* (1), id disputatur. Facultas, in Ecclesia latina, solis presbyteris et quod ad solos ordines minores conceditur ipso iure Cardinalibus, Vicariis et Praefectis Apostolicis, Abbatibus et Praelatis *nullius*, seu quasi-episcopis locorum, et Abbatibus regularibus de regimine.

Quare **c. 951** episcopum consecratum vocat ministrum *ordinarium*, *extraordinarium* vero qui, licet charactere episcopali careat, a iure vel per peculiare Sedis Apostolicae indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi.

Nec in consecratione episcopi requiruntur ad valorem tres episcopi, saltem accedente beneplacito apostolico.

Cardinales autem *valide* non ordinant nisi promovendos qui a propriis Ordinariis dimissorias habeant. Namque c, 239, § 1, 22°, utitur particula *dummodo*, quae condicionem validitatis exprimere solet. Cf. c. 39. Excipe si consecrati sint episcopi.

Quasi-episcopi, quibus character episcopalis deest, primam tonsuram et minores ordines non conferunt *valide*, nisi : *a*) durante munere ; *b*) in proprio territorio ; *c*) propriis subditis saecularibus, intellectis secundum n. 239 ; *d*) vel aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant (**c. 957**, § 2), ita ut litterae istae evadant condicio valoris, in isto casu. « Si charactere episcopali polleant, episcopo dioecesano aequiparantur, quod pertinet ad ordinationem » (c. 957, § 1).

Abbas regularis de regimine, qui non habeat characterem episcopalem, valide non ordinat, nisi ipse sit presbyter, benedictionem abbatialem legitime acceperit, et promovendus sit ipsi subditus ratione professionis saltem simplicis (**c. 964**, 1°). Ac revocatur quodlibet contrarium privilegium.

238. - **Licitus potestatis usus.** — 1. Nemini, sine Apostolicae Sedis

(1) Immo fuere qui putarent Romani Pontificis auctoritate ipsam ordinationem sacerdotalem presbytero committi posse. Cf. Bullam BONIFATII IX, *Per.* XIII, (18) ; *N. R. Th.*, 1924, 332, ss. 399.

facultate, licet *ordinatum a S. Pontifice* ad altiorem ordinem promovere. — 2. Nemo *episcopum* consecrare potest nisi prius constet de mandato Rom. Pontificis, cui haec consecratio reservatur (c. **952. 953**). Ac sine dispensatione apostolica, consecrator alios duos episcopos adhibere debet (c. **954**). In missionibus exteris, non raro indulgetur ut consecrator duos sacerdotes adhibeat. — 3. Unusquisque a *proprio* episcopo ordinetur aut cum legitimis eiusdem *litteris dimissoriis. Subditum* tamen *orientalis ritus* episcopus proprius (latinus) sine apostolico indulto licite ordinare non potest. Seclusa autem iusta causa, episcopus proprius per se ipse suos subditos ordinet (c. **955**).

239. - De episcopo proprio. 1. Episcopus proprius, quod ad *saeculares*, hodierno iure est tantum episcopus dioecesis, vel ei aequiperatus praelatus quasi-dioecesis, in qua promovendus habeat domicilium una cum origine vel domicilium simplex cum iurato animo manendi in perpetuum in dioecesi.

Simplex tamen domicilium sufficit clerico qui per primam tonsuram dioecesi iam incardinatus est, vel promovendo alumno qui servitio alius dioecesis destinatur (in futurum, praevia legitima excardinatione et incardinatione) ; vel promovendo religioso professo. (Cf. c. **956**.)

Quisnam sit *originis* locus declaratum est I, n. 181.

Domicilium ei sufficit qui per primam tonsuram dioecesi iam incardinatus est. Verum, ut sic legitime incardinetur seu legitime primam tonsuram recipiat, oportet ut habeat originem cum domicilio vel ad domicilium addat iuramentum, vel a proprio episcopo pro alius dioecesis servitio tonsuram obtineat (Cfr I, n. 203).

Alia ratione incardinatus a iuramento non est dispensatus.

Poterit quoque episcopus, pro servitio alienae dioecesis, ordinare quempiam et quidem sine iuramento, quem tantum ratione domicilii, sine origine, pro subdito habet (1) ; vel religiosum professum qui ad eum legitime dimittitur vel si more saecularium ordinandus est, ratione conventus cui ascriptus est, in illa dioecesi domicilium habere censetur.

Tonsuram illegitime ab episcopo non proprio recipiens huius tamen dioecesi incardinatur, vi c. 111, § 2 ; ita tamen ut iura proprii episcopi in istum clericum intacta serventur. Cf. *Per.* XV.

2. Qui litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare potest, potest quoque eosdem ordinare per se ipse, si necessariam ordinis potestatem habeat.

Non solus ergo abbas regularis de regimine, si est sacerdos et benedictus, potest, ex c. **964**, 1°, candidatos qui, vi professionis saltem simplicis, sibi subduntur, prima tonsura ornare et ordinibus minoribus augere ; sed quilibet Superior qui consecratus sit episcopus, iure c. 959, ordinare permittitur eos religiosos quibus litteras dimissorias dare potest.

---

(1) Atque ex resp. non tamen promulgato, *Com. I. C.*, 17 aug. 1919, ordinatio pro aliena dioecesi, assentiente huius episcopo facta, ordinatum ei dioecesi immediate incardinat. Cf. *Per.* XII, 73, ss.

240. - Quaeres quisnam ordinare possit alumnum qui, relicto domicilio suo, studia peragit in aliena dioecesi, pro servitio tertiae cuiuspiam dioecesis ?

Qui casus non est adeo rarus in seminariis pro missionibus exteris vel dissitis regionibus,

Ac respondendum est talem, ex Codice, nullum reperire episcopum a quo licite ordinetur : non episcopum originis, cum amiserit domicilium in loco originis ; non episcopum residentiae vel quasi-domicilii, cum ibi nec habeat nec acquirere possit domicilium, nec iuramentum de perpetuo servitio emittere queat ; non episcopum destinationis, cum ibi nondum domicilium acquisierit.

Donec ergo interpretatio authentica silentium Codicis suppleverit, restat ut per indultum apostolicum provideatur. Cf. quoque LEITNER, *Handbuch*, II, § 5, III.

241. - 1. Litterae dimissoriae sunt *litterae quibus episcopus vel Superior competens subditos suos mittit ad alienum episcopum ut ab hoc ordinentur*. Litterae istae simul testimonium continent de qualitatibus promovendorum, nec dari possunt ante habita testimonia iure requisita.

2. Has litteras *pro saecularibus*, durante iurisdictione, dant, ex **c. 958** : *a)* Episcopus et praelatus quasi-dioecesanus proprius, post adeptam possessionem, sed iam ante consecrationem. — *b)* Vicarius generalis, ex speciali tamen episcopi mandato. — *c)* Vicarius capitularis, de capituli consensu, post annum a sede vacante ; intra annum vero solis artatis (seu qui exspectare nequeunt novi episcopi regimen) ratione beneficii recepti vel recipiendi aut ratione certi cuiuspiam officii, cui, propter dioecesis necessitatem, sine mora providendum est. Ne tamen Vicarius capitularis litteras det iis qui ab episcopo reiecti erant.

Ex resp. Comm. C. I. 20 iul. 1929 ad 1, Provicarius Apost. litteras dimissorias etiam intra annum a vacante Vicariatu dare potest (AAS, XXI, 573).

3. Pro *religiosis exemptis* vero easdem litteras dant : abbas monasterii sui iuris et Superior maior religionis exemptae.

Observes ius istud pertinere etiam ad Superiorem maiorem religionis laicalis quae sit exempta, et quosdam promovendos habeat : puta Ordinem S. Ioannis de Deo.

Sed professis a votis temporariis litteras istas dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores concedere possunt (**c. 964**, 3°).

4. Pro religiosis *non exemptis*, Superiores litteras dimissorias dare non poterunt sine indulto peculiari vel privilegio, quod saepe conceditur, sed quo erga professos votorum temporariorum uti iam non possunt nisi ad tonsuram et ordines minores.

Religiosis tamen istis per se his litteris opus non est. Etenim, cum non sint exempti, proprium habent episcopum domicilii, a quo sine his litteris ordinari poterunt. Eorum ordinatio, ait c. 964, 4°, regitur iure saecularium, excepta necessitate iuramenti de quo in c. 956.

5. Litterae dimissoriae ab *episcopo proprio*, etiam Cardinali suburbicario, dari possunt ad quemlibet episcopum communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, citra apostolicum indultum, episcopo ritus diversi a ritu promovendi ; — a *Superiore* autem *religioso* non possunt, secluso privilegio, mitti nisi ad episcopum (seu quasi-episcopum) dioecesis (seu quasi-dioecesis) in qua sita est domus religiosa ad cuius familiam ordinandus pertinet (c. 965). Et canone 967 monentur Superiores religiosi ne in fraudem episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissoriarum de industria in id tempus differant quo episcopus est abfuturus, vel nullas habiturus est ordinationes proximo legitimo tempore. Tunc enim, ex c. 966, dummodo id constet ex authentico Curiae episcopalis testimonio, litteras ad quemlibet alium episcopum ritus promovendorum mittere permittuntur. Quod etiam possunt, si dioecesis vacet nec regatur a viro qui charactere episcopali sit insignitus (aut, ni fallimur, ordines conferre queat).

Caput II. - De subiecto s. ordinationis

Art. I. - Requisita in subiecto s. ordinationis

§ 1. DE VOCATIONE REQUISITA

242. - Quia, hodie praesertim, ordines non suscipiuntur sine aliqua intentione et spe sacerdotii, de sola vocatione ad statum *sacerdotalem* solliciti esse debemus. De qua haec pauca notanda sunt.

1. Qua voluntate Christus perenne in sua Ecclesia instituit sacrificium perpetuamque dispensationem sacramentorum, quorum plura a solis sacris ministris conferri possunt, eadem voluit etiam Ecclesiam ornare copia sacerdotum qui illud offerrent et haec dispensarent. Ac pertinet ad divinam Providentiam efficaciter prospicere ut Ecclesia necessariis ministris non careat. Cf. ep. SS. D. Pii Pp XI, 10 iun. 1923, ad Belgii episcopos. AAS, XV, 1923, 351 ; *Per*. XII, 96.

Multos igitur ad sacerdotium vocari quatenus efficaces gratias recipiant ad eum statum sancte amplectendum et exercendum ambigi nequit.

Dum autem *per se* cunctis consilia evangelica proponuntur, certum, contra, est, non omnibus proponi statum sacerdotalem, cum sacerdotes ad hierarchiam pertineant quam a populo discretam voluit ipse Deus. Praeterea, dum religiosus, qua talis, suam propriam sanctitatem consectatur, status sacerdotalis non tam ad privatum cuiuspiam quam ad commune rei publicae christianae bonum refertur. Nemo fit sibi sacerdos.

2. Nec aliquis fit sacerdos sua sola voluntate.

Contra, in sacris litteris et in C. Trid. actio vocantis Dei et Superioris ecclesiastici in recto ponitur. « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron » (Ep. ad Hebr. 5, 4). « Manus cito nemini imposueris ». Sic Apostolus in 1 ep. ad Tim. 5, 22, suum discipulum monet. Et Trid. Conc., postquam in s. 23, cap. 4, memoravit non omnes ad hierarchiam aspirare posse, can. 7, anathemate plectit eum qui dixerit « eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros ». Rursus autem in potestate est, saltem S. Pontificis (1), ut, propter necessitatem Ecclesiae, fideli praecipere possit ascensum ad statum sacerdotalem. Quare :

3. Ad quaestionem : *quinam sunt ad statum sacerdotalem vocati*, sic breviter respondendum esse censemus :

a) Voluntate Dei *consequente* ipsam externam assumptionem, vocantur quotquot rite assumpti sunt ab Ecclesia, cui delectus sacerdotum commissa est. Ideo catechismus C. Trid. in allegatum locum ep. ad Hebr. aït : « Vocari a Deo dicuntur qui a legitimis Ecclesiae ministris vocantur ». Atque in litt. 2 iul. 1912, Card. Secr. Status, rettulit probatum a S. Pontifice iudicium Commissionis Cardinalium quo opus can. LAHITTON, *La vocation sacerdotale*, egregie laudandum dicitur qua parte astruit « 1° Neminem habere umquam ius ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem episcopi » (AAS. IV, 485 ; *N. R. Th.*, 1912, 709 ; *Per.* VI, 262).

b) Si quaeras autem quinam *antecedente* voluntate *beneplaciti* divini vocentur, i. e. quinam placeant Deo cum ad statum istum aspirant, frustra et sine valido argumento postulaveris specialem quendam instinctum seu quasi internam locutionem Dei vocantis ; sed fas est cuilibet *idoneo* hunc statum appetere cum *sincera intentione* exsequendi eiusdem status obligationes. Verum cum S. TH., 2, 2, q. 189, art. 1 ad 3 et S. ALPH., L. 6, n. 802, ut aliquis sit *idoneus*, exigimus, praeter ingenii dotes et scientiam congruam, ipsam iam praesentem vitae sanctitatem. Cum nimio enim detrimento proprio et periculo Ecclesiae, nimisque contra huius mentem, sacri ordines suscipiuntur ab iis qui bene castigatos mores non habeant, quam ut hi possint *per se* sine gravi reatu ad sacerdotium ascendere Cfr *Per.* XVII, 231* ss. *Sinceram* autem *intentionem* conceptam intellegimus *ultronea* voluntate. Aeque enim fragiles atque Ecclesiae periculosi aestimari possunt et qui intentione humana appetunt munia spiritualia, et qui eadem inviti, necessitate vel parentum auctoritate aut consideratione permoti, suscipiunt. His autem notis *idoneitatis* et *rectae intentionis* vera vocatio componitur.

Ad rem, a supra memorata Commissione laudatum quoque est, probante Pontifice, opus LAHITTON, quatenus astruit : « 2° Condicionem quae ex parte

(1) Codex c. 973, § 2 negat clericum inferioris gradus ab *episcopo* cogi posse ad recipiendos superiores ordines. De iure anteriore cf. GASPARRI, *De sacra ordinatione*, I, 638. 639.

ordinandi debet attendi, quae vocatio sacerdotalis appellatur, nequaquam consistere, saltem necessario et de lege ordinaria, in interna quadam aspiratione subiecti seu invitamentis Spiritus Sancti ad sacerdotium ineundum. — 3° Sed, e contra, nihil plus in ordinando, ut rite vocetur ab episcopo, requiri quam rectam intentionem simul cum idoneitate in iis gratiae et naturae dotibus reposita, et per eam vitae probitatem ac doctrinae sufficientiam comprobata quae spem fundatam faciant fore ut sacerdotii munera recte obire eiusdemque obligationes sancte servare queat ». Cf. *N. R. Th.*, 1912, 709, ss. ; *Per.* VI. 262 ; VII, 149 et opusculum nostrum : *De vocatione religiosa et sacerdotali.*

§ 2. QUINAM VALIDE ORDINENTUR

243. - Incapax ordinum, iure divino, est homo *non baptizatus* vel *feminei* sexus. Et qui dubie est mas, licite ad ordines aspirare nequit, cum perpetuo periculo nullitatis exponeret omnes actiones quae characterem sacrum postulant. Constans autem traditio et praxis Ecclesiae demonstrant sexum masculinum requiri. *Hermaphroditam* seu qui utrumque sexum coniungat vere haberi hodie negatur.

In *adulto* requiritur quoque *intentio*, seu voluntas saltem *habitualis*, i. e. quae actualis fuit et non est revocata, suscipiendi ordines.

Quaenam autem voluntas ? Quia sacramentum operatur *ex opere operato*, sufficere videtur consensus in applicationem ritus sacri. Praestatne hunc necessario qui voluntarie sinit ut ordinans ritum sacrum in ipsum exerceat, quamvis interne dissentiat ? Eliditurne dissensus iste praevalente voluntate quae movet candidatum ad accedendum ? Id putat C. Gasparri, I, 644, appellans, n. 643, Innocentium III in c. 3, § Item, *De baptismo eiusque effectu* (III, 42), quem locum alii violenter interpretari debent. Nihilo minus communis sententia nullam putat esse ordinationem eius qui ficte accedit. Atque secundum hunc opinionem respondit *S. Off.* 2 mart. 1842 (*Coll. P. F.* I, 946), eidemque favet quoque resp. *S. Off.* 28 nov. 1900 (*Coll. P. F.* II, n. 2096), quamvis ibi mere praecipiat iterationem condicionatam. Cf. Wernz, II, 82, qui nullitatem indubitatam habet.

1. Valide ergo ordinantur *perpetuo amentes, pueri in cunis*, qui *metu gravi coacti* consentiunt. Verum sic coactus clericus nisi, remoto metu, ordinationem ratam habuerit saltem tacite per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subicere, ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia iudicis redigetur, sine ullis caelibatus vel horarum canonicarum obligationibus (c. 214). Has revera non contraxit.

Coactus autem non est qui nulla vi exteriore, nullis minis vel incusso terrore ad ordinationem perductus est, sed propria rerum penuria vel formidine condicionis humilis et laboriosae persuasus, statum sacerdotalem eligit. Cfr *Per.* XVII, 138*-144*.

Infans autem ordinatus ad nullam obligationem astringitur, nisi ordinationem suam, plene sui compos et puber, ratam habuerit. Cf. Instr. Benedicti XIV *Eo quamvis*, 4 maii 1745.

2. *Invalide* ordinatur *dormiens, ebrius* adultus qui antea non habuerit intentionem recipiendi ordinem ; qui *exteriore vi* rapitur ad ordinationem ; qui *iocando* vel *fabulam recitando* se ordinanti praesentat.

§ 3. QUINAM LICITE ORDINENTUR

244. - Ad ordines licite recipiendos *subiectum* debet :

1. In *statu gratiae* versari. Obligatio tamen non est gravis pro ordinibus qui secundum communiorem sententiam non sunt sacramenta ;

2 Immunis esse *a censura* vel *alio impedimento canonico*, de quo statim infra. Ac proprius episcopus vel Superior religiosus maior potest suis clericis, ex quavis canonica causa, occulta quoque, etiam extraiudicialiter ascensum ad ordines interdicere, salvo iure recursus ad S. Sedem, vel etiam ad Moderatorem generalem, si agatur de religiosis quibus ascensum interdixerit Superior Provincialis.

Canonica causa est in primis defectus qualitatum quas exigit c. 974 ; est quoque, pro saecularibus, ex c. 969, § 1, inutilitas ordinandi pro ecclesia dioecesis cui destinatur.

Sed ex analogia iuris idem dici posse videtur de religiosis qui, qua sacerdotes, inutiles futuri praevideantur. Respectus iste permittere videtur ut ascensus ad ordines sacros religioso negetur qui non est firmus in vocatione sua. Is enim, propter suam inconstantiam, religioni erit moraliter inutilis ; nec ab episcopo utilis suae dioecesi iam iudicari potest.

3. Si est saecularis, esse, iudicio episcopi proprii, *necessarius* vel *utilis* ecclesiae dioecesis. Excipe si destinetur servitio alius dioecesis. Plerumque accedet iam praesens acceptatio episcopi istius dioecesis et quaedam, saltem lato sensu intellecta, pactio inter utrumque. Non prohibetur tamen episcopus idoneum subditum ordinare indefinite pro servitio ecclesiae quae postea determinabitur. Cf. *Per.* XII, 76, IV ;

4. Habere *animum clericandi* seu serviendi Deo per propria suscepti ordinis ministeria ; immo propositum ascendendi ad presbyteratum (c. **973**, § 1). Fraus tamen non est gravis. Leviter ergo peccarit qui cum intentione vitae coniugalis ordinem minorem susceperit. Nec positiva voluntas exercendi ordines inferiores hodie praecepta videtur ;

5. Esse *confirmatus*. Non stricte constat gravem esse obligationem ;

6. Habere *aetatem canonicam, debitam scientiam, mores ordini recipiendo congruentes, titulum canonicum*, si agatur de ordinibus maioribus (c. **974**) ;

7. Debet suscepisse *ordines inferiores*, et observare *interstitia* (c. 974).

245. - Aetas canonica est 21 annorum completorum pro subdiaconatu, 22 completorum pro diaconatu, 24 completorum pro presbyteratu (c. **975**). Ab aetate requisita pro sacerdotio quaedam dispensationes (unius anni, unius anni cum dimidio) propter iustam causam, maxime propter necessitatem Ecclesiae, conceduntur. Nulla aetas canonica tonsurae et minoribus ordinibus praefinitur. Ante Codicem, scriptores congruam aetatem inter septimum completum et quartum

decimum aestimabant. Nunc indirecte maior requiritur, cum tonsura conferri vetetur iis qui cursum theologicum nondum inceperint (c. 976).

246. - Debita scientia statuitur, tam pro religiosis quam pro saecularibus, acquirenda, quando agitur de *theologia*, in scholis ad id institutis, secundum hanc studiorum rationem, ut, post biennium philosophiae, integro quadriennio sequantur cursum theologiae qui, praeter theologiam dogmaticam et moralem, complectatur studium S. Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici. Sic c. 1365, § 3, qui vult ut « habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus, praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis. »

Iam vero, prima tonsura postulat inceptum cursum theologicum ; subdiaconatus non est conferendus nisi exeunte tertio cursus theologici anno ; diaconatus, nisi incepto quarto anno ; presbyteratus, nisi post medietatem eiusdem quarti anni.

Ea videtur rationabilis interpretatio istius quarti anni ut intellegatur totum spatium per quod lectiones habentur. Paulo benignius ergo verba sumi possunt quam in declaratione *S. C. Consistorialis*, 24 mart. 1911 (*Per.* VI, 25), quae respiciebat annos *studiorum* et quidem *expletos*, dum in c. 976, § 2, sermo fit de anno incepto vel exeunte *cursus theologici*.

Praeterea de ipso ordine suscipiendo quilibet promovendus, sive saecularis sive religiosus, praevium et diligens *examen* subire debet ; promovendus autem ad sacros ordines in aliis quoque de s. theologia tractationibus periculum faciat : methodum, materiam, examinatores determinat episcopus loci qui iure proprio ordinat vel dat dimissorias litteras. Is quoque examen recipit, nisi idem committere malit episcopo ordinaturo, id oneris acceptanti (**c. 996. 997**).

Potest etiam, quamvis non debeat, acquiescere Episcopo vel Superiori qui in litteris dimissoriis asserat candidatum fuisse idoneum repertum in rite facto periculo. « Si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat » (c. 997, § 2). — Canone isto nulla tolluntur privilegia quibus non nulli religiosi ab examine episcopali eximuntur.

247. - Quinam *mores* requirantur, supra iam expositum est. Quo autem facilius congruos mores induant, **c. 972** curandum dicit ut ad sacros ordines aspirantes inde a teneris annis in *seminarium* recipiantur, praecipitque ut omnes ibidem saltem per integrum s. theologiae curriculum commorentur, « nisi Ordinarius in casibus particularibus, gravi de causa, onerata eius conscientia, dispensaverit » (c. 972, § 1). Qui autem extra seminarium legitime morentur, commendandi sunt pio et idoneo sacerdoti qui eis invigilet eosque ad pietatem informet

(c. 972, § 2). Quamvis id optandum sit, non praecipitur tamen ut ipso sacerdotis tecto recipiantur.

248. - **Ordinum inferiorum susceptio.** Ordinationes *per saltum* omnino prohibentur, sed ordines gradatim conferendi sunt, nullo gradu omisso (**c. 977**). Quod adeo urgetur, ut S. Sedes iubeat suppleri ordinationes omissas etiam in eo qui iam in maiore ordine suscepto minores virtualiter possidet.

249. - Observanda quoque sunt temporum interstitia « quibus promoti in receptis ordinibus, secundum episcopi praescriptum, sese exerceant » (**c. 978**, § 1). Porro interstitia inter tonsuram et ostiariatum vel inter singulos minores ordines prudenti episcopi iudicio committuntur ; « acolythus vero ad subdiaconatum, subdiaconus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum ne antea promoveantur quam acolythus unum saltem annum, subdiaconus et diaconus tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae iudicio episcopi, aliud exposcat » (c. 978, § 2). Potest ergo episcopus, etiam cum religiosis, ob iustam causam publicae rationis dispensare.

Ei tamen non licet primam tonsuram cum aliquo ex minoribus ordinibus vel *omnes* minores ordines una simul conferre. Et peculiaris licentia R. Pontificis requiritur ut minores ordines cum subdiaconatu duove sacri ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur (c. 978, § 3). Itaque severius prohibetur coniunctio minorum ordinum cum subdiaconatu, vel duorum ordinum maiorum, quam coniunctio tonsurae cum minore ordine vel collatio in eadem ordinatione omnium ordinum minorum. Hic non reprobatur consuetudo contraria, et locus epikeiae non excluditur.

250. - Augendi maioribus ordinibus providendi sunt **titulo canonico.** Titulus canonicus est, hoc loco, titulus sustentationis, canonice admissus, i. e. cautio de conveniente et per se perpetua sustentatione.

Pro clericis *saecularibus*, titulus canonicus est *beneficii*, eoque deficiente, *patrimonii* (cuius quantitas (1) et ratio statutis vel normis Ordinariorum definitur), aut *pensionis* ecclesiasticae (**c. 979**). Qui ordinatus in sacris titulum amiserit, non ideo fit suspensus, sed alium sibi providere debet nisi, iudicio episcopi, eius congruae sustentationi aliter consultum sit (**c. 980**, § 1).

Episcopus autem qui, citra apostolicum indultum, suum subditum in sacris sine titulo canonico ordinaverit vel ordinari permiserit, debet ipse, eiusque successor, eidem egenti alimenta necessaria praebere, donec congruae eiusdem sustentationi aliter provisum fuerit ; et pactio contraria omni vi destituitur (c. 980, §§ 2 et 3).

(1) Quantitas non semper tanta exigitur quae perpetuae sustentationi vere sufficiat. Ita, hodie, in Italia, titulus patrimonii decem milibus libellarum constitui consuevit.

Deficientibus tamen consuetis titulis, suppleri potest titulo *servitii dioecesis*, et, in locis *S. C. Pr. Fid.* subiectis, titulo *missionis*, ea tamen lege ut ordinandus, iure iurando interposito, se devoveat perpetuo dioecesis aut missionis servitio sub auctoritate Ordinarii loci pro tempore. Sic autem promoto presbytero debet Ordinarius congruam sustentationem procurare (c. 981). Observes, iureiurando servitii dioecesis non excludi ingressum in religionem, sicut, sine licentia S. Sedis, excluditur iuramento missionis.

Regularibus stricte dictis titulus *paupertatis*, religiosis *votorum simplicium perpetuorum* titulus *mensae communis*, *Congregationis*, aliusve similis, ad normam constitutionum tribuitur (c. 982, § 1. 2). Canone isto omni Congregationi, etiam dioecesanae, titulus conceditur pro ordinatione alumnorum suorum votorum perpetuorum. Professis autem votorum temporariorum deest titulus mensae communis, cum religionem deserere possint, et ab ea satis facile, saltem elapso votorum spatio, dimitti. Quare, etiam ad ordinationis titulum quod attinet, hi iure saecularium reguntur (c. 982, § 3). Excipe si apostolicum indultum a titulo dispenset.

Art. II. - De irregularitatibus aliisque impedimentis

(I. CREUSEN, S. I.)

Scriptores : D'ANNIBALE, I, n. 399, ss. — DE BRABANDERE, *Compendium*, III, n. 1491, ss. — GASPARRI, *Tractatus de sacra ordinatione*, I, n. 155, ss. — WERNZ, II, n. 95, ss. — AUGUSTINE, O. S. B. *A commentary*, IV, ad c. 983, ss. — BLAT, O. P. *Commentarium*, t. III, P. I, in h. cc. — A. DE MEESTER, I. C., *Compendium*, III, n. 1918, ss. — LEITNER, *Handbuch des Kath. KR.*, 2te Lief. §§ 19-23. — VERMEERSCH, S. I. *Theologia moralis*, III, n. 698, ss.

251. - 1. Ut in Veteri Testamento, ita in novo ab altaris servitio remoti sunt qui certis defectibus corporis vel animi inficiebantur (1). Veteres canonistae praescripta Apostoli *regulam apostolicam* vocantes, *irregulares* dixerunt qui ab illa deficiebant. Iam S. AUGUSTINUS (2) de integritate *regularis* personae ad clericatum aptae loquitur ; verbum vero *irregularitas* primum a RUFINO est usurpatum. Divisionem in irregularitates ex defectu et ex delicto GOFFREDUS DE TRANO († 1245) invexit. Tandem INNOCENTIUS IV (1243-1254) primus de irregularitatibus ex professo tractavit.

2. Cum leges de irregularitatibus non ex solo iure scripto ortae essent nec in corpore iuris ulla rubrica speciali recenserentur, doctores de earum natura et divisione non nihil inter se discrepabant. — In hoc articulo II asseritur legem in Codice scriptam unicum esse fontem impedimentorum (c. 983) quæ postea enumerantur, sc. irregularitates ex defectu (c. 984), irregularitates ex delicto (cc. 985. 986), tandem simplicia impedimenta (c. 987). Magis deinde explicatur modus quo in ea impedimenta incurritur (cc. 988. 989) et ab eis dispensatio conceditur (cc. 990. 991).

---

(1) Levit., cc. 21. 22. — I Tim. III, 2, ss. Tit. I, 7.
(2) Epist. 60. Migne, P. L., t. 33, c. 228.

Codex duo genera impedimentorum distinguit, irregularitates scilicet et simplicia impedimenta.

§ 1. DE IRREGULARITATIBUS ET IMPEDIMENTIS IN GENERE

252. - Definitio. Irregularitas est *impedimentum* canonicum, de se *perpetuum*, quod, per se et primario, susceptionem ordinum et secundario, eorum exercitium prohibet (**c. 983.** Cf. c. 968).

Positivus est ergo *defectus*, physicus vel moralis, ob quem *non decet* ut quis ministerio altaris deputetur. — *Perpetuitate* irregularitas a simplici impedimento secernitur. — *Canonicum* dicitur impedimentum, quia *sola* ecclesiastica lege universali statui potest, exclusa nunc qualibet consuetudine.

Simplex impedimentum est defectus, de se temporarius, qualitatis moralis vel libertatis, quam Ecclesia exigit ut quis licite ordines recipiat aut receptos exerceat.

253. - Divisio. Irregularitates dividuntur *tantum* in irregularitates *ex defectu* et irregularitates *ex delicto*.

Aliae enim irregularitates ex facto necessario vel ex culpa aliena, aliae ex culpa propria contrahuntur. In priori casu rationem poenae nullo modo habent; ubi vero ex culpa propria oriuntur, etsi primario ob indecentiam moralem statuuntur, secundario tamen rationem poenae vindicativae induunt et, magis quam nunc, ante Codicem induebant. Quare a multis commentatoribus post tractatum de poenis explicabantur.

Irregularitas ex defectu oritur ex privatione, quae non est peccaminosa, qualitatis quae decentia sacri ministerii requiritur. Irregularitas ex delicto oritur ex indignitate quam gravis culpa personalis inducit.

254. - *De modo contrahendi irregularitatem vel impedimentum.*

1. Leges de irregularitatibus et impedimentis *strictae* sunt *interpretationis.* Praeterquam quod ius quoddam per se omnibus fidelibus concessum restringunt, immediate onus satis grave imponunt; praeterea irregularitas ex delicto, saltem secundario, indolem poenae habet; tandem ipse legislator omnia haec impedimenta suo textu exclusive voluit definiri.

2. Baptizati soli irregularitatem vel impedimentum contrahere possunt, cum e lege tantum ecclesiastica oriantur. Factum, tamen ante baptismum positum, potest post illum causa impedimenti fieri, v. g. duplex matrimonium legitimum et consummatum.

3. Irregularitas *ex delicto* non contrahitur nisi ipsum delictum fuerit grave peccatum, post baptismum commissum (excepta receptione baptismi ab acatholicis), itemque externum, sive publicum sive occultum (**c. 986**).

Peccatum *externum* requiritur ut saltem natura sua foro externo Ecclesiae subiciatur. — *Grave* sit oportet, quia sine gravi culpa non oritur *indignitas*. propter quam irregularitas statuitur. — Non respiciuntur peccata *ante baptis-*

mum commissa, quia non decet ut lex quae saltem secundario est poenalis, peccatorum rationem habeat quae baptismo *rite* recepto plenissime delentur. Quidquid ergo a peccato gravi immunem facit, ab irregularitate ex delicto excusat, v. g. aetas, metus gravis et vis, saltem plerumque, si de lege mere ecclesiastica agitur (c. 985, 6°), ignorantia legis non graviter culpabilis, etc.

Plerique antea *impuberes* excusabant; quae sententia iam clare textu excluditur. At inspicienti delicta infra citanda, patebit impuberes vix in has irregularitates incurrere posse.

4. « **Ignorantia** irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat » (**c. 988**).

Ante Codicem, ex sententia communi, ignorantia ab irregularitate ex delicto excusabat. Irregularitatem semper primario rationem cuiusdem inhabilitatis habere, poenae vero non nisi secundario, sic clare docemur. Iamvero nulla ignorantia legis inhabilitantis ab eadem excusat, nisi aliud expresse dicatur (c. 16). Ex analogia idem de his impedimentis statuitur.

Agitur hic de ignorantia ipsius inhabilitatis legalis seu ipsius irregularitatis ; nam qui ipsam prohibitionem legis ignoraverit, ita ut delicti seu gravis peccati sit incapax, etiam irregularitatem ex delicto vitat.

Exemplo sit clericus qui ex ignorantia non affectata chirurgiam exercuerit et mortem aegroti inculpabiliter causaverit.

5. **In dubio** *iuris* aut *facti*, pro libertate erit pronuntiandum quoties ratio serio probabilis contra prohibitionem exstabit. — In dubio *facti*, omnes interpretes veteris iuris obligationem legis tollebant, excepto casu clerici qui actionem posuerat culpabilem ex qua secuta erat mors hominis, nesciebat tamen certo num suæ actioni mors deberetur. Debebat se tamquam irregularem considerare et dispensationem, saltem ad cautelam petere. Haec obligatio iam urgeri non potest, cum *delictum* requiratur ideoque certum homicidium.

255. - « Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorundem causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario » (**c. 989**).

Cum abortus non dicatur nisi fetus viventis, malitia homicidii semper inficitur. Nec tamen ex eius repetitione multiplicari irregularitatem censemus. Lex enim est strictae interpretationis. Iam vero dum canone 985, 4° abortus homicidio tamquam specialis forma delicti coniungitur, hic silentio premitur, cum tamen legislator ad illum canonem facile remittere potuerit (Cf. cc. 985, 4° ; 989. 990, § 1).
Sunt tamen qui etiam nunc negent animam spiritualem fetui infundi a momento conceptionis ; ideoque homicidium non erit fetus occisio, nisi satis evoluti, ita ut moraliter constet eundem esse anima rationali informatum.

§ 2. DE IRREGULARITATIBUS ET IMPEDIMENTIS IN SPECIE

I. DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU

256. - C. 984. « Sunt irregulares ex defectu :

1° Illegitimi, sive illegitimitas sit publica, sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi ; »

Liber baptismorum de legitimitate plenam fidem facit, quam non nisi evidens probatio contraria elidit. Sic, v. g. contra fidem libri baptismorum, testimonium ipsius matris non admitteretur. — Occulta non est illegitimitas quae in libris civilibus annotatur, nisi ordinandus in remotissimis a loco originis regionibus versetur.

Legitimatio sive subsequenti matrimonio, sive rescripto R. Pontificis obtinetur. In priore casu requiritur ut « parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis » (c. 1116).

Legati S. Sedis, ex Indulto S. C. *Consist.*, d. 21 iun. 1920 (1), sub n. 3 ingressum in seminarium illegitimis, certis adhibitis cautelis, permittere possunt ; quae licentia necessitatem recurrendi pro dispensatione ab irregularitate non tollit.

« 2° Corpore vitiati qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt ; »

Clarioribus verbis multa veterum dubia solvuntur. Qui *secure* et *decenter* altaris ministerio fungitur non est ab ordinibus recipiendis removendus : recepti autem ordinis exercitium favore etiam maiore gaudet. De « oculo canonico » autem iam non erit disputandum.

S. C. *Consistorialis*, decr. *Redeuntibus*, 25 oct. 1918 (2) Ordinariis locorum et religiosorum facultatem dederat ut cum *sacerdotibus* e bello revertentibus dispensare possent, si, iudicio magistri rubricarum, ritus in sacro necessarios cum decore implere possent. Quod decretum ex eius praeambulo solis sacerdotibus e generali bello a. 1914-1918 applicari posse videtur. Nunc ad S. Sedem vel ad Legatum eius (Cf. *Facultates*, I, 5. *Epitome*, I, n. 813) recurrendum est.

Ubi dispensatio petenda erit, « gratiam faciliorem reddunt morum honestas et scientia oratoris, ipsius et parentum eius paupertas, necessitas dioecesis aut parocciae, votum episcopi aut populi, causa sancta aut honesta defectus corporalis, etc. » (3). Recens, ob huiusmodi rationes, S. C. *de Sacramentis*, ordinationem concessit iuvenis cui dextra amputata erat (AAS, XIII, 1911, 436).

Praecipui defectus qui recensentur, sunt :

a) *Caecitas*. Dispensationem *ante* ordines maiores antea numquam concessam BENEDICTUS XV semel concessit. Eadem fere difficultas opponitur ei qui valde caecutit. — Ex sola privatione unius oculi irregularitas certo iam non incurritur (4).

---

(1) Cf. *Per.*, XI, (15). — (2) AAS, X, 1918, 481. — *Per.* IX, 124, ss. — (3) GASPARRI, *Tractatus de s. ordinatione*, I, n. 255. — (4) Cf. S. C. *de Relig.* 28 nov. 1924. — *Anal. O. M. Cap.*, 1925, p. 37. — *Per.*, XIV, 73.

Sacerdos *valde caecutiens* a *S. R. C.* indultum obtinere potest ad celebrandam missam de B. M. V., vel de Requiem aut aliam votivam iuxta normas in Instr. *S. R. C.*, 12 ian. 1921 promulgatas. Si omnino caecus factus fuerit, novo indulto indigebit (1).

b) *Surditas* ex utraque aure, iuxta communissimam sententiam, irregularem facit ad ordines *suscipiendos*.

c) Privatio *alterius brachii*, vel *alterius manus*. Pro qualitate personae et proximitate sacerdotii, spes haberi potest obtinendi ex audientia Sanctissimi dispensationem etiam ad suscipiendos ordines. Ad eosdem exercendos dispensatio facile ex audientia Sanctissimi conceditur, modo securitati et decentiae satis cautum sit.

d) Super mutilatione *pollicis* aut *indicis*, quae facit irregularem ad suscipiendos ordines, haud magna difficultate dispensatio obtinetur.

e) *Difformitas crurium*, modo veste talari satis tegatur, non inducit irregularitatem.

« 3° Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt ; quod si post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis ordinum exercitium rursus permittere ; »

Severior facta est utraque pars canonis, quae nullam sanationis ante receptos ordines rationem habet, post receptos ordines effectum prudenti Ordinarii iudicio permittit.

Accidit ut morbo stomachi externa epilepsis signa dentur. Quo casu, irregularitas non ex hoc fonte, sed ex defectu securitatis et decentiae, si quis sit, orietur. — Si nulla signa morbi dederit per plures annos qui ante pubertatem epilepsi correptus est, censent graves auctores eum non esse irregularem (Cf. GASPARRI, *Tractatus de s. ordinatione*, I, n. 278).

« 4° Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia successive contraxerunt ; »

Haec bigamia *vera* vocatur. Ante Codicem, irregularitas oriebatur quoque ex bigamia *interpretativa* et *similitudinaria*, quae nempe speciem duplicis matrimonii prae se ferebat. Casus erat illius qui, matrimonio valido vel voto sollemni ligatus, matrimonium invalidum attentabat ; aut eius qui viduam a primo marito cognitam vel virginem defloratam ducebat. Priore casu, nunc irregularitas ex delicto (c. 985, 3°), altero casu nulla contrahitur.

Ex claro Codicis textu, non oportet ut matrimonium consummatum fuerit. Neque requiritur ut fuerit ratum. Ideoque, si quis in infidelitate duplex matrimonium consummavit, post baptismum fiet irregularis. (Cf. GASPARRI, *l. c.* n. 377.)

« 5° Qui infamia *iuris* notantur ; »

Infamia iuris est poena vindicativa, qua delicta iure definita plectuntur. Irregularitas non e delicto immediate sequitur, sed e defectu famae quam sententia condemnatoria aut cognitio delicti causat (Cf. cc. 2293. 2320. 2328. 2343. 2351. 2356. 2357. *Epitome*, III, in c. 2293).

« 6° Iudex qui mortis sententiam tulit ; »

(1) Cf. *AAS.*, XIII, 1921, 154. — *NRTh.*, 1921, 375, ss. 571, ss. — *Per.* X, 306.

Huic defectui obnoxii non sunt « iurati », qui de sola facti veritate iudicant (Cod. proc. crim. gall. a. 342) ; immo nec ipse iudex in regionibus ubi mortis sententia exsecutioni non mandatur ; non enim ad mortem hominis concurrit, quae est huius irregularitatis causa (1). Praeterea iudex qui in infidelitate sententiam mortis tulit, inde irregularis non est ; agitur enim hic de defectu lenitatis christianae (2).

Olim plures quam nunc personae irregularitatem ex hac causa contrahebant, v. g. procurator generalis qui mortis sententiam exigebat, milites qui militiam sponte susceperant et damnatum custodiebant, testes voluntarii.

« 7° Qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae.

His non sunt accensendi qui ipsum tabulatum erigunt nec milites qui, munere coacti, reum occidunt. Irregularitates sub n. 6° et 7° recensitae, *ex defectu lenitatis* contrahi dicebantur.

I. DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO

257. - C. 985. « Sunt irregulares ex delicto :

« 1° Apostatae a fide, haeretici, schismatici ; »

Haereticis et schismaticis qui *bona fide* sectae haereticae erant ascripti, dispensatio ad cautelam erit concedenda.

« 2° Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt ; »

Acatholici, nullo verbo addito, stricte dicendi sunt baptizati qui in haeresi vel in schismate vivunt, non infideles ; sensum enim latiorem verbis « acatholicis quibuscumque » haud semel indicat Codex (v. g. c. 1099, 2°), et favorem haereticae sectae concessum simul ac perversionis periculum praesertim vult excludere. *Quovis modo*, i. e. sive ritibus sectae adhibitis, sive nullo speciali ritu. Haec irregularitas est nova.

Quia irregularitas non est primario poena, ab hac irregularitate impuberes non excusantur, modo sufficientem usum rationis habuerint.

« 3° Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali vel ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis astricta aut matrimonio valido coniuncta ; »

Irregularitas ex attentato matrimonio sacrilego multo severius quam antea determinatur, cum ad vota etiam simplicia et temporaria extendatur. Non attingitur tamen persona quae, aliis votis religiosis soluta, solo voto castitatis teneretur, quod iam non esset « *religiosum* » votum.

Additur irregularitas ex attentatione matrimonii adulterio infecta.

« 4° Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes ; »

Cum *delictum* plectatur, requiritur hominis occisio graviter culpabilis. Haec habetur quotiens quis, extra moderamen inculpatae tutelae, alii mortem directe

(1) Cf. GASPARRI, *De sacra ordinatione*, I, n. 451 ss.

(2) Cf. NOLDIN, *Summa th. mor.*, III, n. 489. VERMEERSCH, *Theol. Mor.*, III, 703.

vel indirecte, efficaciter tamen, inferat. Sed quia versamur in materia odiosa, censent graves auctores irregularitatem ex *indirecte* voluntario homicidio non oriri. Inde, saltem iure dubia, ideoque certo nulla est irregularitas ex hoc homicidio orta. Porro requiritur ut mors ex ipsa vi illata, non ex neglecta cura sequatur.

Abortus fetus humani habetur ubi directe procuratur eiectio fetus animati, antequam extra matris sinum vivere possit. Veteres censebant fetum masculum post 40 dies, feminam post 80 animari. Cum haec sententia nullum fundamentum scientificum habeat et canon « fetum humanum », non « animatum » dicat, nulla distinctio inter utrumque facienda est. Quare admitti non potest sententia contraria AUGUSTINE, *A commentary*, IV, p. 490. — De forma irregularitatis ex decr. *Redeuntibus*, cf. infra n. 261, 2.

Verba « effectu secuto, omnesque cooperantes » ad utrumque membrum sunt referenda, cum ex loco suo, tum ex veteris iuris determinatione quam sequi iubemur. *Negativos* cooperatores plecti non censemus ; a doctoribus enim excusabantur, in libro V° Codicis a positivis omnino secernuntur (c. 2231), nec ipsi stricte cooperantur.

« 5° Qui seipsos vel alios mutilarunt vel sibi vitam adimere tentaverunt ; »

Mutilatio est abscissio partis corporis quae *proprium* et a ceteris *distinctum* officium habet ; ideoque membra non sunt nasus, auriculae, dentes, capilli, nec unus alterve digitus. Neque mutilatio habetur si membrum laesum aut mutilatum supersit. Castratio, si uterque testiculus aufertur, est gravis mutilatio. — Plectitur hic voluntaria et graviter culpabilis mutilatio.

« 6° Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si inde mors sequatur ; »

Irregularitas incurritur ob violatam *gravem* prohibitionem, si mors etiam sine culpa agentis secuta est (cf. c. 139, § 2). Si aegrotus, etsi a clerico male curatus, ob imperitiam tamen medici postea vocati, moriatur, irregularitas non incurritur. — Ante Codicem, etiam qui licitae rei operam dabant, si causa mortis casualis ob defectum diligentiae fuerant, irregularitatem contrahebant.

« 7° Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica, sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti. »

Actus ordinis est is quem vi sacri seu maioris ordinis tantum ponere licet. Ut incurratur irregularitas, actus sollemniter ponendus est ; quod etiam sine insignibus fieri potest, si ad actus validitatem ordo requiritur. Usurpatio ipsius exercitii ordinis irregularitate plectitur, non vero quilibet actus qui a ministro illius ordinis ponitur, ut est v. g. remotio pallae a calice, etc.

Sic irregularis non fieret clericus minor qui, etiam cum manipulo, sacro sollemni assisteret, sed aquam in calicem non infunderet, calicem non abstergeret ; subdiaconus qui evangelium sine stola cantaret.

Notantum est violatione simplicis *prohibitionis* exercendi ordines irregularitatem non induci ; ita v. g. religiosus dimissus, si ante inventum episcopum aut acceptam S. Sedis dispensationem, ordines maiores exerceret, graviter peccaret, sed non fieret irregularis.

Duplici modo extenditur irregularitas, antea iam vigens, ex illicito ordinis

sacri exercitio. Ad laicos enim extenditur ; nam lex inter ipsos et clericos iam non distinguit ; et afficit illos clericos qui non censurae tantum, sed poenae quoque vindicativae (v. g. suspensionis ad tempus definitum) violatione ordinem exercent.

Qui tamen periculo infamiae aut timore magni damni id fecerit, in irregularitatem non incurrat ; lex enim mere ecclesiastica cum tanto incommodo non obligat.

258. - S. C. *Consist.*, decr. *Magni semper*, 30 dec. 1918, sacerdotibus demigrantibus ex Europa vel ex mediterranei oris ad Americam vel Philippinas insulas certas leges praestituit. Quas si temere violaverint, ex n. 16 eiusdem decreti « suspensi a divinis ipso facto maneant » ; violatione autem huius censurae in irregularitatem incidunt, cuius absolutio eidem S. Congregationi (i. e. S. Sedi) reservatur (cf. *Per.* X, 38, ac praecipue 48).

III. DE IMPEDIMENTO SIMPLICI

259. - C. 987. « Sunt simpliciter impediti :

« 1° **Filii acatholicorum**, quam diu parentes in suo errore permanent;» Etiam in linea paterna, *nepotes* (i. e. filii filiorum) iam irregulares non sunt (1). — Si alter parens catholicus est, etiamsi matrimonium mixtum cum dispensatione initum sit, filius est impeditus (2). Etiamsi parens haereticus in errore mortuus sit, impedimentum cessare videtur. Hoc enim postulat ipse canonis textus, qui strictae est interpretationis, et, in impedimentis simplicibus, Codex rationem praesentis tantum condicionis candidati ad ordines habet (3). Contra AUGUSTINE, *A commentary*, IV, p. 498, acatholicis etiam infideles designari non censemus. Ipsa S. C. *Concilii* filium e iudaica stirpe ortum non impediri censuit (4).

« 2° **Viri uxorem habentes** ; »

Dispensatio non concedetur nisi uxor libere consenserit et a variis incommodis satis cautum sit.

« 3° Qui officium vel **administrationem gerunt** clericis vetitam cuius rationem reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint ; » (Cf. c. 139, 3).

« 4° Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem ; »

« 5° Qui ad **ordinarium militare servitium** civili lege astringuntur, ante quam illud expleverint ; »

Ordinarium militare servitium non obeunt qui, ipsa lege, curandis tantum aegrotis vacare coguntur ; nec *ordinario* servitio comprehenduntur exercitia annua, quibus omnes, post finitum servitium, ut aiunt, *activum*, astringuntur Cf. Decr. S. C. *de Rel.* 1 ian. 1911 (5).

---

(1) Resp. *Comm. I. C.*, 14 iul. 1922. AAS, XIV, 1922, 528. Multi hoc responsum perperam interpretati sunt, contra resp. *Comm. I. C.*, de quo statim. Cf. *Per.* XII, (10).

(2) Resp. *Comm. I. C.*, 29 oct. 1919 — AAS, XI, 1919, 478. — *Per.*, X, 99 s.

(3) Cf. STUTZ, *Der Geist des Codex I. C.*, 1918, 93.

(4) Cf. RICHTER, *Conc. Trid.*, p. 339, n. 3 ; quem textum haud scio quomodo AUGUSTINE in suam sententiam convertat.

(5) AAS, III, 1911, 37. — *Per.* V, 282.

Qui, examine peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati, impedimentum servant, quo liberantur ii soli qui in tempus infinitum *(congé illimité)* libertatem a servitio adepti sunt (1).

« 6° Neophyti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint ; »

Notanda est facultas Ordinario facta, in hoc et sequenti numero, iudicandi de suppressa impedimenti causa.

« 7° Qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat ; »

« Infamia facti contrahitur, quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo iudicium spectat ad Ordinarium » (c. 2293, § 3). Oriebatur olim ex quibusdam artificiis vel quaestibus. Etsi haec iure impedimentum non constituunt, causa esse possunt cur ab episcopo quis ad clericatum non admittatur.

§ 3. DE CESSATIONE IRREGULARITATIS VEL IMPEDIMENTI

260. - Impedimenta simplicia cessare possunt *cessatione* ipsius *causae*, v. g. si quis a servitio militari plene liberetur, aut *dispensatione*. Irregularitates cessant vel sublata lege vel, donec vigeat lex, sola dispensatione : sunt enim de se perpetuae.

Vitium corporis quod arte humana corrigi possit non constituit irregularitatem. — Si vitium mentis, *post* receptos ordines contractum, plene cessaverit, Ordinarius poterit exercitium ordinum permittere. In hoc igitur casu verum manet irregularitatem ad recipiendos ordines sola dispensatione cessare.

261. - De dispensatione.

1. R. Pontifex ab omnibus irregularitatibus et impedimentis dispensare potest. Petitio a laicis vel clericis saecularibus ad S. C. *de Sacramentis* est dirigenda, a religiosis vero ad S. C. *de Religiosis* ; ad *S. Officium*, in casibus c. 985, 1° (n. 257) et c. 987, 1° (n. 259).

2. Ordinarii possunt per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta quae ex homicidio vel abortu voluntario oritur aliave deducta ad forum iudiciale (c. 990).

Notantum est hanc potestatem non reservari Ordinariis locorum sed etiam pertinere ad Superiores maiores religionis clericalis exemptae. Extenditur ad omnes irregularitates (una excepta) ex delicto occulto, quod sc. nondum est divulgatum nec, ob adiuncta, probabiliter divulgandum est. — Ad forum iudiciale est deductum, non simplici denuntiatione, sed ubi citatio legitime facta est vel partes litigantes se sponte iudici sistunt (cf. c. 1711, ss.).

Ordinarii Regulares, ex privilegio proprio vel communicato, suos omnes ab omni irregularitate dispensare possunt. Haec potestas, quae interdum Superiori generali reservatur, non valet nisi pro solo foro

(1) Cf. Resp. *Comm. I. C.*, 2-3 iun. 1918. — AAS, X, 1918, 344. — *Per.* IX, 149.

interno, si irregularitas ex homicidio voluntario orta sit (1). Immo singulis annis, fer. II post Dominicam primam Quadragesimae, possunt Superiores locales (Regularium), per se ipsos, vel per confessarios quibus id commiserint, dispensare cum suis subditis, etiam novitiis, intra claustra sub oboedientia viventibus, in omni irregularitate, quavis occasione vel causa contracta (2).

Decreto *S. C. Consist. Redeuntibus*, 25 oct. 1918 (3), omnibus Ordinariis, sive locorum sive Regularium, facultas concessa est « dispensandi, saltem ad cautelam, ex irregularitate, quae a canonistis olim dicebatur *ex defectu lenitatis*, quoties sacerdotes, clerici et seminariorum seu religionum alumni in eam incurrerint non ex facto proprio sed ex necessitate, coacti nempe ad arma capessenda et mortem vel mutilationem forte inferendam ».

Facultas ista concessa est quoque Superiori generali sacerdotum a S. Corde de Betharram et Missionariorum de la Salette (Declar. 20 ian. 1919. AAS, XI, 1919, 43. *Per.* X, 46).

Irregularitatem defectu lenitatis lege fuisse sublatam supra vidimus, nec lectorem fugere potest facultatem dispensandi « saltem ad cautelam » esse concessam. Quae, ni fallimur, ab iis tantum erit adhibenda quibus dubia oborirentur circa cessationem irregularitatis vel eius naturam. Nobis videtur dispensatio inutilis clericis qui moderamen inculpatae tutelae servaverunt ; alii vero ex delicto homicidii vel mutilationis, non ex defectu lenitatis irregulares facti sunt.

« Quotiens vero agatur de clericis in sacris qui, non legum necessitate coacti, sponte sua se obtulerunt ad arma suscipienda, aut ea susceperunt, pro dispensatione ad S. Sedem erit recurrendum,... » (Ex eodem decr. cap. I).

Iuxta Resp. *S. C. Consist.* 28 mart. 1919 clerici in sacris, militum vulneratorum vel infirmorum assistentiae addicti, qui ex huiusmodi ministerio sponte sua maluerunt transire ad militiam pugnantem, quin tamen mortem vel mutilationem intulerint, tenentur... dispensationem a S. Sede impetrare, ut ad sacri ministerii exercitium restituantur (4). Istis non sunt assimulandi qui servitio activo et ipsis armis capessendis addicti, at ex benevolentia in alio servitio detenti, se ad servitium inter milites pugnantes obtulerunt : sic saltem nobis videtur.

Hoc decreti praescripto nova, sed ad casum particularem restricta, irregularitas constitui videtur.

In decreto enim nulla distinctio fit inter bellum iustum vel iniustum, offensivum vel defensivum, in quo auxilium clericorum necessarium fuerit vel non necessarium. Immo dispensatio a S. Sede petenda dicitur pro iis qui tantum « se

---

(1) Cf. Pius V, C. *Dum ad Congregationem*, 13 iun. 1571.

(2) Cf. Paulus III, Breve *Exponi nobis nuper*, 12 mart. 1545.

(3) AAS, X, 1918, 481.

(4) AAS, XI, 1919, 177. — *Per.* X, 53.

obtulerunt ad arma suscipienda ». — Haec cum irregularitatibus sive iuris prioris sive Codicis non consentire in aperto est.

Sunt qui dicant istos clericos esse irregulares ex delicto quia cooperati sunt voluntarie homicidiis iniustis quae, durante hoc bello, ex utraque parte procul dubio patrata sunt, et ex hoc saltem fonte, bellum fuisse iniustum. Quibus respondemus 1° bellum non fieri iniustum quod aliqui, sive duces sive milites, in aliquot casibus iniusta homicidia perpetrarint ; 2° in immensis nostris exercitibus, quarum partes saepe omnino sunt independentes, vix intellegi posse quomodo *omnes* milites irregulares fiant quod vel unus adversarius iniuste fuerit occisus (cf. Gasparri, *De ordinatione*, I, n. 448, ss.). Quare ad novam et temporariam irregularitatem recurrendum videtur, ut decretum explicetur.

3. Omnes confessarii possunt in casibus occultis urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, dispensare ab omni irregularitate orta ex delicto occulto, exceptis homicidio et abortu voluntariis « sed ad hoc dumtaxat ut paenitens ordines *iam susceptos* exercere licite valeat » (c. 990, § 2).

Confessarius est omnis sacerdos ad confessiones approbatus. Facultatem exercere erga omnes pro quibus est approbatus *per se* debet ipse, sed etiam extra actum confessionis potest. Post datam dispensationem, nullus recursus ad S. Sedem imponitur. Si quis ex abortu occulto irregularitatem contraxerit et casus urgeat, confessarius eum a censura absolvere poterit ad normam c. 2254 ; ab irregularitate observanda periculum gravis infamiae excusabit, sed erit quantocius ad Superiorem competentem recurrendum. Quare minuitur paululum facultas concessa decr. *S. Officii*, 6 sept. 1909 (1) (cf. *Periodica*, V, p. 52, n. 345).

Ex communicatione privilegiorum possunt multi Regulares, dum sacris missionibus vel publicis exercitiis tradendis incumbunt, dispensare pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis tantum, ab omnibus irregularitatibus occultis, etiam expressam et individualem mentionem alias exigentibus (2).

4. In precibus pro dispensatione, exprimenda sunt omnia impedimenta et irregularitates, immo, ad validitatem, ipse numerus delictorum, si agitur de irregularitate ex homicidio vel abortu orta.

Dispensatio generalis, quae pro declaratis casibus valet, invalida est :

a) pro reticitis mala fide ;

b) pro reticitis, etiam bona fide, irregularitate ex homicidio vel abortu aut numero horum delictorum, i. e. *actuum* culpabilium.

Dispensatus ad ordines recipiendos per dispensationem verbis generalibus conceptam nequit fieri S. R. E. Cardinalis, episcopus, abbas vel Praelatus nullius, Superior maior in religione clericali exempta (c. **991**).

---

(1) AAS, I, 1909, 677. Nobiscum De Meester, *Compendium*, III, n. 1923, 3°.

(2) Cf. Pius VI, Rescr. ad Congreg, a Passione D. N. I. C., 27 maii 1789.

Caput III. - De iis quae s. ordinationi praeire debent (1)

262. - Brevis summa. Praeter tempestivum *nuntium* episcopo dandum de suo ordines recipiendi proposito (c. 992), promovendi *testimoniales litteras* afferre debent ; et Codex praeterea ipsis praescribit *examen, banna, investigationem Ordinarii, exercitia spiritualia.* De singulis pauca.

263. - I. Testimoniales litterae. 1. *Saeculares* et *religiosi qui, in ordinatione, priorum iure reguntur,* **c. 993. 994**, afferre iubentur :

Testimonium *ultimae ordinationis,* aut, si de prima tonsura agatur, recepti baptismi et confirmationis ;

Testimonium *de peractis studiis* quae canone 976 pro singulis ordinibus requiruntur ;

Testimonium *rectoris seminarii* aut *sacerdotis* cui candidatus extra seminarium commendatus fuerit, de bonis eius moribus ;

Testimoniales litteras *Ordinarii loci* in quo, post pubertatem, promovendus *trimestre* qua miles, vel *semestre* qua clericus vel simplex laicus moratus fuerit. Atque episcopus ordinans, pro sua prudentia exigere potest litteras testimoniales etiam ob brevius commorationis tempus et ob tempus quod pubertatem antecessit. Testimoniales litterae fidem faciunt nullum impedimentum canonicum a candidato contractum esse. Si Ordinarius loci candidatum nimis ignoraverit ut hanc fidem facere possit, aut si ipse promovendus per tot dioeceses vagatus sit ut impossibile aut nimis difficile evadat omnes litteras dimissorias exquirere, provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium a promovendo praestandum. Si post obtentas litteras et ante ordinationem promovendus in eodem territorio rursus per tres vel sex menses (pro casu) moratus sit, novae testimoniales litterae Ordinarii loci necessariae sunt.

Testimoniales *Superioris maioris religiosi,* si cui religioni promovendus ascriptus sit.

Litterae testimoniales dandae sunt ad ordines suscipiendos (NOLDIN-SCHMITT, III, 472).

Tempus commorationis intellegitur *moraliter continuum* ; agitur enim, ut ex can. 994, § 3 fit manifestum, de aliquo qui in eodem territorio per tempus istud manserit ; et consonat responsum S. C. *Concilii,* 25 iun. 1904 (*Per.*, I, 118).

Episcopus ordinans qui litteras testimoniales severius exigere potest, tam is est cuius auctoritate ordinationes fiunt, id est regulariter Ordinarius loci, quam ipse ordinans, qui depellendi suspicionem ab ordinando suo ius et officium habet ; dum vero agitur de iuramento quo litterae supplendae sint, id solius Ordinarii loci prudentiae permittitur.

His dispositionibus ius pristinum aliquantisper temperatur, quatenus litterae

---

(1) Quae sequuntur, usque ad tit. de matrimonio scripsit P. VERMEERSCH.

St. Albert's College Library

pro tempore ante pubertatem regulariter exigendae non sunt; et Ordinarius loci remedium habeat supplendi litteras.

2. *Religiosi qui iure saecularium non reguntur* afferre debent litteras dimissorias Superioris religiosi, quibus is non solum de qualitate et domicilio ordinandi sed etiam de studiis aliisque requisitis fidem faciat.

Acceptis litteris dimissoriis, episcopus aliis testimonialibus non indiget (**c. 995**).

Hoc igitur signo, religiosi qui proprio iure reguntur ab iis qui saecularium iure obnoxii sunt, distinguuntur, quod priores a propriis Superioribus dimissorias litteras accipiunt.

264. - II. De examine (**c. 996** et **997**), iam supra dictum est, n. 246.

Quaeri autem potest, ad quemnam spectet examinare religiosos qui privilegium habent ut a Superioribus suis ad quemlibet episcopum dimitti possint? Spectat ad Episcopum ad quem litterae dimissoriales missae sunt, ita ut religiosi isti pro examine plures adire possint. Cf. Many, *De s. ordinatione*, n. 163. Quare privilegium exemptionis ab episcopali examine, huiusmodi privilegium satis consequenter sequitur. Episcopo tamen ordinanti restat facultas exigendi examen, quam c. 997, § 2 etiam ei tribuit qui alienum subditum ordinat.

265. - III. De Bannis. Nomina promovendorum ad singulos sacros ordines, — exceptis religiosis a votis perpetuis, — publice denuntiandi sunt in paroeciali cuiusque candidati ecclesia, die festo de praecepto, inter missarum sollemnia, aut alia die et hora quibus maior populi frequentia in ecclesia habeatur (**c. 998**, § 1 et 2).

Ordinario licet ex iusta causa tum ab illa publicatione dispensare, tum praecipere ut etiam in aliis ecclesiis fiat, aut ei substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur (c. 998, § 1).

Post sex elapsos menses sine peracta ordinatione, publicatio iteranda est, nisi aliter Ordinario videatur (c. 998, § 3).

Omnes autem « fideles obligatione tenentur impedimenta ad sacros ordines, si qua norint, Ordinario vel parocho ante sacram ordinationem revelandi » (**c. 999**).

Publicationes igitur ante singulos sacros ordines faciendae sunt. Propria fit parochia per *domicilium* aut *quasi domicilium*. Ex analogia bannorum matrimonii, dicemus easdem in pluribus paroeciis faciendas esse pro eo qui plures habeat paroecias proprias. Vagorum paroecia propria est paroecia ubi commorantur.

Sed regiones sunt in quibus, ex consuetudine, banna vel omittuntur vel non fiunt nisi ante unum vel duos ordines sacros (Many, op. c. n. 119).

Obligatio deferendi impedimenta est iuris *naturalis*, quod positivo canone memoratur et confirmatur. Normae de praecepta denuntiatione applicandae sunt. Cf. *Theol. mor.* II, 117.

266. - IV. **De Ordinarii investigatione.** Ordinarius utiles percon-

tationes facere debet ; et praecipue parocho qui publicationes peragit vel etiam alii committere ut de ordinandorum moribus et vita diligenter exquirat, et litteras testimoniales de investigatione et publicatione ad curiam transmittat (c. 1000).

In ipsa autem ordinatione, archidiaconus respondere potest *dignos* esse quos non noverit indignos. Cfr. c. un., X, *De scrutinio in ordine faciendo* I, 12.

267. - V. De Exercitiis spiritualibus. *Omnibus, etiam religiosis,* imponuntur **c. 1001**, ante primam tonsuram et ordines minores, exercitia spiritualia per tres saltem integros dies ; ante ordines sacros, saltem per sex integros dies. Si qui, intra semestre ad plures sacros ordines promovendi sint, Ordinarius potest tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres dies.

Diuturniora exercitia magis ante subdiaconatum et sacerdotium urgentur, quia subdiaconatus imponit saecularibus obligationem casti caelibatus ; sacerdotium vero officia graviora, praeter obligationem practice indispensabilem castitatis perfectae. S. C. *de Sacramentis*, resp. 2 maii 1928 brevitatem intervalli non admittit ut excusantem a stricta observatione c. 1001, quam diu id physice fieri possit. Si autem adeo brevi intervallo ordinationes separentur ut ne physice quidem tempus suppetat observando canoni, tunc ordini qui ante alios confertur exercitia spiritualia saltem per sex dies *praemitti* debent, ceteris ordinibus, si fieri potest, una saltem dies spiritualis recessus praeponatur, iudicio Episcopi i. e. Ordinarii cui ordinandi subduntur. Cfr AAS., XX, 339 ; *Per.* XVII, 240 ss. cum notis Secretarii et nostris, et *N. R. T.*, 1929, 69.

Exercitia *iterari* debent, si, post ea expleta, ordinatio ultra sex menses dilata sit ; si minor dilatio fuerit, iudicet Ordinarius de opportunitate iterandi exercitia. Ac iusta causa esse potest cur non fiant immediate ante ordinationes.

Exercitia ista religiosi peragant in propria domo vel in alia, a Superiore prudenter electa ; saeculares vero in seminario, aut in alia pia vel religiosa domo ab episcopo designata.

Ordinarius cui in c. 1001 varia definienda committuntur est Ordinarius loci et, pro religiosis exemptis, Superior maior. Superior religiosus, in suis litteris, etiam peracta exercitia testari debebit.

Praecedens ius pontificium solis clericis saecularibus qui in Urbe ordinabantur exercitia spiritualia (et quidem per decem dies) ante singulos ordines maiores imponebat.

Caput IV. - De ritibus et caerimoniis s. ordinationis

268. - De observandis ritibus. Haec pauca in **cc. 1002-1005** nobis attendenda sunt.

1. Inculcatur accurata s. rituum observatio, vitata omni omissione vel inversione.

2. Ab ipso ordinationis vel episcopalis consecrationis ministro, missa ordinationis vel consecrationis celebranda est.

3. Is qui ritu orientali quosdam ordines receperit et dein a Sede Apostolica indultum obtinuerit ad suscipiendos ritu latino maiores ordines, prius, ritu latino, recipere debet ordines quos ritu orientali nondum receperit.

I. e. cum Ecclesia graeca ex quattuor minoribus Ecclesiae latinae ordinibus solum lectoratum formaliter seu distincte conferat, qui diaconatum vel presbyteratum ritu latino recepturus sit, prius ordines formaliter praetermissos, ut omnis species saltus vitetur, recipere debebit.

4. Ad maiores ordines promoti s. communionem in ipsa ordinationis missa recipere debent.

Caput V. - De tempore et loco s. ordinationis

269. - I. Quo tempore ordinationes faciendae sint. 1. *Episcopalis* consecratio conferri debet intra missarum sollemnia, die dominico, vel natalicio apostolorum (**c. 1006**, § 1).

Pro *consecratione* episcopali, apostoli stricte intellegendi sunt, exclusis proin evangelistis S. Luca et S. Marco, excluso etiam S. Barnaba. Nec festa de praecepto aequiperantur dominicis. (Cf. 9 ap. 1913, *S. R. C.* 9 ap. 1913 ; *A. A. S.*, V 1913, 186 ; *Per.*, VII, 139.)

2. Ordinationes *in sacris* celebrentur intra missarum sollemnia sabbatis IV Temporum, sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto. Sed ob gravem causam potest episcopus eas habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto.

Et cum non dicatur « festo de praecepto, *etiam suppresso* », sicut in c. 339, § 1, sola festa intellegenda videntur quae alicubi ex privilegio, et ea quae ubique *per se* ex Codice vigent (quamvis in loco ordinationis dispensentur), sine respectu catalogi Urbani VIII. Tuta tamen est sententia aliorum ut, v.g. Tummulo, II, 695 ; Gén. II, 433, qui, nixi iure anteriore, existimant intellegi posse etiam festa suppressa ex catalogo Urbani VIII.

3. Prima tonsura quolibet die et hora conferri potest ; ordines minores, singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen.

Ex modo quo in §§ 3 et 4 Codex festa duplicia a festis de praecepto distinguit, liquet hic festa *duplicia* intellegi duplicia in choro, quamvis non praecepta.

4. Reprobatur *consuetudo* contra ordinationum tempora Codice praescripta.

Non revocantur tamen privilegia. Sed S. C. *Concilii* constanter respondit privilegium recipiendi vel conferendi ordines extra Tempora intellegendum esse de privilegio ea recipiendi die dominico vel festo de praecepto ; et iam monet Lugo *Resp. mor.* § 1, d. 34, sententiam benigniorem de ret. Urbani VIII reiectam

fuisse. Cf. GASPARRI, *De Ord.* I, 52 ; MANY, n. 98 ; GÉN.-SALSM. II, 433 ; NOLDIN-SCHMITT, III, 475. Usus vero secundum hanc benigniorem sententiam iam non poterit servari, cum ex § 5 talis consuetudo reprobetur.

Iteratio autem *ordinationis* vel *ritus supplendus*, absolute aut condicionate, potest semper extra tempora et secreto peragi (c. **1007**).

« Extra tempora », hic tantum valet quantum omni die quo missa celebrari potest. Ergo etiam extra festa quaelibet.

270. - II. Ordinationum locus. 1. Cum soli Cardinales pontificalia ubique exercere possint (c. 239, § 1, 15°), episcopi non-Cardinales non possunt, sine Ordinarii loci licentia, etiam subditis suis ordines conferre in quorum collatione pontificalia excercentur (c. **1008**).

2. « Ordinationes generales in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ecclesiae canonicis, publice celebrentur ; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia adeatur » (c. **1009**, § 1).

Ordinationes *generales* eae sunt quae habentur in sex sabbatis quae ex c. 1006, § 2 proprium sunt tempus ordinationibus in sacris. Ita diu iam receptus usus vocis. Propter facultatem quam § 3 eiusdem canonis tribuit episcopo habendi eas ordinationes etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto, AUGUSTINE, in c. 1009, existimat nunc quoque hoc nomine venire ordinationes quae debuissent in uno ex sex sabbatis celebrari sed in diem festum dilatae sunt. Quae vero extra tempora ista celebrantur sunt ordinationes *particulares*. Generalibus autem in cathedrali assistere debent canonici, possuntque ad id per censuras cogi (*S. C. C.* 19 iun. 1778 ad IX. RICHTER, *C. Trid.* p. 184, n. 1). Possitne Ordinarius eodem modo cogere clerum localem cum ordinationes generales alio dioecesis loco fiunt, id minus constat.

Particulares autem ordinationes episcopus, ob iustam causam, in aliis etiam ecclesiis et in oratorio domus episcopalis aut seminarii aut religiosae domus habere potest (c. 1009, § 2).

Prima tonsura et ordines minores etiam in privatis oratoriis conferri possunt (c. 1009, § 3).

271. - III. Obligationes ab ordinante impositae ordinatis. 1. *Quaenam imponantur. Pontificale romanum* in fine ordinationis presbyterorum, ordinanti onera suggerit his verbis : « Singuli ad primam Tonsuram vel ad quattuor minores Ordines promoti, dicite semel septem psalmos paenitentiales cum Litaniis, versiculis et orationibus ; — ad subdiaconatum vel diaconatum, nocturnum talis diei. Ad Presbyteratum vero ordinati, post primam vestram missam, tres alias, videlicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de Beata Maria semper Virgine, et tertiam pro fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate ».

Psalmi cum litaniis etc. reperiuntur proprio loco in fine breviarii. — Nocturnus

talis diei, intellegitur vel nocturnus feriae, vel primus nocturnus dominicae aut festi novem lectionum, prout ordinatio feria, festo vel dominica habita sit. Sic *S. R. C.* 27 iun. 1899 ad I (n. 4042). Responsum istud supponit indicatum fuisse nocturnum ipsius diei ordinationis. Sed episcopus possit nocturnum alius diei designare, et tunc erit nocturnus feriae vel primus festi novem lectionum si illa die officium sit de feria vel de sancto. Ac ius est quoque episcopo designandi expresse alium nocturnum ac primum.

Nocturnus autem constat psalmis cum antiphonis, sine lectionibus, invitatorio et hymno (*S.R.C.* 10 iul. 1903, n. 4117).

Tres missae intelleguntur votivae, nisi occurrat festum B. M. V. aut dies qua missa de Spiritu Sancto dicenda est : per quam celebrationem oneri satisfit. Pro missis istis stipendium recipi potest.

Suadet tamen Noldin-Schmitt, III, 479 fine, ut applicentur pro Ecclesia et pro fidelibus defunctis. Mentem enim Ecclesiae esse « ut ordinati per eos colant Spiritum Sanctum et B. Virginem ; iis gratias agant pro beneficiis acceptis, auxilium divinum implorent tum universae Ecclesiae, tum Pontifici ordinanti, tum sibimetipsis, ac tandem ut misericordiam exhibeant Ecclesiae patienti, fidelibus scil. defunctis ».

2. *Obligatio.* Non constat de ulla obligatione sub peccato, aliquod ex his oneribus implendi. Ita recepta interpretatio.

Caput VI. - De annotatione ac testimonio peractae ordinationis

272. - 1. Codice praecipitur accurata descriptio, indicato ordinante et singulis ordinatis, omnium ordinationum peractarum, in peculiari libro, in archivo curiae loci ordinationis servanda, in quo libro etiam ii annotandi sunt qui ab episcopo extraneo cum litteris dimissoriis ordinati sunt (**c. 1010**).

2. Praeterea, loci Ordinarius, si agitur de saecularibus ; Superior maior, si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissorialibus, notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittere debent ad baptismi parochum, in librum baptizatorum referendam (**c. 1011**).

3. Singulis ordinatis authenticum receptae ordinationis testimonium dandum est (c. 1010, § 2).

TITULUS VII

DE MATRIMONIO
(c. 1012-1143)

(I. CREUSEN, S. I.)

Scriptores : SANCHEZ, S. I., *Disputationum de sancto matrimonii sacramento libri X.* — FEYE, H. I., *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus.* — GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio*, 3ª ed., 1904. — DE BECKER, I., *De sponsalibus et matrimonio*, ed. 2. - WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, t. IV. — CAPPELLO, S. I., *De matrimonio*, alt. ed. Romae, 1927. — CERATO, P., *Matrimonium a Codice i. c. integre desumptum*, Patavii, 1918. — DE SMET, A., *De sponsalibus et matrimonio*, alt. ed. post Cod., Brugis, 1927. — LEITNER, *Handbuch des kath. Kirchenrechts*, 4te Lief., Regenburg, 1921. — LINNEBORN, *Grundriss des Eherechts nach dem C. I. C.*, Paderborn, 1919. — TRIEBS, Fr., *Praktisches Handbuch des geltenden Eherechts*, etc. Breslau, 1925, ss. — Th. SCHÄFER, O. M. C., *Das Eherecht nach dem Codex*, Münster, i. W. 1924. — A. VERMEERSCH, S. I., *Theologia moralis*, III, n. 740, ss., alt. ed., Romae, 1927. — VIDAL, S. I., *Ius matrimoniale*, Romae, 1925. — VLAMING, *Praelectiones iuris matrimonii*, etc., BUSSUM, 1919 et 1921. Adde : AUGUSTINE, O. S. B., BLAT, O. P., COCCHI, in h. cc.

MATERIA ET ORDO DICENDI

273. - 1. *Dogmatici* characterem sacramentalem contractus, unitatem et indissolubilitatem relativam vinculi matrimonialis demonstrant ; *Moralistae* vero officia quae coniugibus ex ipsa contractus natura oriuntur, definiunt. *In Codice* autem, praeter quaedam principia dogmatica et moralia, *leges positivae,* sive divinae sive ecclesiasticae, de contractu matrimoniali fidelium exponuntur.

2. Codex, postquam de matrimonio in genere et de sponsalibus notiones dedit (cc. 1012-1018), ea primo proponit quae matrimonium antecedunt, sc. examen sponsorum, proclamationem bannorum, leges de impedimentis in genere et in specie (Cap. I-IV). Sequuntur ea quae ipsum contractum respiciunt, consensum videlicet, formam sollemnem et ritus externos (Cap. V-VIII), tandem effectus matrimonii (Cap. IX). Postremo leges feruntur de dissolutione vinculi vel societatis coniugalis (Cap. X) et de convalidatione matrimonii quod est invalide initum (Cap. XI). Pauca subiunguntur de secundis nuptiis (Cap. XII).

INTRODUCTIO

Art. I. - De Matrimonio in genere

§ 1. DE NOTIONE ET DEFINITIONE

274. - 1. « Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos. Quare inter baptizatos

nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum » (c. 1012).

I. DE MATRIMONIO-CONTRACTU

Matrimonium potest et debet considerari ut *actus*, seu in fieri et ut *status*, seu in facto esse.

Matrimonium *in fieri* definiri potest : « Contractus legitimus et individuus quo vir et mulier sibi mutuo ius in corpus tradunt in ordine ad actus per se aptos ad generationem ».

Quoniam sensu intelligenda sint verba « actus per se apti ad generationem », cf. infra n. 339 et VERMEERSCH, *De castitate* [2], n. 77, ss.

Contractus debet esse *legitimus* seu initus inter personas lege divina et humana aptas atque iuxta formam eadem lege praescriptam. — *Individuus* contractus dicit concessionem iuris *excludentis* tertiam personam et per se *perpetui*. — Tandem exprimitur in definitione *obiectum* contractus, quo ab omni alio inter virum et mulierem contractu distinguitur. Nempe obiectum *materiale* huius contractus sunt corpora, *formale* vero ius mutuum et exclusivum in corpus alterius in ordine ad actus generandae proli aptos.

Matrimonium *in facto* esse, est societas coniugalis seu coniunctio individua et per se perpetua viri et mulieris, orta ex contractu matrimoniali, constans obligationibus et iuribus quae requirit finis primarius et secundarius matrimonii.

Quae unio sine mutuo amore et quadam bonorum communitate nec perfecta, immo nec hominibus digna esse potest ; illius ergo amoris et communicationis obligatio ex ipso contractu, cuius tamen obiectum non sunt, oritur. Cohabitatio vero ipsam vitae coniunctionem perficit seu ad eius integritatem pertinet.

Qua contractus, matrimonium supponit personas habiles iure divino et humano et consensum legitimum. De impedimentis igitur, consensu eiusque forma erit statim post notiones generales agendum.

275. - 1. « Matrimonii finis primarius est procreatio et educatio prolis ; secundarius, mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae » (c. 1013, § 1).

Procreatio prolis qui finis primarius est *instituti* matrimonii, in nullo actu matrimoniali positive impediri potest ; *positive* autem *intendi* non debet cum actus coniugalis alios fines honestos habeat. Ideoque 1° matrimonium iis licet qui *actus* de se apti ad generationem sunt capaces, etsi *generatio* sit impossibilis ; 2° honesta est societas coniugalis inita ob finem honestum, etsi contractui *extrinsecum*, ut est concordia familiarum, modo finis contractus positive non excludatur.

2. « Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubi-

tas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti » (c. 1013, § 2).

Doctrina communis est *polyandriam* primariis iuris naturalis praeceptis, *polygyniam* secundariis repugnare. Illa enim naturalem mulieris subiectionem subvertit et dum incertum patrem facit, prolem recta educatione privat, qui finis primarius matrimonii est ; haec assecutionem finis secundarii in plerisque societatis condicionibus difficilem per se reddit. — Polygynia, quae sub V. T. a Deo tolerata fuit, tum fidelibus, tum infidelibus prorsus prohibita est (1), a Christo legislatore qui *unitatem* a Deo in ipsa matrimonii institutione stabilitam omnino restituit. — Matrimonium eo sensu est, per se, *indissolubile*, quod neque partium consensu, neque ulla, ut videtur, auctoritate mere humana, dissolvi potest. Absolutam autem indissolubilitatem non habet, ut ex praxi Ecclesiae scimus, nisi matrimonium fidelium consummatum. (Cf. *Syllabus*, n. 67. — De Smet, *De sponsalibus*, etc. I. n. 309, ss.)

II. DE MATRIMONIO-SACRAMENTO

276. - 1. Matrimonio, etiam praecisione facta ab elevatione ad dignitatem sacramenti, « inest sacrum et religiosum quiddam, non adventitium sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum » (2).

Deum enim habet auctorem et ab initio tamquam Incarnationis Verbi adumbratio quaedam institutum est.

Matrimonium *inter fideles* initum esse verum sacramentum Dogmatici demonstrant. Iuxta doctrinam catholicam et fidei proximam, nulla est *distinctio* realis, sed rationis tantum, inter contractum et sacramentum (3). Inde concludit Codex « inter baptizatos non posse matrimonialem contractum validum consistere quin sit eo ipso sacramentum » (c. 1012, § 2) censentque plerique scriptores matrimonium infidelium, ipsa baptismi ab utroque receptione, sacramentum fieri, etiam non renovato consensu (4).— Matrimonium *inter fidelem et infidelem*, cum dispensatione initum, probabilius non est etiam in fideli sacramentum (Wernz, IV, 43). Si duo in infidelitate contraxerint, *conversione alterutrius* ad fidem, matrimonium non fieri etiam fideli sacramentum, est sententia communior.

Controversiam textu Codicis (c. 1012, § 2) tolli non censemus, tum quia legislatoris mos non est theologicas controversias dirimere, tum quia verbum adhibitum « contractus » de solo matrimonio in fieri intellegi potest, sed favet sententiae communiori resp. *S. O.*, 5 nov. 1924 vocans huiusmodi matrimonium « vinculum naturale » (5).

2. « Legitimus contractus materia simul et forma est sacramenti

(1) Cf. *Instr. S. O.*, 28 mart. 1860. — *Coll. P. F.*, n. 1297.
(2) Leo XIII, Encycl. *Arcanum illud*, 10 febr. 1880.
(3) Cf. Wernz, IV, n. 43. — De Smet, n. 178. — Gasparri, I, n. 35.
(4) Cf. AAS, II, 1910, 933.
(5) Cf. *Eccl. Rev.*, 1925, 188,—*NRTh.*, 1925, 326.

matrimonii, mutua nempe ac legitima corporum *traditio* verbis ac nutibus interiorem animi sensum exprimentis materia, et mutua pariter ac legitima corporum *acceptatio*, forma ». Sic Benedictus XIV, C. *Paucis*, 19 mart. 1758, sententiam hodie communiorem exprimit.

Contractus enim inter baptizatos est identice sacramentum ; huius autem materia proxima est elementum determinabile, forma vero elementum determinans.

3. Ministri et subiectum sunt ipsae partes.

Debent igitur, 1° *quia sacramentum ministrant* :

a) ad *validitatem*, habere intentionem saltem virtualem faciendi id quod facit Ecclesia.

Verum haec intentio iam voluntate contrahendi habetur, nisi, praevalenti voluntate, ratio sacramenti excludatur. In contractu per procuratorem, haec intentio continetur in mandato *speciali* ad contrahendum dato.

b) ad *liceitatem*, esse in statu gratiae, non tamen per sacramentalem absolutionem, neque sub gravi, quia non ministrant sacramentum ex potestate ordinis.

2° *Quia sacramentum recipiunt* :

a) ad *validitatem*, esse baptizati ; eximi ab omni impedimento dirimente iuris etiam ecclesiastici ; habere intentionem saltem habitualem recipiendi sacramentum.

b) ad *liceitatem*, esse in statu gratiae, idque sub gravi.

Statuta dioecesana, etsi consilium confessionis ante matrimonium faciendae urgere possunt, strictum praeceptum non videntur posse imponere iis qui non sint publici peccatores (c. 1066). Ita enim constitueretur novum matrimonii impedimentum, quod solius R. Pontificis ius est. Cf. De Smet, n. 192.

c) *ad efficaciam*, esse in statu gratiae, quo removetur obex.

Licet hoc sacramentum conferre peccatori cui sine gravi incommodo denegari non possit, qui casus plerumque erit. — Ipsum autem matrimonium peccaminosum erit, si contrahenti causa est probabilis et libera perversionis.

§ 2. DIVISIONES

277. - 1. Sensus verborum quae hic definiuntur, non idem semper in fontibus servatus est, immo, ne in Codice quidem est contra omnem evidentiam urgendus, v. g. *legitimum* matrimonium in canone 331, § 1, 1°.

2. Matrimonium est verum seu *validum*, si efficaci consensu inter personas habiles est contractum ; dicitur legitimum tantum, si partes non sunt baptizatae, ratum, si contractum est a fidelibus.

Matrimonium ratum dicit *positive* sacramentum, ac proin positive opponitur matrimonio invalido fidelium et etiam valido aliorum ;

ratum tantum negat consummationem et ita, negative, opponitur matrimonio rato et consummato, quod ita vocatur, « si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo fiunt una caro » (c. 1015, §§ 1. 3).

E rei natura et e Codicis textu, ad consummationem matrimonii requiritur et sufficit copula *per se*, i. e. ratione actus, ad generationem apta, qualem plerique non existimant copulam sine effusione seminis e testiculo oriundi. — Quidam conceptionem falso requirunt. — Iuxta Sanchez, *De matrimonio*, l. VII, d. 64, n. 15 ad consummationem matrimonii requiritur et sufficit « si semen virile quacumque arte, vel matrice feminea illud attrahente, in vas femineum subintret ». Nobis improbabilis est sententia iuxta quam matrimonium fecundatione stricte artificiali, i. e. sine copula carnali, consummatur. Id sequitur e rei natura et e duplici sententia S. R. Romanae, ut validis argumentis a Cappello demonstratur (*De matrimonio*, n. 381) (1).

« Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur » (c. 1015, § 2).

3. Matrimonium invalidum dicitur :

a) Putativum, « si bona fide saltem ab una parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eius nullitate *certa* evadat » (c. 1015, § 4).

Nova definitio non requirit ut matrimonium putativum *figuram* seu *speciem* matrimonii habeat : sed cf. quae sub c) dicentur.

Praesumptum sub veteri iure matrimonium dicebatur quando, posito aliquo facto, matrimonium praesumptione sive iuris tantum sive iuris et de iure initum esse censebatur. Casus praecipuus erat sponsorum qui post sponsalia de futuro absolute inita liberam inter se copulam habebant. Haec matrimonii praesumpti forma a Leone XIII, C. *Consensus*, 15 febr. 1892 etiam in regionibus ubi decr. *Tametsi* non vigebat, sublata est.

b) Attentatum, si mala fide unius vel utriusque partis propter impedimentum inhabilis celebratur (cf. cc. 1072. 2388).

c) Matrimonium invalidum promiscue dicitur in Codice **nullum** vel **irritum** (Cf. cc. 1133. 1134). *Specimen seu figuram matrimonii* dicitur habere, si consensus in forma legitima (etsi forsan ob vitium essentiale nulliter) expressus est aut si iuxta mores regionis forma contractus pro legitima habetur.

Personis igitur quae coram parocho et testibus contrahere debent, matrimonium *mere civile* speciem seu figuram matrimonii non habet (2). Contra, iuxta Instructionem *S. O.* 16 sept. 1824, ad episcopum Quebecensem, speciem seu figuram matrimonii habet contractus initus inter fidelem legi clandestinitatis obnoxium, et infidelem vel acatholicum, modo iuxta leges regionis consensus fuerit praestitus, et ibi pro legitimo habeatur matrimonio (3). Idque adhuc admittit Vlaming, *o. c.*, I, n. 56.

Magni refert utrum contractus initus speciem seu figuram matrimonii habeat necne. Si enim non habet, non applicatur principium : In dubio standum est pro valore matrimonii, et sanatio in radice difficilius impetrari potest.

(1) Cf. Vermeersch, *De castitate*, n. 77, ss. — De Smet, n. 157. 3°. — (2) Cf. resp. *CIC.*, 12 mart. 1929, infra n. 361, 3. — *NRTh.*. 1929, 683. — (3) Cf. *Coll. P. F.* n. 784. Quam instruct. Gasparri, n. 418, in diem 3 mart. 1825, haud scio an errore. refert.

§ 3. DE IURE MATRIMONIALI

278. - 1. Matrimonium ad *ius divinum* positivum pertinet, quia eius essentialia elementa ab ipso Deo sunt determinata et quia contractus a Christo Domino, ad pristinam perfectionem reductus, ad sacramenti dignitatem est elevatus.

2. Baptizatorum matrimonium regitur quoque *iure canonico*; immo solius est Ecclesiae definire quae ad essentiam matrimonii fidelium pertineant, ut sunt firmitas vinculi, legitimitas prolis, forma sollemnis, etc.

3. *Civilis potestas* competens est circa effectus mere civiles matrimonii fidelium (c. 1016), ut sunt quantitas dotis, iura in nomen vel in haereditatem etc.

4. Matrimonia *infidelium* legi civili subiacent, probabilius etiam quod ad formam sollemnem et ad impedimenta dirimentia, salvo semper iure naturali divino (1).

Si saltem alterutra pars baptizetur, ad S. Sedem pertinet applicationes privilegii fidei moderari.

5. Si matrimonium inter partes disparitate cultus affectas ineatur, censent multi scriptores (2), aliis primi subsellii dissentientibus (3), partem infidelem etiam quod ad impedimenta non relativa potestati civili non subiacere, sed ecclesiasticae. Dissentientibus potius astipulamur.

279. - 6. « Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur... » salvo privilegio fidei vel Paulino (cc. 1014. 1027).

Vis huius canonis haec est: 1° Quotiens dubium oritur et inquisitioni superest de validitate matrimonii certo initi, seu dubium est *iuris*, standum est pro validitate matrimonii. Possidet enim matrimonium et morum honestas postulat ut salvetur vinculum quod Deus per se indissolubile voluit, quamdiu de eius nullitate non constet. 2° Si dubium est *de facto* matrimonii, standum est pro inito matrimonio eiusque validitate, *quotiens* vinculum inter partes nomen et possessionem matrimonii habet, i. e. pro tali publice habetur.

Praesumptio est iuris tantum, non iuris et de iure et veritati certo demonstratae cedit. Haec praesumptio qua talis in solo foro externo valet, sed eius fundamentum in foro quoque interno firmum est. In hoc tamen foro nullum favorem conciliat ei qui mala fide cum dubio

(1) Cf. DE SMET, n. 433.
(2) Ita v. g. VIDAL, n. 52; CAPPELLO, n. 67; DE SMET, n. 438, etc.
(3) V. g. DE BECKER, p. 44; LINNEBORN, p. 34; VLAMING, n. 195.

matrimonium iniit. Quare durante inquisitione debitum reddere, non petere potest. Praesumptio valet pro matrimonio fidelium, etiam acatholicorum, et infidelium. At si de matrimonio in infidelitate contracto agatur, praesumptio valebit quae usui privilegii magis favet, ad normam c. 1127 (1).

Olim quidem non pauci DD. censebant matrimonium dubium dubio *iuris* ob metum illatum, pro nullo in favorem partis metum passae habendum esse (2). At cum textus Codicis unicam exceptionem principii statuat, cuius applicationem universalem urgebant dicasteria S. Sedis, sententiam illorum DD. deserendam censemus (3).

Ante Codicem alia exceptio huic principio admittebatur, sc. matrimonium initum ab acatholico dubie baptizato cum parte non baptizata nullum habebatur (4). Utrum illa exceptio hodiedum valeat, in commentario ad c. 1070, § 2 perpendendum erit. Cf. infra n. 345, 2.

Art. II. - De promissione matrimonii

280. - Notio. Promissio matrimonii potest esse *unilateralis* aut *mutua*. Iuxta intentionem promittentis, oritur obligatio fidelitatis vel iustitiae. *Sponsalia* sunt contractus quo personae habiles futurum inter se matrimonium mutuo promittunt.

Errore tantum substantiali vitiatur. Valide sed iniuste contrahit qui defectum suum *positive nocivum* non detegit ; defectus, si nuptias faciat tantum minus appetibiles, *per se* non est cum propria infamia patefaciendus. Sinceritas semper est consulenda cum ex caritate, tum ne societas coniugalis iurgiis turbetur. — Sponsalia inita ex *metu* extrinseco, etiam gravi et iniusto, probabiliter valida sunt, sed rescindibilia ad nutum eius qui metum passus est ; si metus *levis* incussus est, rescissionis liceitas est vix probabilis, neque in foro externo sustinetur (WERNZ, n. 97).

Sponsalia inter personas impedimento detentas *condicionata* :

a) *valent,* si impedimentum cessat ab intrinseco vel ad arbitrium partium ;

b) *non valent,* si ab impedimento R. Pontifex dispensare nequeat vel non soleat, aut soleat sed desint causae ;

c) *probabiliter non valent ex iure positivo,* etiam si dispensatio conceditur, at invite.

Etsi Codex de prohibitione contrahendi sponsalia sub condicione dispensationis super impedimentis taceat, cum stilus Curiae ante Codicem talia sponsalia nulla

(1) Cf. Instr. *S. O.*, 18 dec. 1872. — *Coll. P. F.*, II, n. 1392. — Instr. *S. O.*, 24 ian. 1877, n. 2. — *Coll. P. F.*, n. 1465.

(2) GASPARRI, n. 219.

(3) Cf. CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 55, referentem responsa *S. C. C.* et sententias *S. R. Rotae* in favorem validitatis matrimonii cum dubio iuris circa metum contracti.

(4) Resp. *S. O.*, 14 iul. 1880. — *Coll. P. F.*, II. n, 1536.

declaret, in foro saltem externo huic sententiae adhaerere licebit et tutius erit (1).

In dubio de sponsalium validitate, partes probabilem libertatem urgere possunt. Id enim e principiis probabilismi iuribus applicati fluit et favori quem Codex libertati matrimonii vindicat, conforme est. Cave tamen ne argumentum ex imminuta libertate matrimonii nimis urgeas ; secus damnaveris ipsa sponsalia.

231. - *De forma sollemni.*

1. Forma quaedam sollemnis ad validitatem sponsalium praescripta est in Hispania d. 30 ian. 1880 (a° 1910, ad ius commune redacta), in America latina d. 1 ian. 1900, ubique terrarum decreto *Ne temere*, 8 aug. 1907. Forma ista fere sine mutatione in Codice *omni* matrimonii promissioni imponitur.

Ex iure communi, omnibus fidelibus Ecclesiae latinae, a die 19 maii 1918, invalida est, etiam in conscientia, quaelibet promissio matrimonii, quae praescripta forma sollemni destituatur (c. **1017**, § 1).

Qui ficta promissione alteram partem vere deceperit, ex iustitia de damnis tenebitur.

2. Promissio debet : 1° *scripto* redigi, cum elementis essentialibus, v. g. condicionibus. (Cf. formulam in VERMEERSCH, *De forma sponsalium et matrimonii,* ed. 5, p. 78.)

Locus, etsi utiliter additur, *ad validitatem* non est certo apponendus. — De necessitate apponendi ad validitatem *diem, mensem et annum* iam scriptores non consentiunt. Affirmant necessitatem v. g. CAPPELLO, n. 89 ; DE SMET, n. 10, etc. ; negant NOLDIN, *De sacramentis*, n. 511, nota 3 ; SCHAEPMAN, *Codex*, p. 6. Ratio dubitandi est silentium Codicis, quo usus c. 15 permittitur de non urgenda lege irritante dubia ; ratio asserendi est resp. *S. C. C.*, 27 iul. 1908, ad II, affirmans necessitatem inscriptionis diei, etc. ad validitatem ; quod responsum servandum videtur iuxta c. 6, 4° de dubia cum anteriore iure discrepantia et c. 23, cum illud responsum legem priorem, cui nova conformis est, interpretetur. Motivum exigendi indicationem diei, etc. in promptu est ; ex illa annotatione interdum iudicabitur num testes habiles fuerint, liberi, etc. Quare huic sententiae adhaerendum putamus (2).

2° *subsignari* unico tractu (3) a partibus et vel a parocho (in suo territorio) aut loci Ordinario vel a duobus saltem testibus.

Unico tractu, i. e. contextu, ita ut partes cum eodem teste aut iisdem testibus idem documentum subsignent. — *Delegatus* locum parochi vel Ordinarii tenere non potest. — Probabiliter partes possunt contrahere per procuratorem, munitum mandato *speciali*, si partes, tempore contractus, usum rationis non amiserint nec mandatum revocaverint.

« Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, *ad validitatem* id in ipsa scriptura annotetur et alius testis addatur qui cum

---

(1) CAPPELLO, n. 84, — DE SMET, *De sponsalibus*, I, n. 30 talia sponsalia iam irrita non habere videtur.

(2) HILLING, *Arch. f. k. KR*, 1925, 98, ss. sententiam affirmantem eodem modo demonstrat, sc. illas annotationes ipsam documenti naturam afficere, quod sine recta temporis annotatione saepe inutile esset.

(3) Cf. S. C. *Conc.* decr. 25 iul. 1908.

parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus § 1, scripturam subsignet » (c. 1017, § 2).

282. - *De effectibus sponsalium.*

Ex sponsalibus validis oriuntur : 1° Obligatio gravis contrahendi matrimonium tempore statuto vel rationabiliter praesumpto.

2° Obligatio non reddendi nuptias minus appetibiles.

Inde erues utrum gravis, levis an nullius iniustitiae arguas sponsam vel sponsum qui copulam cum tertia persona habeat.

3° « At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab ea implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem ; datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur » (c. 1017, § 3).

Sponsalia nullum alium effectum *canonicum* habent ; sublatum est enim duplex impedimentum ecclesiasticum, alterum prohibens cum qualibet alia persona, alterum dirimens cum consanguineis sponsi vel sponsae in primo gradu.

Solutis sponsalibus, pignora seu *arrhae* et *munera* magni valoris restitui debent, nisi compensatio debeatur pro iniusta contractus solutione. Ante Codicem, disputabant DD. num poena etiam pro iniusto a sponsalibus recessu statui posset ; sententia negans erat probabilior e iure positivo, sc. c. 29, X, IV, 1 *de sponsalibus* ; post Codicem, etsi remanet ratio a Gregorio IX° allata, sc. libertatem matrimonii esse servandam, affirmari potest probabiliter validitas stipulationis poenae ob iniustum recessum ; cuius poenae exactio etiam coram tribunali ecclesiastico nulla actione gaudet. Nam pleraque iura civilia stipulationem talis poenae prohibent (1).

283. - *De dissolutione sponsalium.*

1. Dissolvuntur *ipso facto* mutuo consensu ; — superveniente impedimento dirimente, quod dispensatione tolli nequeat ; — per dispensationem ipsius R. Pontificis, accedente iusta causa (2). — Vocatio certa ad statum perfectiorem facit contractum rescindibilem ; ingressus in religionem ipsum dissolvit.

2. Alteri parti *ius resiliendi* a sponsalibus praebetur, detecta vel superveniente *notabili* mutatione in obiecto contractus.

In responsis quae paenitentibus vel consulentibus dantur, animadverte : *a*) notabilem mutationem a personarum indole, genere, condicione multum pendere ; *b*) neque prudenter contra voluntatem partis urgeri celebrationem matrimonii, cuius libertatem postulat ipsa sponsorum felicitas et muniunt leges canonicae et civiles ; *c*) non iustitiae tantum, sed caritati esse consulendum.

Ius resiliendi inest quoque ei quem alter in contrahendo graviter decepit vel timore iniusto coegit.

---

(1) Cf. De Smet, *De sponsalibus*, n. 22. — Cappello, *De matrimonio*, nn. 103. 104.
(2) Cf. *Anal. eccl.*, 1899, p. 406, ss.

284. - « Parochus ne omittat populum prudenter erudire de matrimonii sacramento eiusque impedimentis » (c. **1018**).

Populus in primis docendus est *naturam sacramentalem* contractus matrimonialis, ita ut nullitatem formae mere civilis clare perspiciat; dein eius *usum legitimum*, quo minuatur nefandus abusus, in dies invalescens, onanismi coniugalis; *impedimenta*, quae saepius occurrunt, v. g. affinitatis et consanguinitatis; *condiciones* validi *consensus*, praesertim libertatem.

Prudentia opus erit ne in publicis concionibus castae innocentium aures offendantur, neve in privatis adhortationibus bona fides, quae nec bono communi nec privato iuri noceat, frustra turbetur (1).

Caput I. - De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent

285. - **1.** **Principium.** « Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae et licitae celebrationi obsistere » (c. **1019**, § 1).

Inquirendum praeprimis est num partes sint baptizatae, ab omni impedimento liberae, praesertim ligaminis et consanguinitatis, et rite dispositae. — De quibus parochus apud personas fide dignas vel ex archivo suo certior fieri potest, examine quoque sponsorum et publicationibus matrimonii.

2. « In periculo mortis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo impedimento detineri » (ibid. § 2).

Extra periculum mortis, si probationes sufficientes haberi omnino non possint aut saltem sine gravi incommodo, Ordinarius permittere possit ut affirmatione iurata sponsorum *fide dignorum* defectui probationum suppleatur.

§ 1. DE EXAMINE SPONSORUM

286. - « Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore diligenter investiget num contrahendo matrimonio aliquid obstet » (c. **1020**, § 1).

In Belgio privatim fit investigatio, saltem quando nulla probabilis suspicio de contracto impedimento exsistit.

287. - 1. « Tum sponsum, tum sponsam etiam seorsim et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, praesertim mulier, praestent, et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio

---

(1) Cf. De Smet, A., *Praxis matrimonialis* ad usum parochi et confessarii, altera ed. Brugis, 1920. — Eiusdem : *Le mariage chrétien*, Brugis, 1920.

inutilis appareat. — Ordinarii loci est peculiares normas pro huiusmodi parochi investigatione dare » (c. 1020, §§ 2. 3).

Si sponsos invenerit ignaros doctrinae christianae, « eos sedulo edoceat prima saltem doctrinae christianae elementa ; quod si renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad normam c. 1066. » Resp. *Comm. I. C.*, 3 iun. 1918, IV, 2 (1).

Si sponsus in paroeciam sponsae facile se conferre nequit, parochus sponsae parocho sponsi istius examen committere potest.

2. « Nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio, parochus exigat baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus (c. **1021**, § 1). »

Testimonium baptismi, si quod haberi potest, a parocho baptismi datum, testimonio alius personae supplere non licet. — Iuxta instr. S. C. *de Sacram.* 4 iul. 1921 (2), testimonium baptismi et status liberi per curiam episcopalem petendum et transmittendum est. Ius tamen Ordinariis locorum non eripi censemus providendi de modo quo haec secure simul ac practice perfici possint.

« Caute interrogabit parochus, si quaedam impedimenta quasi docendo, non interrogando proponat ; si personas honestioris condicionis, de iis quae ruborem iniciunt non interroget, praesertim si piae sint ; si examen sponsae vespere non protrahat, etc. » (3).

3. « Catholici qui sacramentum confirmationis nondum receperunt illud antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo (c. 1021, § 2).

Grave incommodum esse potest iter unius diei, dilatio matrimonii cuius primum bannum iam est proclamatum aut ultra tempus quo sponsi itineri nuptiali vacare possunt, necessitas manifestandi coram multis illud sacramentum a persona catholica receptum non esse in regione ubi nullus puer illo privatur, etc. E textu huius canonis quidam, perperam uti videtur, arguunt alio atque instantis matrimonii tempore, sacramentum confirmationis, etiam cum gravi incommodo, recipiendum esse. Codex enim, dum talem obligationem, instante matrimonio adesse negat, eam alio tempore existere non affirmat (4).

§ 2. DE PUBLICATIONIBUS

288. - I. Obligatio.

« Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum » (c. **1022**).

Finis huius legis potissimus est ut facilius impedimenta detegantur ; etiamsi parocho de absentia impedimenti moraliter constet, legi procla-

(1) AAS, X, 1918, 345. — *Per.* IX, 150.
(2) AAS. XIII, 1921, 348. — *Per.* t. X.
(3) Cf. DE SMET, *De sponsalibus,* n. 680, ss.
(4) Cf. *N. R. Th.*, 1922, 54.

mationum quae non cessat, obtemperandum est. Quo casu, omissio duarum proclamationum gravis esse non videtur et ob quamlibet iustam causam dispensatio ab Ordinario concedi possit.

Concilium Lateranense IV (1215) consuetudinem, quae iam in multis locis vigebat, matrimonia proclamandi, legem Ecclesiae universalis fecit (1). Cum tamen modum suae legis non determinasset, haec in desuetudinem abiit et a Conc. Tridentino (S. XXIV, c. 1, de ref. matr.) renovanda fuit atque magis determinanda.

289. - II. Personae *legi obstrictae.*

Publicationes facere debent :

1. *Parochus proprius* semper (c. **1023**, § 1) ;

Parochus proprius est parochus domicilii vel quasi-domicilii paroecialis, et, pro vagis, loci actualis commorationis. (Cf. DE SMET, *De sponsalibus*, n. 48, nota 2.)

Publicationes ergo debent fieri in singulis paroeciis in quibus sponsus et sponsa domicilium vel quasi-domicilium habent. Plura enim domicilia quis habere potest.

Domicilium vel quasi-domicilium *legale* minorennium, qui sint v. g. alumni in Universitate aut famuli, non est praetereundum.

2. Parochi locorum in quibus pars *per sex menses* post adeptam pubertatem commorata sit, immo per brevius tempus « si aliqua sit suspicio de contracto impedimento », modo consultus Ordinarius id exigat. Hic enim potest alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribere (c. 1023, § 2).

Pubertas legalis attingitur a viro 14 annos et a femina 12 annos natis. — Instructio *S. Officii*, 22 aug. 1890, proclamationem requirebat tantum si, « post adeptam aetatem ad matrimonium idoneam », in loco originis commorati essent. Inde non censemus concludendum esse pubertatem in hoc canone aetatem 16 et 14 annorum designare (contra AUGUSTINE, *A Commentary*, V, p. 59). Facile enim legislator verba Instructionis retinere potuit, nec tamen fecit.

Si pars post adeptam pubertatem in dissitis et longissimis locis morata sit, Ordinarius probationes aptas, non excluso iuramento suppletivo, praescribere potest (Resp. *Comm. I. C.*, 3 iun. 1918, IV, 4) (2).

Ad parochum sponsae pertinet alios parochos de proclamationibus faciendis monere. — Ordinarii possunt quaedam adiuncta statuto generali definire, in quibus proclamationes in aliis paroeciis faciendae vel omittendae sint (3), non tamen eundem pro omnibus casibus modum probationis per mandatum generale praescribere (4).

---

(1) Cf. c. 3, X, IV, 3.

(2) AAS, X, 1918, 345, *Per.* IX, 150.

(3) Cf. Conc. Mechlinien., 1920, iuxta quod, si parocho constet « per documenta publica..., per privata testimonia vel documenta fide digna, una cum affirmatione iurata contrahentium, nihil matrimonio obstare ac praesertim nupturientes liberos esse, parochus non tenetur rem Ordinario exponere, nec publicationes in alia paroecia faciendae sunt ». Id cum approbatione S. Sedis permittitur.

(4) Resp. *S. C. de Sacram.* 6 febr. 1920, ad Ord. Moguntin. — Cf. SCHÄFER, *Das Eherecht*, p. 75.

3. Parochus qui matrimonio assistit, ab aliis parochis de exitu factarum publicationum certiorandus est (**c. 1029**).

4. *Per se* prohibentur fieri publicationes pro matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimentis mixtae religionis aut disparitatis cultus. — Quia tamen scandalum aut aversio a religione ex suppressis publicationibus oriri possent, Codex prudenti Ordinarii iudicio rem committit. Si fiunt publicationes, scandalum removendum est, v. g. explicando causam in privatis colloquiis. Dispensatio ab impedimento exspectanda est et omittenda mentio religionis partis non catholicae (**c. 1026**).

290. - III. De tempore et loco.

1. In paroecia domicilii vel quasi-domicilii publicationes *ter* fieri debent, « tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto » (**c. 1024**).

In aliis locis, Ordinarii erit numerum publicationum determinare. E consuetudine possunt fieri in festis suppressis, modo populus frequens sacris officiis assistat.

Sicubi festa de praecepto e iure particulari exsistant, haud improbabiliter asserat quis proclamationes illis diebus fieri posse. Id affirmat SCHÄFER, *Das Eherecht*, p. 59, de fer. IIa Paschatis et Pentecostis in Borussia.

Si parochus *dubium* de impedimento concipiat, proclamationes incipere vel perficere potest et debet ; si impedimentum *certum* ante incoeptas proclamationes noverit, ne procedat antequam illud in foro in quo exsistit removeatur, facto opportuno recursu ad Ordinarium aut ad S. Sedem ; incoeptas vero proclamationes perficere debet, re tamen ad Ordinarium statim delata (**c. 1031**, § 2).

2. Debent proclamari in ecclesia, in missa sollemni quae pro populo cantatur « aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat ».

Licet iam omnibus Ordinariis « publicationibus substituere publicam *ad valvas ecclesiae* paroecialis aliusve ecclesiae affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut hoc spatio duo dies festi de praecepto comprehendantur » (**c. 1025**). — Dies dominicae festis de praecepto c. 1247 annumerantur.

3. Si intra sex menses matrimonium celebratum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur (**c. 1030**, § 2).

291. - IV. Cessatio legis. Lex cessat :

1. *Excusatione*, sc. si servari non possit sine gravi incommodo. — Ut nulla fiat publicatio *gravissima* causa requiritur, quae extra periculum mortis rarissime aderit.

2. *Dispensatione :*

a) ex privilegio non revocato pro personis praenobilibus.

b) concessa legitime ab Ordinario loci vel eius delegato.

Petenda est ab Ordinario proprio, qui dispensat etiam pro alia dioecesi. — Si plures sint Ordinarii proprii, adeundus est Ordinarius loci in quo matrimonium celebratur ; quilibet vero proprius adiri potest, si nuptiae extra proprias dioeceses fiant (c. 1028).

Ordinarii suam dispensandi facultatem permanenter delegare possunt et in magnis dioecesibus mos est ut decanis facultatem delegent dispensandi super una alterave proclamatione. Ad *validitatem* dispensationis, etiam ab Ordinario factae, causa iusta requiritur, quae, iuxta D'ANNIBALE, II, n. 453, gravis esse debet pro duabus, urgentissima pro tribus proclamationibus supprimendis.

Inter causas urgentissimas recenseri possunt periculum incontinentiae in iis qui matrimonium civile iam contraxerunt, infamia quae e praegnantia sequetur, periculum ne nupturientes religionis satis ignari et male dispositi matrimonio civili contenti sint, etc.

292. - V. Impedimentorum manifestatio.

Omnes fideles gravi obligatione naturali et positiva (c. 1027) tenentur revelandi parocho vel loci Ordinario impedimenta, si qua noverint.

Causa est quod reverentia erga sacramentum, caritas erga nupturientes vel saltem alterutram partem, interdum caritas erga tertiam personam obligant ad mala removenda quae prona sint oriri ex matrimonio illicite, et multo magis invalide contrahendo.

Ab hac obligatione excusant :

a) *sigillum* sacramentale ;

b) *secretum*, non naturale aut simpliciter promissum vel commissum, sed commissum ratione officii ; etsi non desunt scriptores qui etiam in hoc casu obligant ad manifestandum impedimentum, si et quatenus gravissimum damnum privatum vel publicum probabiliter oriundum sit ;

c) *detrimentum* proprium vel commune vel tertii, non autem sponsorum, nisi gravissima causa sit, eo gravior quo maiora e celebrato matrimonio mala timenda sunt.

Celebrato matrimonio, etsi invalido, obligatio, quantum e lege ecclesiastica oritur, cessat. Si qua spes affulgeat matrimonium convalidandi aut si scandalum grave avertendum sit, naturalis obligatio revelationis superesse potest.

293. - De officio pastoris et confessarii.

1. Parochus matrimonio ne assistat, nisi postquam omnia documenta receperit atque tres dies ab ultima proclamatione decurrerint, nisi rationabilis causa aliud suaserit (c. 1030, § 1).

2. Parochus, si inquisitione rite peracta, dubium de impedimento superesse prudenter iudicaverit, rem Ordinario proponat, cuius erit decernere quomodo sit procedendum (c. **1031**, § 1).

3. Si alteruter nupturientium neque domicilium neque quasi-domicilium, saltem dioecesanum habeat, parochus, excepto casu necessitatis, eorum matrimonio assistere non potest, quin licentiam ab Ordinario aut a sacerdote ab eo delegato acceperit (c. **1032**).

Nota hic agi de *omnibus* vagis, cum c. 1032 explicite ad c. 91 remittat. Neque contradicit c. 1097, § 1 : in isto enim canone agitur de licentia requisita ut iura parochi proprii non laedantur, hic autem de cautela servanda ne matrimonia cum impedimento occulto contrahantur. Iamvero cum inquisitio de vagorum statu fere semper difficilior sit, Codex vult ut Ordinarius eam sacerdoti huius rei perito committat, cuius erit normas adhibendas parocho proponere. Ita dicimus cum De Smet, *De sponsalibus*, n. 129 contra plures, v. g. Wouters, Schaepman, Vlaming, tacentibus multis.

4. *Parocho* munus incumbit docendi sponsos, pro qualitate personarum, sanctitatem sacramenti et obligationes quae ex eo oriuntur. Eos vehementer exhortabitur ad sacramenta paenitentiae et Eucharistiae recipienda (c. **1033**).

Si peccator *publicus* sacramentum paenitentiae recipere nolit, Ordinarius de causa gravi assistendi matrimonio, quantum fieri potest, consulendus erit (c. 1066).

5. Filiosfamilias minores a nuptiis quibus rationabiliter obstent parentes, arcere conabitur. Etsi suppressum est impedimentum canonicum (ut quidam censebant) rationabilis dissensus parentum, hoc dissensu persistente, parochus vetatur matrimonio minorum assistere inconsulto loci Ordinario (c. **1034**).

6. *Confessarii* munus a theologis exponitur in tract. de Sacramento Paenit. et de VI° mandato.

Caput II. - De impedimentis in genere

294. - In capite II, de impedimentis in genere, cc. 1035-1057, Codex primo de notione, divisione et constitutione impedimentorum agit (cc. 1035-1041), dein de dispensationibus (cc. 1042-1057). Quae de dispensationibus in Codice proponuntur a nobis complenda erunt, ne mutilam de re tanti momenti doctrinam praesertim discipuli recipiant ; at iam monemus ultimam huius capitis partem in scholis post cap. III et IV de impedimentis in specie, immo potius post cap. VI de forma sollemni matrimonii proponendam esse, cum antea a scholaribus vix ac ne vix quidem intellegi possit. Non erat cur Codex, qui ad ius addiscendum scriptus non est, hunc ordinem sequeretur.

Art. I. - De notione impedimentorum

295. - Cum matrimonium inire sit res de se honesta, ad quam omnibus hominibus naturalis propensio insit, « omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur » (c. 1035).

Inde oritur quaestio de impedimentis matrimonii.

296. - Notio et definitio.

Impedimentum potest considerari sensu lato seu morali aut stricto i. e. legali seu iuridico. Quaecumque enim circumstantia nuptias illicitas aut irritas facit, sensu vero, sed lato, impedimentum matrimonii dici potest, v. g. morbus contagiosus alterius partis, defectus opum necessariarum ad familiam condendam vel honeste alendam, gravis ingenii oppositio quae pacem et amorem necessario turbet, etc. Immo non omnes circumstantiae quae contractum matrimonialem, etiam e lege ecclesiastica invalidum aut illicitum faciunt, stricto sensu iuridico impedimenta vocantur, sed eae tantum quae aliquam personarum inhabilitatem inducant. Quare vitia consensus et defectus formae sollemnis inter impedimenta matrimonii in Codice non recensentur. Tandem non omnis defectus aptitudinis ad contrahendum iure divino exsistens, impedimentum sensu canonico vocatur, sed defectus tantum externus qui lege ecclesiastica constituitur vel saltem proponitur. Adde impedimenta relate ad contractum, non autem ad sacramentum qua tale, considerari.

Quare impedimentum matrimonii stricto sensu *definiri* debet : Quidquid externum iure divino in lege ecclesiastica proposito aut iure mere ecclesiastico personas a contractu matrimoniali arcet (1).

297. - Divisio.

1. Impedimenta alia sunt *iuris divini*, ut impotentia vel votum, alia *iuris humani*, ut publica honestas.

2. Alia dicuntur *absoluta*, alia *relativa*, prout contractus cum omni persona vel cum tali tantum excluditur. Ad illa ligamen, ad haec consanguinitas pertinet.

3. Quaedam matrimonia ita lex reprobat ut personas prorsus inhabiles ad contrahendum efficiat aut declaret ; ab aliis matrimoniis gravi tantum prohibitione arcet; inde discrimen inter impedimenta impedientia tantum seu *prohibentia* et *dirimentia*.

« § 1. Impedimentum impediens continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium ; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur ».

---

(1) Cf. GASPARRI, *De matrimonio*, I, n. 255. Nota in ipso Codice vocem « impedimentum » non ubique stricto sensu adhiberi. Cf. v. g. c. 1971. § 1.

« § 2. Impedimentum dirimens et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur » (c 1036).

Cum matrimonium sit contractus stricte bilateralis eademque iuris obligatio ab utraque parte erga alteram suscipiatur, inhabilitas alterius sufficit ut totus contractus vitietur.

Inde : « Quamquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum » (c. 1036, § 3).

Idne valet si impedimentum *civile* liget infidelem qui cum fideli contrahere velit ? Hodie praevalet sententia iuxta quam cessat impedimentum quo pars infidelis ligatur, quia istud matrimonium, iuxta leges Ecclesiae ineundum, duplici potestate suprema regi non potest. Ita olim WERNZ, IV, n. 60 contra D'ANNIBALE, *Summula*, III, 429 ; ita nunc GASPARRI, *o. c.*, (3a ed.), n. 306, mutata priore sententia ; DE SMET, *o. c.*, I, n. 438 contra VLAMING, *o. c.*, n. 195. Quare saltem dubium est illud partis infidelis impedimentum, ubi matrimonium cum fideli initur, ideoque practice nullum.

4. Pro gradu vel modo quo cognoscuntur, impedimenta distinguuntur in *publica* et *occulta*.

« Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest ; secus est occultum » (c. 1037).

Haec verba : publicum et occultum, aliter in aliis materiis accipiuntur (Cf. c. 1037 cum c. 2197).

Doctores distinguunt impedimenta *natura* aut *facto* publica vel occulta ; quam distinctionem Codex non ignorat (Cf. c. 1971, § 1, n. 2).

Publicum natura est impedimentum quod ex facto *de se* publico oritur, ut est consanguinitas ; *occultum natura*, illud quod ex facto probroso, ideoque communiter occulto, oritur, v. g. coniugicidio, (ante Codicem) affinitate ex copula illicita.

Facto occultum dicebatur *ante Codicem* impedimentum quod in oppido non plus quam sex personis, in civitate octo personis notum est, si divulgationis periculum probabile absit (GASPARRI, *l. c.*, 1, 252). Numeris tamen istis formalis occulti impedimenti ratio non indicabatur, quae in difficultate vel impossibilitate divulgationis consistit.

Codex autem solas condiciones *per se* ad probationes requisitas respicit, ut ex fonte huius canonis patet (1), non autem adiuncta quae probationem forte *hic et nunc* impossibilem reddunt.

Distinctio olim facta inter impedimentum *omnino occultum*, i. e. soli confessario et nupturientibus notum et *simpliciter occultum*, i. e. paucis discretisque personis notum videtur quoque attendenda in dispensationibus a S. Paenitentiaria petendis (Cf. infra, n. 315), eo vel magis quod Bulla *Servatoris*, 25 dec. 1925, concessit facultatem dispensandi ubi impedimentum erat « *prorsus* occultum ».

Publicum ergo censetur impedimentum, etiamsi facto occultum est, quod ex facto de se publico oritur aut de quo per duos testes fide dignos vel ex documento authentico constat. Impedimentum igitur natura sua publicum, facto tamen occultum, publicum habetur.

Nihil autem prohibet quin impedimentum olim facto publicum,

(1) *S. C. C. Mohiloven.* seu *Tiraspolen.*, 9 iul.-10 sept. 1881.

tempore elapso iam occultum factum sit. Si causa impedimenti cognita est, impedimentum, etiamsi formaliter, i. e. qua tale, ignoretur, probabilius tamen publicum censetur (1).

Casus occultus idem non est quam *impedimentum* occultum ; quare ubi impedimentum natura publicum facto occultum est, casus occultus dici potest. Haec distinctio, quae relate ad c. 1045 magni momenti est, iam ex resp. *CIC.*, 28 dec. 1927, ad III (2) omnino admittenda est.

5. Impedimenta dirimentia alia sunt *gradus maioris,* alia *gradus minoris,* pro maiore minorive difficultate qua dispensatio conceditur (cf. c. 1042. Infra, n. 317).

6. Impedimentum potest esse *dubium* iure vel facto.

Quando agitur de impedimentis iuris mere ecclesiastici, si *dubium iuris,* positivum est et probabile, lex non urget ; si dubium est *facti,* Ordinarius loci potest dispensare (c. 15).

Si impedimentum est iuris divini :

a) in dubio positivo et probabili iuris, lex non urget. Lex enim vere dubia non obligat. Exemplo sit impedimentum impotentiae, quod ab aliis aliter proponitur.

b) si dubium est *facti,* validitas a sola rei veritate pendet. De liceitate specialiter erit dicendum ubi de impedimentis impotentiae, ligaminis et consanguinitatis.

Art. II. - De impedimentorum institutione, abrogatione, etc.

298. - 1. Supposito iure Dei impedimenta statuendi, in cc. 1038-1041 asseritur potestas qua gaudet suprema auctoritas ecclesiastica authentice declarandi ius divinum, atque instituendi et tollendi impedimenta iuris ecclesiastici pro fidelibus. Ordinariis conceditur quaedam potestas in casibus particularibus. De consuetudine cf. n. 300, 2.

2. « **Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat** » (**c. 1038**, § 1).

Hoc ius dogmatice contra Protestantes in Trid. S. XXIV, c. 3 asseritur, practice exercetur in definiendis impedimentis impotentiae (c. 1068) et mixtae religionis (c. 1060), consanguinitatis, etc. et cohaeret cum magisterii potestate a Christo suae Ecclesiae commissa.

« **Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis** » (c. 1038, § 2).

(1) De Smet, *De sponsalibus*, n. 465. — Gasparri, *l. c.* I, 260, 5. 167.

(2) Cf. *AAS*, XX, 1928, 61. — *NRTh.* 1928, 288. — *Per.* XVII, 37. Illam distinctionem non admittebant praesertim Oietti, in *Ius pont.* 1926, 56 et Vidal, *Ius matrim.* n. 428, nota 94.

Ecclesiam posse pro fidelibus impedimenta etiam dirimentia constituere est dogma definitum (Trid. S. XXIV, can. 3, 4) ; eidem esse ius illud proprium et exclusivum hodie doctrina est catholica (1).

Ecclesia, statuendo impedimenta dirimentia, *directe* elementa contractus attingit, indirecte condiciones sacramenti, cum istud a contractu non sit realiter distinctum.

Textus loquitur de « baptizatis » sine distinctione. Sententia communissima est *acatholicos* quoque ligari impedimentis, nisi positive eximantur, ut fit c. 1099, § 2 (2). *Orientales* autem, non iisdem ac Latini impedimentis tenentur, nisi contrarium pateat vel ex natura rei vel explicita mentione. — *Dubie baptizati*, si de matrimonio *contrahendo* agitur et baptismi receptio saltem probabilis sit, in foro externo, ex praxi SS. CC. praesumuntur legi subditi (Cf. *Epitome*, I, 79). — *Infideles* qui cum fideli contrahere velint, indirecte ligantur, vi principii supra citati de natura stricte bilaterali contractus (cf. c. 1036, § 3).

3. De iure supremae auctoritatis civilis quod ad infideles, tacet Codex, Canonistae disputant. Nobis probabilior est sententia eorum qui civilis potestatis ius asserunt pro matrimoniis inter infideles non confirmandi tantum impedimenta iuris naturalis sed alia quoque rationabilia, etiam dirimentia, statuendi. Cf. WERNZ, *l. c.* n. 75, ss. — DE SMET, *De sponsalibus*, n. 133, ss.

299. - *De potestate Ordinariorum et parochorum.*

1. Ordinarii nullum impedimentum matrimonii constituere possunt. Ordinariis locorum tamen ius est vetandi matrimonium in *singulis casibus*, sed *ad tempus* tantum. Requiritur causa iusta prohibitionis quae, causa cessante, non perdurat.

Hac potestate Ordinarius gaudet : 1° erga suos subditos, ubicumque sint ; 2° erga omnes qui actu in suo territorio commorantur, sive sint dioecesani sive peregrini vel vagi (c. 1039, § 1).

Causa iusta esse poterit dissensus rationabilis parentum, notitia non satis certa mortis prioris coniugis, timor gravium discordiarum, etc. Hoc canone non vetatur prohibitio fieri ad *definitum* tempus, saltem ad quod Ordinarius censet iustam causam protrahi.

Ordinarius in solis casibus particularibus directe exigere potest ut sine praevia sua licentia ad matrimonium celebrandum non procedatur.

2. Parocho nulla iam potestas vetandi matrimonium competit, quam ipsi olim multi auctores vindicabant.

Vetare matrimonium donec Ordinarius consultus rem dirimat est tantum ius urgere et quantum necesse est declarare.

(1) Cf. LEO XIII, C. *Arcanum illud*, 10 febr. 1880. — DENZINGER, nn. 1559. 1768. 1769.
(2) Cf. *Epitome*, I, n, 78.

3. « Vetito clausulam irritantem una Sedes Apostolica addere potest » (c. 1039, § 2).

Indirecte episcopus impedire potest quominus matrimonium valide contrahatur. Si enim parochi assistentiam suam et delegationem legitime ac spontanee recusant, cum impossibilitas formae adhibendae ab ipso Superiore legitime procedat, etiamsi haec adiuncta ultra mensem duratura praevideantur, sponsi coram solis testibus valide contrahere non poterunt. Quod confirmat resp. *CIC.*,10 mars 1928 (1).

300. - *De impedimentis auferendis.*

1. « Praeter Romanum Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici, sive impedientia sive dirimentia, abrogare aut illis derogare ; item nec in iisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit » (c. 1040).

Abrogat qui legem totam tollit ; *derogat* vero qui, parte alia sublata, aliam confirmat. Ita Codex impedimenta quaedam superioris iuris abrogavit, v. g. impedimenta ecclesiastica ex sponsalibus ; quibusdam derogavit, ut sunt impedimentum consanguinitatis (in quarto gradu), cognationis spiritualis, etc.

Iure communi dispensant, praeter S. Sedem, Ordinarii et alii sacerdotes in casibus urgentibus (c. 1043, ss.) ; indulto speciali, v. g. omnes Ordinarii, vi specialium facultatum, et in casibus particularibus, confessarii quibus haec facultas in foro interno conceditur.

2. « Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis exsistentibus contraria reprobatur » (c. 1041).

Quaedam impedimenta nunc vi Codicis vigentia, v. g. impedimentum disparitatis cultus ex consuetudine orta sunt et canonistae satis communiter sentiebant impedimenta induci vel abrogari posse consuetudine saltem immemoriali. Ultimis tamen temporibus, ob frequentem ad S. Sedem recursum, id vix fieri poterat. Cum ratio reprobandi huiusmodi consuetudinem sit uniformitas in universali Ecclesia servanda eaque summi sit in hac materia momenti, consuetudo contraria fieri rationabilis vix posse videtur.

Consuetudo qua certis in locis, v. g. in Belgio, *tempore vetito* ipsa matrimonii celebratio vetabatur, non huic canoni, sed canoni 1108, § 1 contraria erat (Cf. infra, n. 412).

3. *De cessatione impedimenti.* Impedimenta alia cessant *ab intrinseco,* ex. g. solo temporis lapsu (aetas), aut novo facto v. g. morte coniugis (ligamen) ; alia *ab extrinseco,* v. g. mutatione legis (affinitas) aut dispensatione.

Potestne impedimentum dirimens iuris saltem mere ecclesiastici sine dispensatione secus necessaria in quibusdam adiunctis *ex epikeia* cessare ?

Affirmant nonnulli scriptores (2), si matrimonium necessarium sit ad gravissima mala, praesertim spiritualia, vitanda et possibilitas petendi dispensationem saltem diutissime exclusa sit. Praevisam

(1) *AAS.*, XX, 1928, 120. — *NRTh.*, 1928, 457. — *Per.*, XVII, 75.
(2) S. ALPHONSUS, VI, n. 613. — BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol.*, I., n. 321.

sacerdotis competentis absentiam per mensem nullo modo sufficere cum CAPPELLO, *De matrimonio*, n 695, omnino censemus.

Art. III. - De dispensationibus matrimonialibus

§ 1. - DE NOTIONE DISPENSATIONIS

301. - Dispensatio matrimonialis definitur actus legitimus Superioris quo relaxatur in casu *speciali* obligatio legis matrimonium cum vel sine nullitate contractus prohibentis.

302. - Divisiones.

Distinguuntur dispensationes concessae :

1° Ad matrimonium *contrahendum* aut *convalidandum*.

De convalidatione matrimonii, cf. infra, n. 446.

2° In *foro externo*, ubi tollendum est impedimentum saltem *facto* publicum ; aut in foro *interno*, si impedimentum est saltem facto occultum (cf. supra, n. 297, 4).

3° In *forma gratiosa*, si directe a Superiore dispensante oratoribus conceditur ; aut in forma *commissoria*, sc. per interiectum exsecutorem, sive is constituatur exsecutor *necessarius*, cui nempe potestatis usus imponitur, sive sit exsecutor *voluntarius*, cui propria potestas conceditur dispensandi ; in utroque tamen casu, postquam de veritate precum indagaverit. cf. c. 54.

In priore casu exsecutor *debet* mandatum exsequi, nisi partes gratia prorsus indignae videantur, quo casu ad S. Sedem est recurrendum (Cf. c. 54. — *Epitome*, I, n. 125, ss.).

4° Super impedimento *gradus maioris* vel *minoris*.

Impedimenta gradus minoris vocantur ea super quibus facilius dispensatio conceditur, quae semel a Superiore concessa simpliciter valet, quocumque vitio *preces* inficiantur (cf. c. 1054).

« Impedimenta gradus minoris sunt :

« 1° Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis ; (cf. n. 352).

« 2° Affinitas in secundo gradu lineae collateralis ; (cf. n. 357).

« 3° Publica honestas in secundo gradu ; (cf. n. 361).

« 4° Cognatio spiritualis ; (cf. n. 363).

« 5° Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum ; (cf. n. 351).

« Impedimenta maioris gradus alia sunt omnia » (c. 1042).

§ 2. - DE AUCTORE DISPENSATIONIS

303. - 1. Dispensatio, cum sit legis relaxatio, a solo legislatore vel eius auctoritate concedi potest.

Quare ab impedimentis iuris divini *absoluti* nemo dispensare potest. Si impedimentum oritur tantum ex obligatione libere suscepta, quae iure divino positivo non prorsus insolubilis sit, impedimentum ab eo tolli potest qui potestatem a Deo accepit talem obligationem relaxandi. Ita R. Pontifex *indirecte* dispensat super impedimento voti et ligaminis (in matrimonio non simul rato et consummato), tollendo obligationem quae matrimonio obstabat.

Ad R. Pontificem pertinet *declaratio iuris divini* dubii; qua potestate RR. Pontifices usi sunt in declarandis v. g. impedimento dubiae impotentiae et finibus privilegii Paulini.

2. « Praeter R. Pontificem, nemo potest... in (impedimentis iuris ecclesiastici) dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit » (**c. 1040**).

I. DE POTESTATE R. PONTIFICIS

304. - R. Pontifex valide et, si adest iusta causa, licite dispensat super omnibus impedimentis iuris mere ecclesiastici.

Hanc potestatem exercet fere semper per SS. Congregationes.

1. *S. Officium* elargitur omnibus Ecclesiae fidelibus dispensationes super impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, quia fidem proxime respiciunt.

2. S. Congr. *de Religiosis* concedit religiosis dispensationem super impedimento ex professione religiosa orto.

3. S. Congregatio *de Sacramentis* competens est pro omnibus aliis dispensationibus *in foro externo* concedendis, si agitur de fidelibus ritus latini.

4. *S. Paenitentiaria* adeunda est quotiens agitur de dispensatione *fori interni*, sive sacramentalis sive non sacramentalis.

Impedimentum ad forum internum pertinet quod natura et facto occultum est (cf. n. 297, 4). Censent quidam competentiam S. Paenitentiariae novo iure non esse mutatam quod ad quaedam impedimenta de facto non omnino occulta aut quae, publica dum sunt natura, facto tamen omnino vel simpliciter occulta sunt. Quare, salva contraria declaratione S. Sedis, S. Paenitentiaria adiri potest: a) si agitur de matrimonio *contrahendo*, ubi impedimentum voti, criminis et consanguinitatis ex copula illicita paucis omninoque discretis personis cognoscitur (quod in petitione erit declarandum); b) si agitur de matrimonio *contracto*, pro occulta cognatione spirituali, pro consanguinitate etiam in secundo gradu « si saltem per decennium

duraverit occultum et oratores simul publice contraxerint et convixerint et uti coniuges legitimi habiti fuerint » (1).

Immo quotiens *casus* est occultus nec periculum divulgationis timendum videtur, poterit recursus fieri ad S. Paenitentiariam. Haec videbit quid opportunum sit.

5. *Ordinarii* et *missionarii* territorii missionum amplas facultates pro foro externo necessarias per *S. Congr. de P. F.* obtinent ; si in casu speciali facultate indigent, ad eandem Congr. recurrunt, quae eas per se aut per aliam Congregationem tribuit (cf. c. 252, § 4).

6. S. Congr. *pro Ecclesia Orientali* dispensat personas sibi subditas. Haec est quoque adeunda, si alterutra pars ad ritum orientalem pertinet.

II. DE POTESTATE ORDINARIORUM LOCORUM

305. - Quod ad naturam et usum potestatis Ordinariorum locorum, varii casus distingui possunt, sc. modo generali casus urgentes et non urgentes seu adiuncta extraordinaria et ordinaria.

Valet enim quoque pro matrimonio c. 81, vi cuius Ordinarii a lege ecclesiastica dispensare possunt, « si difficilis sit recursus ad S. Sedem *et* simul in mora sit periculum gravis damni *et* de dispensatione agatur quae a S. Sede concedi solet ». Sed Codex cc. 1043-1045 tribus casibus urgentibus providet, in quibus amplior potestas valde utilis atque bono animarum fere necessaria conceditur. Sunt autem periculum mortis, sive agatur de matrimonio ineundo sive de convalidando, casus matrimonii iam omnino parati neque sine gravi damno differendi, casus matrimonii sine mora convalidandi.

De c. 81 consulatur *Epitome*, I, n. 160. De triplici casu urgente speciali agemus sub nn. 306-309.

306. - I. In mortis periculo. « Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus » (c. 1043).

1. Condiciones ad dispensandum sunt :

a) *Mortis periculum*, sive certum sive serio probabile, alterutri e partibus, etiam ex alia atque morbi causa imminens. Vox « urgente » verum vitae discrimen, non mortis articulum significat.

(1) BENEDICTUS XIV, C. *Pastor bonus*, 13 april. 1744, §§ 39-46. — CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 227. — DE SMET, *De sponsalibus*, n. 466.

De hac interpretatione tum e documentis, tum e communi sententia constat (1). Quare servatis aliis condicionibus, dispensari possit ex. g. cum subdiacono cuius concubina gravem operationem passura est; cum consanguinea viri capite damnati aut mox ad primam aciem, tempore belli, profecturi, etc.

b) *Necessitas* consulendi conscientiae *aut* legitimandi prolem.

Altera e condicionibus sufficit, iuxta communem anterioris iuris interpretationem. Prior condicio adest ubi periculum est incontinentiae, condicio honesta compartis est in tuto ponenda, graves lites componendae, etc.

Ex matrimonio sic contracto : α) filius iam conceptus, nondum natus, *legitimus* nascetur, etiamsi conceptio sacrilega fuerit, quia pater erat in sacris ordinibus vel alteruter parentum sollemnem professionem emiserat (cf. c. 1116) — β) Per dispensationem ab impedimento prospici potest legitimationi prolis iam natae, nisi sit adulterina vel sacrilega. Etiam in isto casu, sunt qui dispensationem impedimenti concedi posse censeant, si ob celebratum matrimonium S. Sedes videatur facilius concessura indultum legitimationis. Agitur enim de maximo prolis bono. Notandum est tamen S. Sedem legitimationem talium puerorum non passim concedere (2).

c) Praestandae sunt consuetae *cautiones* in dispensatione super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus. — In hoc casu de educanda catholice prole suscepta vel suscipienda praesertim agetur.

Praestatio cautionum tamquam condicio *validae* dispensationis in casibus ordinariis procul dubio requiritur. — In periculo quoque mortis eadem severitate eas requiri plures censent, tum quia saltem ad contrahendum matrimonium S. Sedes, non praestitis cautionibus, non dispensat, tum quia observatio huius legis in c. **1043** expresse exigitur (3). Non negaverim tamen probabilitatem sententiae oppositae (4), quae condicionibus iuris divini contenta est, quia necessitas cautelarum in c. 1043 verbis *nisi, dummodo,* etc. non exprimitur et cautelae non absolute exiguntur in facultate sanandi in radice matrimonia, quam S. O. Ordinariis concedit, atque responsa quaedam S. Sedis in hunc sensum afferri possunt.

d) Debet omne *scandalum* removeri; quod interdum fieri non poterit, nisi concessa a sponsis licentia initum matrimonium divulgandi.

307. - *De natura et ambitu concessae potestatis.*

1. Potestas est *ordinaria,* utpote iure annexa officio.

2. Competit omnibus *locorum Ordinariis,* i. e. episcopis residentialibus, Abbatibus et Praelatis nullius, Vicariis et Praefectis apostolicis, Vicariis generalibus et Capitularibus.

3. Quod ad *proprios subditos* ex domicilio et quasi domicilio, *perso-*

(1) Cf. v. g. Resp. *S. Officii,* 1 iul. 1891. *Coll. P. F.,* II, n. 1476.
(2) CAPPELLO, *De matrimonio,* n. 232, d. — DE SMET, *De sponsalibus,* II, n. 849, 2.
(3) Cf. DE SMET, *De sponsalibus,* n. 762, — CHELODI, *o. c.,* n. 41.
(4) CAPPELLO, *De matrimonio,* n. 232, f. — MULDER, *N. K. St.,* 1917, 51, ss. — VERMEERSCH, *Theol. Mor.,* III, n. 759.

nalis est et ubique exerceri potest. Extenditur quoque ad omnes qui in territorio *actu degunt*, etiamsi Ordinarius ipse extra territorium sit.

Mensili commoratione Ordinarius subditi *proprius* non fit, nisi ad solam matrimonii *celebrationem*. Cf. De Smet, *o. c.*, n. 773, nota 3.

4. Dispensatio concedi potest super forma servanda, i. e. super *assistentia* sacerdotis competentis aut duorum testium aut, quod vix accidet, utrorumque (Cf. infra, n. 391) ; super omnibus impedimentis *iuris ecclesiastici*, duobus tantum exclusis sc. sacro presbyteratus ordine et affinitate in linea recta, *consummato matrimonio* (Cf. infra n. 357).

Observandus quoque c. 1076, § 3. « Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis ».

5. Ordinarius dispensare potest, etiamsi recursus ad S. Sedem possibilis sit.

308. - II. De casu « perplexo ».

Casum perplexum vocabant ante Codicem scriptores casum matrimonii proxime vel statim celebrandi aut convalidandi, cum facultates deerant ad dispensandum super impedimento praesertim dirimente. Potestate in c. 1015 facta pleraeque difficultates evanescunt, ita ut casui stricte perplexo iam fere nullus futurus sit locus.

1. « § 1. Possunt Ordinarii locorum sub clausulis in fine c. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in citato c. 1043, quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differi possit usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur ».

« § 2. Haec facultas valeat quoque pro convalidatione matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem » (c. 1045).

2. In utroque casu requiritur probabile periculum gravis damni, v. g. scandali, infamiae gravis, matrimonii civiliter tantum celebrandi, immo etiam damni mere materialis etc., si dispensatio differatur usque ad responsum S. Sedis. — Si autem agitur de contrahendo matrimonio, non quaevis urgentia sufficit sed quae exsistit « cum omnia sunt parata ad nuptias ». Verba « cum omnia sunt parata ad nuptias » stricto sensu de materiali quasi apparatu nuptiarum intellegenda non sunt. Tum contextus « nec matrimonium, etc. », tum finis legis clare indicant, modo celebratio matrimonii iam quasi decreta sit, rationem habendam esse praesertim de gravi difficultate differendi matrimonii per tempus necessarium ut Ordinarius Romam recurrat. Quare haec condicio « cum omnia parata sunt ad nuptias » etiam de

publicatione unius banni, de civili diei annotatione, de invitatis testibus, etc. intellegi potest (1).

Porro usui facultatum non nocet cognitio impedimenti antea a partibus habita, modo nunc tantum ab Ordinario vel a parocho detegatur (2) ; nec nocet celatum mala fide impedimentum, etsi Ordinarius aliusve dispensationem propterea recusare possit.

Recursus de quo in canone est ille qui via ordinaria, i. e. litteris instituitur. Nemo *personaliter* ad S. Sedem recurrere tenetur, usus autem viae telegraphicae aut telephonicae e repetitis S. Sedis responsis tamquam extraordinarius aut saltem minime praescriptus habendus est (3).

309. - Extenditur potestas dispensandi ad *omnia impedimenta*, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate in primo gradu lineae rectae, consummato matrimonio.

Super *forma* autem dispensandi facultatem hic non concedi censemus. Etenim forma celebrationis in Codice fere semper ab impedimentis clare secernitur et paulo supra, in c. 1043 explicite addita est et in hoc c. 1045 vox « impedimentum » bis usurpata eundem sensum habere debet (4). Probabilitas sententiae oppositae quam fuse tuetur Arendt, *Per.*, XVI, 1, ss., et admittunt De Smet, n. 764 et Vermeersch, *Theol. mor.*, III, n. 759, 2, c. crevisse videtur e resp. *CIC.*, 12 mart. 1928, ad V (*Per.* XVIII, 172).

310. - III. **In adiunctis ordinariis.**

1. Ordinarii locorum potestate *ordinaria* dispensant :

a) ab impedimentis dubiis dubio facti, dummodo agatur de impedimentis in quibus S. Sedes dispensare solet (c. 15) ;

Ita validitas matrimonii semper in tuto ponitur.

Iamvero S. Sedes *numquam*, sive absolute, sive moraliter dispensat super consanguinitate in linea collaterali in primo gradu, super impedimento ordinis episcopatus vel presbyteratus, super publico coniugicidii crimine ; rarissime dispensat in primo gradu affinitatis lineae rectae, consummato matrimonio, raro autem in ordine diaconatus vel subdiaconatus, in affinitate lineae rectae, etiam non consummato matrimonio. Idem dici nequit, ut videtur, de professione sollemni, immo nec de aetate (5).

---

(1) Ita iam Gennari, interpretans quinquennales Ordinariorum facultates (Cons. morali, 71, n. 7, d) Ita nunc, v. g. Cappello, n. 233. *Monit. eccl.* 1925, 297.

(2) Resp. *Comm. I. C.*, 1 mart. 1921. — AAS, XIII, 1921, 178.

(3) Cf. Resp. *Comm. I. C.*, 12 nov. 1922, ad V. — AAS, XIV, 1922, 662. — *Per.*, XI, 183.

(4) Cf. De Smet, *De sponsalibus*, n. 764 : Quod *forma* inter *impedimenta* in indice alphabetico Codicis semel allegatur, nihil probat. Nullam enim auctoritatem publicam iste index habet, neque eius auctori quisquam exprobrare poterit quod interdum verba sumpserit sensu latiori, quem passim ante Codicem boni commentatores adhibebant. Melius argumentum sumitur e can. 1138, § 1 et 1971, § 1.

(5) Cf. Vermeersch, *Theol. mor.*, III, n. 755. Paulo aliter De Smet, n. 714.

b) ab impedimento voti, excepto voto perpetuae ac perfectae castitatis vel ingrediendi religionem votorum sollemnium, absolute post aetatem 18 annorum emisso (cc. 1309. 1313, 1°); indirecte a voto in religione iuris dioecesani emisso, sc. concessione saecularizationis (cf. c. 638).

2. Potestate *delegata* dispensant iuxta facultates in variis formulis *S. Officii*, S. Congr. *de Sacramentis*, S. C. *de Prop. Fide S. Paenitentiariae* concessas.

Nova formula facultatum a S. C. *de Sacramentis* concessarum (una cum aliis formulis) et facultates S.C. *de Prop. Fide* inveniuntur in Appendice II prioris tomi, sub nn. 814, ss. Commentarii illarum facultatum dati sunt a De Smet., *N.R.Th.*, 1923, 124, ss. ; A. Vermeersch, *Per.*, XI (22)-(144) ; Vromant, *Facultates apostolicae*, etc. 1926.

S. Congregationi *de Sacramentis* eae taxae, quantum fieri potest, solvendae erunt quas, si ipsa dispensationem concessisset, exegisset.

Ex declaratione S. Congr. *Consistorialis*, d. 7 mart. 1921 (1), qua abrogatur decr. 4 mart. 1919 (2) et prorogatur decr. 25 apr. et 2 aug. 1918 (3), concedebatur ut locorum Ordinarii in America, in insulis Philippinis, in Indiis orientalibus, in Africa extra Mediterranei oras et in Russia, donec definitiva norma super facultatibus conficeretur et notificaretur, dispensare valerent ab impedimentis dirimentibus minoribus et maioribus matrimonii, iuris tamen ecclesiastici (excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate in linea recta, consummato matrimonio) et ab impedimento impediente mixtae religionis. Poterant quoque sanare matrimonia nulliter contracta ex illis impedimentis.

Iisdem facultatibus uti poterant Ordinarii Galliae, regni uniti Magnae Britanniae et Hiberniae, Germaniae, Austriae-Hungariae et Poloniae. Istis tamen usus facultatum hac condicione restringebatur, si difficile vel impossibile praevideretur per mensem S. Sedem adire eiusque dispensationem recipere.

Illae omnes extraordinariae facultates, confectis novis formulis, valere desierunt.

Potestate ordinaria (cc. 1043. 1045) Ordinarii erga subditos ubique commorantes et erga eos qui actu in dioecesi commorantur uti possunt. Satis est ut alter nupturientium hanc condicionem impleat ; solent tamen recurrere ad Ordinarium sponsae, immo alterius quoque Ordinarium monere.

De personis erga quas Ordinarii facultatibus delegatis uti possunt, indultum consulendum est. S. C. *de Sacramentis* permittit usum erga subditos ubique commorantes et erga omnes actu in territorio Ordinarii degentes (Cf. Appendicem).

III. DE POTESTATE PAROCHI ET SACERDOTIS ASSISTENTIS

311. - I. In mortis periculo.

1. Parochus et sacerdos assistens pollent eadem dispensandi potestate atque ipse Ordinarius, sed pro casibus tantum in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri potest (**c. 1044**).

(1) AAS, XIII, 1921, 134. — *Per.* X, 289.
(2) AAS XI, 1919, 120. — *Per.* X, 51.
(3) AAS, X, 1918, 190. 363. — *Per.* IX, 116 et 121.

Haec potestas est in parocho *ordinaria*, utpote officio stricte dicto ipso iure annexa. Delegari ergo potest etiam modo universali. — Valet pro foro interno et externo. — Exerceri potest erga paroecianos ubicumque sint vel ipsi vel parochus ; erga non paroecianos, si actu in territorio paroeciae degunt.

Adiri non posse censetur Ordinarius, si usu tantum telephonii vel telegraphi attingi potest (*Comm. I. C.*, 14 iul. 1922. AAS, XIV, 1922, 662). — De vi horum verborum cf. infra n. 405.

De *condicionibus* usus facultatum, cf. supra n. 306.

2. Eadem potestas conceditur sacerdoti qui, absente aut impedito parocho vel eius delegato, assistit matrimonio eius qui est in urgente mortis periculo, ad normam c. 1098, 2°. Cf. infra n. 406. Haec potestas est a iure delegata, nulli sc. officio annexa. De eius delegatione quaestio non est movenda, cum concedatur omni sacerdoti qui in dictis adiunctis matrimonio assistit.

Quid de sacerdote, v. g. de vicario cooperatore, legitime delegato ad assistendum matrimonio ? Silentio Codicis omnis dispensandi potestas ei negari videtur, nisi ipsi facultas fuerit a parocho delegata. Est qui censeat c. 200, § 1 applicari posse, ita ut potestas dispensandi in delegatione potestatis assistendi concessa sit, qua Vicarius secus uti non posset. Cf. De Smet, *o. c.*, n. 795.

II. In casu perplexo.

Parochus dispensare potest ab iisdem impedimentis atque Ordinarius « sed solum pro casibus occultis, in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel non nisi cum periculo violationis secreti » (**c. 1045**, § 3).

Casus occulti sunt in quibus *impedimentum*, qualicumque *natura* sit, saltem *de facto* occultum est et nunc primum parocho manifestatur. Haec sententia, cuius solidam probabilitatem in praecedenti editione tuebamur, iam certa est e resp. *CIC.*, 28 dec. 1927 (1).

Secretum latius patet quam sigillum sacramentale. Satis est igitur ut impedimentum occultum manere possit idque partes ob rationabilem causam exoptent. — Potestas est *ordinaria.*

Eadem facultas conceditur quoque sacerdoti etiam non delegato qui matrimonio assistit quando matrimonium contrahi potest coram solis duobus testibus.

In utroque casu parochus vel sacerdos assistens de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciet ; eaque annotetur in libro matrimoniorum.

Si casus fuerit occultus, sed impedimentum natura publicum, nihil prohibet quin in secreto archivo documentum concessae dispensationis conservetur (Cf. c. 1047, infra, n. 357). Immo id omnino suadendum est.

IV. de potestate confessarii

312. - 1. In mortis periculo, potest confessarius a forma sollemni

(1) *AAS.*, XX, 1928. 61. — *NRTh.*, 1928, 288. — *Per.*, XVII, 42. Cf. De Smet, *De sponsalibus*, n. 793.

et ab omnibus impedimentis iuris mere ecclesiastici dispensare, ut supra, sed pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum, (c. 1044).

2. In casibus perplexis et occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri potest, confessarius eadem facultate gaudet ac parochus. An in actu tantum sacramentalis confessionis ? Id in textu non dicitur. Sed ex qualitate sacerdotis forte erui potest et quia mirum sit confessarium in casu perplexo facultate maiori quam in mortis periculo gaudere (c. 1045, § 3).

3. Contra atque prima editione censebamus, probabilius nobis est confessarium super impedimento natura sua publico, etiam si de facto occultum sit, dispensare non posse, etsi *casus* occultus dici potest.

Movemur praesertim his argumentis :

1° Dispensatio super impedimento natura publico non pertinet ad forum internum *sacramentale*, ad quod restringitur potestas confessarii ;

2° Dispensatio pro foro interno in actu tantum sacramentalis confessionis data creare possit contradictionem omnino vitandam inter utrumque forum, cum nupturientes validitatem matrimonii postea in foro externo aggredi possent (1) ;

3° Talis potestas non est etiam ad consulendum conscientiae nupturientium necessaria. Si enim rite sunt dispositi vel saltem pars quae confessarium adit, fere numquam incommodum grave erit in revelando impedimento. Tunc aut ipse confessarius qui statim ipse matrimonio assistet, in foro externo dispensare poterit, aut res ad parochum deferri poterit.

Pro auctoritate tamen eorum qui confessario ampliorem potestatem concedunt et quia ipse Codex de « occultis *casibus* », non de *impedimentis* occultis loquitur, probabilitatem sententiae oppositae omnino admittimus (2).

V. DE FACULTATIBUS LEGATORUM S SEDIS ET ALIORUM PRAELATORUM

313. - 1. Legati S. Sedis possunt e facultatibus quas pro locis suae missionis a S. Sede obtinent :

1° Dispensare ab impedimentis *impedientibus* (Facult. 29).

Praecipitur observatio « ad unguem » regularum quae in Codice, praesertim pro matrimoniis mixtis, ponuntur.

2° Dispensare *pro certo numero* e gravi causa super omnibus impedimentis *dirimentibus* iuris mere ecclesiastici, exceptis sacro presbyteratus ordine, affinitate in linea recta consummato matrimonio et sollemni professione religiosa (Facult. 30).

Speciales cautiones praescribuntur ubi de matrimonio cum Iudaeo aut cum Mahumedano agitur.

(1) Cf. HILLING, *Arch. f. KKR.*, 1925, 101, ss.

(2) Cf. ARENDT, *N. R. Th.*, 1920, 261. — *Ius Pontif.*, 1926, 145. — CHELODI, *Ius matrimoniale*, n. 44. — VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III, n, 759, d. Negant potestatem CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 238. — OIETTI, *Ius Pont.* 1926 p. 56, ss. — DE SMET, *De sponsalibus*, n. 794.

2. Ordinarii missionum obtinent a S. C. P. F. ampliorem minoremve dispensandi super impedimentis matrimonialibus facultatem pro locorum distantia et necessitatibus. Cf. *Formulas facultatum*, t. I, n. 814 ; commentarios P. Vermeersch, *Per.*, XIII, (33), ss. ; A. Iglesias, O. F. M., *Brevis commentarius*, etc. Vromant, *Facultates apostolicae*, etc.

§ 3. DE USU POTESTATIS

314. - 1. Pendente recursu ad S. Sedem, Ordinarii locorum suis facultatibus sive ordinariis sive delegatis non utantur, « nisi ex gravi et urgente causa » ; et hoc casu statim S. Sedem moneant (cc. **1048**.204).

2. **De multiplici impedimento.**

Potestas dispensandi ab uno vel pluribus impedimentis valet, etiamsi impedimentum sit multiplex vel plura impedimenta in eodem casu concurrant, modo facultas nitatur indulto *generali*, quod expressis verbis non magis restringatur (c. **1049**).

3. Immo, si agitur de impedimentis publicis, Codex exigit ut S. Sedes, si pro uno adeunda est, pro omnibus consulatur. Quare :

« Si quando cum impedimento vel impedimentis *publicis*, super quibus ex *indulto* dispensare quis potest, concurrat aliud impedimentum super quo dispensare nequeat, pro *omnibus* Sedes Apostolica adiri debet ; » (c. **1050**).

Notandae sunt condiciones huius limitis potestatis. Agitur tantum de casu quo Ordinarius potestate *delegata* super impedimento *publico* dispensare potest, cui aliud impedimentum accedat, sc. publicum a quo tamen nulla facultate dispensare potest.

Haec iuris dispositio specialis facilius intellegitur quia S. Sedes super pluribus impedimentis publicis difficilius dispensare velle supponitur.

Exceptio tamen statuitur, sc. « si... impedimentum seu impedimenta super quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam a S. Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit » (c. 1050).

Si comperiantur post *petitam* a S. Sede dispensationem, at nondum concessam, novus libellus supplex ad S. Sedem mittendus est.

4. Si concurrat impedimentum occultum a quo Ordinarius dispensare potest cum impedimento occulto vel publico a quo non potest dispensare, satis erit in supplici libello ad S. Sedem unicum impedimentum indicare ; Ordinarius vero suam dispensationem non concedet, antequam rescriptum a S. Sede accipiat.

5. Dispensatio impetrata censetur : *a*) a momento concessionis, si conceditur in forma gratiosa ; *b*) a tempore quo Ordinarius eam concedit, si est exsecutor sive necessarius sive voluntarius (c. 38).

§ 4. DE EFFECTU QUARUNDAM DISPENSATIONUM

315. - 1. « Nisi aliud ferat S. Paenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, annotetur in libro diligenter in secreto curiae archivo, de quo in c. 379, asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea impedimentum occultum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa tantum fuerat in foro interno sacramentali » (**c. 1047**).

Si inscriptio non praescribatur in curia dioecesana, dispensatio in archivo S. Paenitentiariae sedulo inscribitur; de qua proin in foro externo per recursum constare poterit.

2. « Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per rescriptum in casibus particularibus, conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega » (**c. 1051**).

Dum S. Sedes concessione potestatis ordinariae vel ad universitatem causarum delegatae suam potestatem quasi communicat, indulto particulari tantum conceditur quantum petitur. Potest tamen facultas legitimandi etiam in casibus particularibus obtineri; quare quando dispensatio a S. Sede postulatur, sedulo semper indicetur, si casus ferat, prolem esse legitimandam. Tunc enim legitimatio simul cum dispensatione a S. Sede concedetur. De natura legitimationis, cf. infra n. 419.

Si alteruter orator ante matrimonii celebrationem moriatur, proles legitima remanet. Non enim matrimonio, sed dispensatione legitimatio concessa est. Quod auctores sub veteri iure tenebant, id sub novo certius est.

3. « Dispensatio *ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis*, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus re vera exsistens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu » (**c. 1052**).

Dispensatio in secundo gradu concessa valet igitur pro tertio; non valet pro impedimento consanguinitatis dispensatio ex errore pro affinitate petita. Quo in casu iterum ad S. Congregationem esset recurrendum ut impetretur indultum *Perinde valere*, sc. ac si omnia fuissent recte indicata.

316. - 4. *De implicita dispensatione ab impedimento criminis.*

Dispensatio a *prima* forma impedimenti criminis (cf. infra, n. 351, 2), includitur ipso iure dispensationi quam S. Sedes concedit super matrimonio rato et non consummato vel facultati factae ut fidelis ad novas nuptias transeat ob praesumptam mortem coniugis (**c. 1053**).

Sola S. Sedes dispensare potest super matrimonio rato et non consummato (cc. 1962. 1963). Quodsi episcopi, dum satis de morte prioris coniugis constare putant, transitum ad novas nuptias permittunt, facultate, si quam habeant, dispensandi super impedimento criminis, prudenter utentur, et quidem *expresse*. Cum dispensatio in casu particulari sit strictae interpretationis, ad Ordinarii dispensationes extendere non licet quod de apostolica dicitur (Cf. AAS, IV, 1912, 403. — *N.R.Th.*, 1912, 648. — *Per.* VI, 226.)

§ 5. DE CAUSIS DISPENSATIONUM

317. - Sine iusta causa dispensatio est semper illicita et, si ex potestate *delegata* conceditur, invalida.

Causae praecipue distinguuntur *motivae* seu finales et *impulsivae*.

Motivae sunt ob quas singillatim vel complexive sumptas re vera dispensatio conceditur, sine quibus aut negaretur aut saltem minori ambitu concederetur ; impulsivae, quae Superiorem movent ad gratiam citius vel facilius concedendam, quam etiam sine his causis verisimiliter elargitus esset.

Ut causas motivas ab impulsivis distinguas, consulenda est praxis S. Sedis. Ita gravior causa requiritur pro privatis quam pro principibus, quorum negotia ad bonum publicum maioris momenti sunt ; pro impedimentis maioris quam pro impedimentis minoris gradus, quia matrimonium minus decet inter personas quas impedit prior classis impedimentorum.

In supplici libello, *omnes* causae proponantur, quibus Superior moveri vel impelli possit ad gratiam concedendam.

318. - Ex instructione S. Congr. *de Prop. Fide*, 9 maii 1877 (1), causae canonicae seu quae singillatim sumptae saltem pro minore impedimento motivae sunt, ita indicantur :

1. Angustia loci, seu coetus hominum distincti, qui non ultra 300 focularia contineat, praesertim si sponsa a nullo alio iuvene suae condicionis quam ab impedito in loco ad matrimonium petatur.

2. Aetas feminae superadulta sc. si virgo aetatem 24 annorum superaverit. Quod si quadragesimum annum attigerit, causa aetatis iam motiva non est.

3. Deficientia aut incompetentia dotis.

4. Lites super successione bonorum iam exortae aut earum grave et imminens periculum.

5. Paupertas viduae, numerosa prole onustae, vel quae simul sit iunior et in periculo incontinentiae versetur.

6. Bonum pacis, seu gravia iurgia componenda.

---

(1) *Coll. P. F.* II, n. 1470.

7. **Nimia, suspecta, periculosa** familiaritas, necnon cohabitatio sub eodem tecto, quae facile impediri non possint.

8. **Copula** (praesertim cognita vel divulganda) et praegnantia, ideoque legitimatio prolis. Quae causa est inter alias gravissima.

9. **Infamia mulieris** quae suspicione, etiam falsa, inhonestae familiaritatis cum affini vel cum consanguineo oneratur.

10. **Revalidatio matrimonii** quod bona fide et in forma sollemni est initum.

11. **Periculum matrimonii mixti** vel coram acatholico ministro celebrandi, cum scandalo fidelium vel gravi damno plurium.

12. **Periculum incestuosi concubinatus.**

13. **Periculum matrimonii civilis.** Ne tamen in hoc vel similibus casibus nimia ob minas facilitate dispensatio concedatur, cum gravi periculo indifferentiae religiosae spargendae.

14. **Remotio gravium scandalorum.**

15. **Cessatio publici concubinatus.**

16. **Excellentia meritorum** in benefactore Ecclesiae, etc.

Tamquam causae allegari possunt omnia illa adiuncta quae praesertim puellae aliud matrimonium difficile faciunt vel quae ad causas iam citatas accedunt.

Si S. Sedes dispensationem concedat « ex certis rationabilibus causis » vel simili formula, a vero causarum momento valor dispensationis nullo modo pendebit. Praeterea « dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit » (**c. 1054**).

In istis enim casibus minor causa requiritur et S. Sedes, aestimans petitionem non sine ulla causa esse factam, defectui facilius ex sua potestate supplet. Idem de dispensationibus ab Ordinario concessis dici posse videtur.

§ 6. - DE PETITIONE DISPENSATIONUM

319. - 1. Si *impedimentum* est natura vel facto *publicum*, dispensatio necessaria est in foro *externo*, nisi impedimentum natura publicum, facto sit omnino occultum nec ullum periculum sit de illo divulgando et incommodum grave habeatur in petenda dispensatione pro foro externo.

2. Si sacerdos facultatem dispensandi non habeat, pro dispensationibus fori interni recurret ad Ordinarium (remoto omni violationis sigilli aut secreti naturalis vel commissi periculo) vel ad S. Paenitentiariam, adhibitis ficticiis nominibus.

3. Dispensatio *pro foro externo*, etiamsi a S. Sede est petenda, per

Ordinarium petitur, nisi orator apud Sedem Apostolicam bene sit notus.

4. Quando impedimentum publicum cum impedimento occulto occurrebat, in petitione apud S. Paenitentiariam facta sedulo notandum erat supplicatum esse apud aliam Congregationem super impedimento vel impedimentis publicis. Sub iure novo in quo facilius facultas ad dispensandum super multiplici impedimento conceditur, idem requiri non videtur.

5. In supplici libello, quaenam sint oratorum opes sincere indicetur. Error tamen aut falsa declaratio validitati dispensationis non nocebit, nisi status fortunae sola fuerit causa motiva indulti.

6. In supplici libello indicantur : nomen et cognomen oratorum ; dioecesis praesentis domicilii vel quasi-domicilii aut, si de vago agatur, actualis commorationis ; species etiam infima impedimenti ; numerus impedimentorum ; causae omnes ad impetrandam gratiam. Si agitur de *occulto impedimento*, indicetur persona et domicilium confessarii vel parochi, ad quem remittenda est gratia facta.

7. De *taxa, agentia*, etc. cf. *Epitome*, I, n. 319, 4.

§ 7. - DE EXSECUTIONE DISPENSATIONUM

320. - I. Dispensatio concedi potest in forma gratiosa aut commissoria. Quo clarius haec exponantur, quae a nonnullis confuse proponuntur, distingui potest duplex forma commissoria. Conceditur in *forma gratiosa*, si a S. Sede oratoribus ita concedatur, ut nullus exsecutor intercedere debeat, sed ab Ordinario vel confessario sit tantum transmittenda.

Forma est *commissoria mixta*, si Congregatio benigne annuit et committit exsecutori ut petitam gratiam concedat *sub certis condicionibus* et speciatim si vera sint exposita. Ordinarius tunc vel confessarius est *exsecutor necessarius.*

Formula « S. Congregatio benigne annuit et remittit arbitrio et conscientiae exsecutoris » exsecutorem constituit necessarium, nisi mentio fiat facultatum quae ipsi concedantur.

Est in forma *absolute* seu *simpliciter commissoria*, si exsecutori facultates conceduntur quibus, si opportunum iudicaverit, uti possit ad dispensandum.

« SS. D. N. D.... benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae Ordinarii N... qui... dispensare valeat... ».

Haec attendantur, ubi de veritate precum inquiritur. Requiritur enim et sufficit ut verae fuerint tempore *concessae* gratiae.

321. - II. Concessio, ut sit valida et licita, debet fieri ex legitimo rescripto, a legitimo exsecutore, servatis clausulis.

1. *De* rescripti *natura*, cf. *Epitome*, I, n. 123, ss. et c. 1054, supra, n. 302, 4°.

2. *De* exsecutore *legitimo*.

Exsecutio committitur Ordinario oratorum, si agitur de impedimentis publicis, secus discreto viro confessario.

Ordinarius oratorum is est « qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam », etiamsi oratores in aliam dioecesim migraverint non amplius reversuri. Hoc tamen in casu monendus est Ordinarius loci in quo matrimonium contrahere cupiunt (**c. 1055**). Si *confessarius* non determinatur, quilibet sacerdos ab Ordinario loci ad confessiones audiendas approbatus a partibus eligi potest ad dispensationem exsequendam (cf. c. 57).

322. - III. *De clausulis*. Ad *valorem* actus pertinent omnes clausulae quae verbis : *si*, *dummodo*, aliisve aequipollentibus exprimuntur (Cf. c. 39. *Epitome*, I, n. 130).

Quae autem *ablativo* proponuntur, nisi ex rei natura vel ex stilo Curiae necessariae sint, validitatem non afficiunt. Ex natura rei necessaria est, v. g. remotio fidei periculi in matrimonio mixto ; non necessariae ad validitatem, impositio paenitentiae, remotio scandali, etc.

323. - IV. *De taxa*.

« Excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae in dispensationibus pro non pauperibus, locorum Ordinarii eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nequeunt occasione concessae dispensationis, emolumentum ullum exigere, nisi haec facultas a Sancta Sede eis expresse data fuerit ; et si exegerint, tenentur ad restitutionem » (**c. 1056**).

Quando competentia v. g. S. Paenitentiariae condicione rei familiaris definiebatur, pauperes habebantur qui fortunam 1500 fr. non possiderent et quasi-pauperes, qui non haberent 2500 fr. Reditus stabiles et bona mox obtinenda indicanda erant; bona in spe pro media parte a S. Congregatione computabantur (1). Taxa, agentia et expensae in parte rescripti aversa generatim inscribuntur.

324. - V. *De mentione delegationis*.

« Qui ex potestate a S. Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant » (**c. 1057**).

Haec mentio licitum, non validum facultatis usum respicit ; eius necessitas in non nullis S. Sedis documentis ablativo absoluto exprimitur. (Cf. *S. O.* 15 iun. 1875 ; *Coll. P. F.* 1444. — *S. O.* 12 april. 1899 ; *Coll. P. F.* 2042. — Instruct. *S. C. de P. F.*, 8 sept. 1869, ad n. 53 ; *Coll. P. F.* n, 1346.)

(1) De Smet, *De sponsalibus*, n. 858, I, B.

Caput III. - De impedimentis impedientibus

325. - Codex tria impedimenta impedientia rite enumerat, sc. votum simplex, cognationem legalem ex adoptione ad normam legis civilis, et mixtam religionem. Haec enim sola inhabilitatem quandam personarum, imminuto sensu, constituunt, dum *Ecclesiae vetitum* praecepto, non lege imponitur, *tempus* vero *feriatum* sollemnitatem non ius contrahendi respicit. *Sponsalia* vero et rationabilis *parentum dissensus*, etsi iure divino, certis finibus matrimonium illicitum faciunt, lege tamen ecclesiastica, tamquam impedimenta distincta, non sanciuntur.

Art. I. - De impedimento voti simplicis

326. - « Matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum ».

« Nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus statuta fuerit » (c. **1058**, §§ 1. 2).

1. **Virginitas** formaliter sumpta est integritas simul animi et corporis, quae prima delectatione venerea *completa* et voluntarie admissa amittitur, dum actu mere interno aut involuntaria defloratione in morali aestimatione integritas servatur. — Post primam pollutionem vel primam copulam cum delectatione admissam, obiectum voti virginitatis fit impossibile. Rarissime votum solius virginitatis emittitur. Hac enim voce fere semper obligatio vel non nubendi vel perfectam servandi castitatem intellegitur.

2. *Votum* **castitatis** *perfectae* est promissio deliberate facta Deo renuntiandi ad tempus vel in perpetuum omni delectationi venereae sive completae sive incompletae.

Emissum absolute et in perpetuum, post aetatem 18 annorum, votum istud S. Sedi reservatur (c. 1309).

3. Votum **non nubendi** quandoque ab emittente ita intellegitur ut obligationem castitatis perfectae vel saltem virginitatis contineat.

Votum absolutum **ingrediendi Ordinem** religiosum, si post aetatem 18 annorum emissum est, S. Sedi reservatur. (Cf. c. 1309) ; idque etiam si quis in illo Ordine vota sollemnia non sit professurus, ut frater coadiutor in Societate Iesu.

327. - 1. Vota simplicia non irritant matrimonium quia nulla promissio Deo facta dominium in corpus proprium aufert, quare irritatio in impedimento voti sollemnis tota e iure ecclesiastico oritur. — Votum simplex castitatis in Societate Iesu emissum, ex privilegio aliis Ordinibus non communicabili, matrimonium contrahendum dirimit (1).

---

(1) Gregorius XIII, C. *Ascendente Domino*, d. 25 maii 1584.

2. Solum votum non nubendi matrimoniali contractui directe advertatur eumque per se illicitum reddit ; cui proxime accedit votum suscipiendi ordines aut amplectendi statum religiosum, cum libera dispositio vitae vinculo matrimoniali amittatur ; vota virginitatis et castitatis perfectae ob periculum proximum voti violandi, matrimonio obstant, sed sola Ecclesiae prohibitione omnino illicitum faciunt matrimonium. Inde explicabis quomodo B. Virgo Maria, etiamsi voto virginitatis vel castitatis, ut plerique sentiunt, se obstrinxerit, nubere potuerit.

Soluto matrimonio, quod contra votum contractum erat, votum castitatis perpetuae vel, tempore non elapso, temporariae, adhuc urget ; votum suscipiendi ordines sacros vel ingrediendi religionem saepe, ob mutata omnino adiuncta, non urgebit.

3. Si matrimonium, spreto virginitatis voto, fuerit contractum, praestabit dispensationem procurare pro *petitione* debiti, quae redditionem antecedat et, pro tempore saltem matrimonii, super voto castitatis. In circumstantiis ordinariis, satis inutile est dispensare statim in perpetuum super voto castitatis, aut super voto suscipiendi ordines vel ingrediendi religionem. Notandum est praeterea alterum coniugem posse votum alterius tamdiu suspendere quamdiu sibi praeiudicium afferat (c. 1312, § 2) (1).

Art. II. - De impedimento cognationis legalis

328. - « In iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum est » (**c. 1059**).

Adoptio est contractus legitimus quo persona extranea in filium assumitur.

In iure romano, duplex erat adoptio, sollemnis altera, altera simplex. Priore, quae *arrogatio* vocabatur, adoptatus in potestatem et familiam adoptantis pleno iure transibat ; post Iustinianum, solum commodum simplicis adoptionis erat ut adoptatus adoptanti succederet ab intestato. Disputabant Doctores utrum impedimentum matrimonii ex utraque adoptione ortum dirimens esset necne. Ecclesia, etsi legem romanam de hoc instituto non canonizavit, adoptionem, prouti *iure romano* exsistebat, impedimentum matrimonii dirimens constituerat. Sed non pauca dubia oriebantur de identitate inter adoptionem iuris romani et nostrarum legum civilium, ita ut impedimentum canonicum in non nullis regionibus dubium esset.

Codex legem suam legibus civilibus nunc conformat. Quare de vi et ambitu impedimenti civilis tantum erit quaerendum. Impedimentum cognationis legalis saltem *impediens* exsistit in iure gallico, fortasse *dirimens* (CC. a. 348) ; in iure germanico (BGB., a. 311) ; in

(1) Cf. E. Jombart, S. I., *Vœux simples et mariage*, *N. R. Th.*, 1922, 211, ss.

iure helvetico (ZGB., aa. 100. 264. 268). — In Austria, in Anglia, in Stat. Foed. Americae sept. exceptis insulis Cuba et Philippinis et probabiliter in Lusitania et in pluribus Americae latinae statibus nullum est impedimentum. — In Hollandia, institutum adoptionis non exsistit. — In Belgio, impedimentum est mere prohibens (Conc. Mechlinien. (1920), n. 210. Quare errat AUGUSTINE, O.S.B. in c. 1080).

Dispensatione a lege civili impedimentum canonicum non tollitur.

Art. III. - De impedimento mixtae religionis

329. - Quinque sequentibus canonibus Codex prohibitionem (c. 1060) definit et condiciones dispensationis (c. 1061) ; dein proponit officium speciale coniugis catholici relate ad compartem (c. 1062), prohibitionem communicandi in sacris ad celebrandum matrimonium (c. 1063), officia pastorum ad minuenda mala quae ex his matrimoniis oriuntur (c. 1064).

§ 1. DE NATURA IMPEDIMENTI

330. - « Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae vel schismaticae ascripta ; quodsi adsit periculum perversionis coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur » (**c. 1060**).

Mixta religio est diversitas confessionis christianae inter duas personas valide baptizatas. Si coniux qui fidem catholicam abiecit aut numquam professus est, sectae acatholicae non sit ascriptus, nullum est *canonicum* impedimentum ; quamdiu perversionis periculum proximum adest, impedimentum est iuris divini, a quo nemo, sive licite sive valide, dispensare potest.

Si acatholicus quis sectae suae etiam publice renuntiavit quin tamen alii religioni adhaereret, impedimentum mixtae religionis superest : factum enim eius baptismi in secta haeretica permanet et impedimento locum dat.

Apud plerosque Orientales catholicos exsistit eadem impedimenti forma, dum non satis constat utrum apud Orientales dissidentes matrimonium cum parte sectae haereticae ascripta illicitum an irritum sit, aliis verbis utrum haec impedimenti forma ad mixtam religionem an ad disparitatem cultus revocanda sit (1). Huiusmodi matrimonium ad normam iuris ritus catholici, ad quem partes schismaticae pertinere deberent, iudicandum erit.

Etiam ubi periculum istud non adest, Ecclesia prohibitione severissima, quae fideles ubique terrarum urget, ab istis matrimoniis removere conatur, quae

(1) Cf. CAPPELLO, nn. 898, ss. 906.

plerumque verum inducunt periculum vetitae communicationis in sacris aut tepiditatis religiosae, et concordiae coniugum parum favent (1). In paucis regionibus, v. g. in Sinis, matrimonia mixta (cum disparitate cultus) si maritus catholicus est, fere nullum perversionis periculum inducunt et conversioni mulieris saepissime multum conferunt. Patet tunc in concedendis dispensationibus epikeia utendum esse.

§ 2. DE DISPENSATIONE

331. - 1. Ubi periculum perversionis remotum est, Ecclesia ab impedimento suo valide et licite dispensare potest (2).

2. Etiam ab impedimento iuris ecclesiastici, Ecclesia non dispensat, nisi tres condiciones impleantur (c. 1061, § 1), sc. :

a) « urgeant iustae ac graves causae », quae possunt esse publici vel privati ordinis, v. g. spes probabilis conversionum, mitigationis legum contra religionem, vitanda gravia discidia inter catholicos et haereticos ; — periculum ne pars catholica ad sectam transeat, civiliter tantum contrahat ; — paucitas catholicorum in regione, etc.

b) « cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda ; »

E causa gravissima et urgente possit concedi a S. Sede aut ex eius speciali concessione dispensatio super cautione ab acatholica parte praestanda, si pars catholica periculum perversionis non incurrat et cautionem praestet de educatione catholica prolis. — Nupturientes de his condicionibus, etiam turbata bona fide, monendi sunt : imminet enim, saltem alteri parti et tertio (proli), grave damnum.

Quando promissiones istae ex lege civili omni vi destituuntur, tamquam libertati conscientiae contrariae, aut lex civilis decernit liberos, pro suo sexu, secuturos esse religionem patris vel matris, matrimonium permitti non potest, nisi promissio coniugis acatholici fidem omnino mereatur. — Violatio obligationis hic definitae excommunicatione l. s. Ordinario reservata sancitur (c. 2319, 2°, 3°, 4°. Cf. *Epitome*, III, in c. 2319).

c) « moralis certitudo habeatur de cautionum implemento ».

Haec certitudo in singulis casibus est ponderanda, neque ob fractam a multis in regione fidem de hac re datam, est a priori neganda. Pendet enim ab utriusque coniugis indole, moribus, etc.

Haec moralis certitudo, extra mortis periculum (cf. supra n. 306, c) condicio *validitatis* dispensationis est, tum quia S. Sedes sine illa certitudine non *solet* dispensare, tum quia facultates a S. O. Ordinariis concessae hanc certitudinem tamquam condicionem validitatis (*dummodo*...) exigunt. Quod valde attendendum est, cum saepius

(1) Cf. *Etudes religieuses*, t. 101, (1904), 190, ss.
(2) Cf. *Ami du clergé*, 1924, 135, ss.

dispensatio super impedimento disparitatis cultus ad cautelam addatur.

Neve dicat quis se benignius agere ne pars catholica male disposita a praxi religiosa alienetur, immo a fide deficiat. *Bonum commune* severitatem, quam S. Sedes urget, exigit et valde timendum est ne faciliori dispensationis concessione in regionibus quibusdam pestis matrimoniorum mixtorum multum augeatur.

Quo securior haec certitudo habeatur, « cautiones regulariter in scriptis exigantur » (**c. 1061**, § 2) ; iura vero particularia volunt ut promissio sit iurata aut saltem scripta (Cf. Conc. Amer. lat., *Acta et decreta*, n. 591).

In regionibus ubi haeresis grassatur, facultas dispensandi Ordinariis locorum ad tempus, in regionibus catholicis ad certum numerum casuum aut ad tempus concedi solet. Dispensationi in casu urgenti iam cc. 81 et 1043-1045 providetur. Recursus potest quoque fieri ad Legatum S. Sedis, qui dispensationem vi facultatum n. 29 concedere potest. Cf. *Epitome*, I, n. 813.

§ 3. DE OFFICIO CONIUGIS CATHOLICI

332. - « Coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi » (**c. 1062**).

Gravissimum hoc caritatis officium saltem precibus et exemplo vitae perfectae christianae coniux catholicus implere potest. Cum tamen ambitus et vis istius officii saepius difficile determinentur, a paucis iam ante Codicem annis inter *condiciones* dispensationis non urgebatur.

§ 4. DE MATRIMONII MIXTI CELEBRATIONE

333. - *De ritu mixti matrimonii.*

1. Consensus coram solo ministro *catholico* praestandus est ; coram ministro autem acatholico, *uti sacris addicto*, nec praestari, nec *renovari*, ne *per procuratorem* quidem potest (**c. 1063**, § 1).

Gravissima haec est prohibitio, ut ex verbis, c. 1063 et adiecta poena excommunicationis l. s. Ordinario reservatae patet (Cf. c. 2319).

Haec censura parti *catholicae* infligitur, non autem acatholicae, quae, si convertatur, ab ea, etiam ad cautelam, non est absolvenda (Cf. c. 2319, § 1).

Cum tamen in quibusdam regionibus minister acatholicus simul officialis civilis munere fungatur, licebit coram ipso actum dumtaxat civilem peragere (c. 1063).

Si prohibitio, de qua supra, violata sit vel certo violanda apparuerit, parochus assistentiam suam negare debet, nisi, ex gravissimis causis, remoto scandalo, et consulto prius Ordinario aliter agendum censeat (c. 1063, § 2).

Cum observatio huius prohibitionis tamquam condicio dispensationis non urgeatur, eius iniunctio, etsi plerumque etiam turbata bona fide proponenda est, iterdum tamen omitti poterit.

2. Etsi interrogationes a parocho fieri debent, ut infra dicetur, natrimonium mixtum per se in ecclesia celebrari non potest (c. 1109), t omnes ritus sacri prohibentur (c. 1102).

Ab hac prohibitione Ordinarius, pro suo prudenti iudicio, dispensare poterit, si graviora mala timentur. Celebratio tamen missae cuiusibet, quae ut coniuncta cum matrimonio celebretur, semper est excludenda (c. 1102, § 2) (1).

§ 5. DE OFFICIIS PASTORUM

334. - Pastoribus officium incumbit fideles, quantum possint, a mixtis matrimoniis absterrendi ; invigilandi ne contra leges Ecclesiae iant ; si facta fuerint, curandi ut coniuges promissiones datas observent ; servandi ea quae de ipsa celebratione praescribuntur (c. **1064**).

Experientia compertum est partem acatholicam ad religionem nostram haud aro induci aut saltem periculum perversionis partis catholicae multum minui, si ars acatholica adducatur ad audiendam per aliquod tempus expositionem octrinae catholicae de principalibus mysteriis, de sacramentis et praesertim de natrimonio. Quare haec instructio in quibusdam dioecesibus Statuum foed. Americae sept. tamquam condicio dispensationis, in Belgio (Conc. Mechl., 1920, . 291) tamquam consilium proponitur (2).

Art. IV. - De matrimonio cum incredulis, peccatoribus publicis, etc.

335. - In cc. 1065 et 1066 quattuor casus considerantur, in quibus, ob periculum perversionis vel ob administrationem et receptionem sacramenti in statu peccati publici vel ob scandalum fidelium, cautiones speciales imponuntur.

1. Si quis notorie, i. e. ita ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit, aut fidem abiecit aut societati ab Ecclesia damnatae ascriptus est, Ordinarii est videre num parochus matrimonio assistere possit (c. **1065**).

Fidem abiecit qui profitetur se catholicum iam non esse, etiamsi alii religioni nomen non dederit. Casus est illius qui nomen suum e registris catholicorum expungi voluerit, qui Ecclesiae (non uni tantum aut alteri Tribunalis Romani vel regnantis Pontificii damnationi) oboedientiam expressis verbis detrectet, qui dogmata catholica irrisionibus aut impugnationibus repetitis se reicere profiteatur, etc. Quod enim quis officia religionis, etiam diuturnum per tempus non impleat, nondum est signum eum fidem abiecisse. — *Societates damnatae* eae sunt quae publice aut secreto ad potestatem ecclesiasticam aut civilem evertendam moliuntur, quales sunt

---

(1) Cf. *Resp. Comm. I. C.*, 10 nov. 1925, ad IX. — *AAS*, 1925, 583. — *N.R.Th.*, 1926, 230. — *Per.*, XIV, 186.

(2) Cf. *N. R. Th.*, 1923, 261.

societates « anarchistarum », qui *vi* statum societatis politicum mutare conantur, massonum, etc.

2. Etsi matrimonium cum huiusmodi hominibus iure divino saepissime prohibetur, Ecclesia tamen illam prohibitionem sua lege non sancit. Ob gravia vero incommoda quae ex istis matrimoniis oriuntur, iubet ut Ordinarius parochi assistentiam tantum permittat ubi :

a) urget *gravis causa*, quales supra enumeravimus ;

b) *cautiones* praestantur de catholica educatione universae prolis et removendo periculo pro parte catholica.

Eo severiorem Ordinarius se praebere potest, quo, tempore petitionis, minus arta sunt vincula inter nupturientes. Nec periculum apostasiae vel concubinatus semper causa sufficiens esse videtur ut assistentia concedatur. Bono enim privato salus et aedificatio multorum praeferri possunt. — Inter pericula quae removeri debent, hodie maxime minatur periculum onanismi coniugalis.

3. Minus per se periculum est in matrimonio cum publico peccatore vel notorie censura innodato. Quia tamen grave scandalum parit ubi paenitentia de admissis peccatis recusatur, « parochus matrimonio ne assistat, nisi urgeat gravis causa... ». « Si fieri possit », Ordinarium de causae momento consulet (**c. 1066**).

4. In utroque casu scandalum prudenter removeri debet, praesertim si, urgente gravi causa, assistentia concedatur haeretico vel massoni vel peccatori publico non reconciliato.

Caput IV. - De impedimentis dirimentibus

336. - 1. Codex ea **impedimenta** dirimentia vocat quae e perfecta inhabilitate personarum, sive absoluta sive relativa, proveniunt. In hanc materiam haud parvae mutationes sunt inductae ; ius tamen vetus ignorare per satis longum tempus nulli clerico licebit, cum validitas matrimonii iudicanda sit ex iure sub quo contractum est (Cf. Resp. *Comm. I. C.* 2-3 iun. 1918. AAS, 1918, 344. *Per.* IX, 154).

2. **Conexionem materiae** in hoc capite ne subtilius inquiras ; quaedam enim impedimenta, etsi mutata, eodem quo in Corpore iuris loco adhuc veniunt. Neminem tamen fugiet ordine venire impedimenta quae ex *defectu physico* relativo vel absoluto (aetas, impotentia) oriuntur ; ex *vinculo morali* libere suscepto (ligamen, ordo sacer, votum sollemne) ; ex *delicto* (raptus, crimen) ; ex *propinquitate* personarum physica, morali vel legali (consanguinitas, affinitas, publica honestas, cognatio spiritualis vel legalis).

I. DE IMPEDIMENTO AETATIS

337. - 1. « Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum, item completum, matrimonium validum inire non possunt » (**c. 1067.** § 1).

Iure naturae ad validitatem matrimonii ea discretio requiritur qua sponsi essentiales huius contractus obligationes cognoscere et ad illas se sub gravi obligare possint, etiamsi copulae carnalis nondum capaces sint. Quae discretio cum ante pubertatem haberi non *praesumeretur*, Ecclesia, ius romanum imitata, ante Codicem, invalidum matrimonium declarabat quod ante adeptam pubertatem initum esset. Sed cum minus deceret pubertatem ex statu corporis declarare, ius romanum omnibus habilitatem aetate definiverat, sc. 14 annorum in viro, 12 annorum in muliere, quod ius ecclesiasticum admisit et retinuit. Veritati tamen praesumptio cedebat, etenim « malitia supplet aetatem » ; ideoque validum habebatur matrimonium, dummodo constaret sponsos copulae capaces obligationibus essentialibus contractus perspectis, contraxisse.

Animadverte diem nativitatis non computari in annis aestimandis (c. 34, § 3, 3º) et contractum ex defectu aetatis invalide celebratum solo temporis tractu non convalidari (c. 1133).

Neque licet applicare principium « malitia supplet aetatem », ut matrimonium ante aetatem legitimam initum validum declaretur.

Cum in regionibus missionum de aetate nupturientium haud ita raro non certo constet, locus erit usui facultatis concessae Ordinario dispensandi in dubio facti positivo circa legem inhabilitantem (c. 15). Etsi facultas dispensandi super aetate ne in maxima quidem omnium formula Facultatum reperitur, nobis compertum est eam pro regionibus quibusdam adhuc satis barbaris ad certum numerum concedi. In hac re satis periculosa, opportunum videtur ut Ordinarius suam facultatem ne deleget.

2. Impedimentum, prouti nunc statuitur, ad iura civilia magis accedit, a quorum plerisque tamen adhuc differt.

In iure belgico, gallico, italico et rumeno aetas requisita est 18 annorum in viro, 15 in puella ; in Hollandia, Helvetia, Russia, 18 et 16 annorum ; in Germania, in iuvene requiritur maiorennitas vel emancipatio, in puella aetas 16 annorum. Ius anglicum et hispanicum praescripta iuris canonici pro catholicis admittit.

Iure gallico, matrimonium ex defectu aetatis nullum tractu temporis ita convalidatur, ut sex mensibus post adeptam aetatem legalem ex hoc capite impeti iam non possit. In puella vero « malitia supplet aetatem », ita ut, si ante sex menses a contracto matrimonio conceperit, matrimonium iam nemo aggredi possit (Cf. De Smet, II, 549).

338. - « Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem qua, secundum receptos regionis mores, matrimonium iniri solet » **(c. 1069**, § 2).

Praeter quam quod enim decet aetatem lege civili statutam, quantum fieri potest, observare, haud sine magno detrimento matrimonium initur antequam vires animae et corporis sint satis plene evolutae, quod pro aliis regionibus alia aetate evenire constat.

II. De impedimento impotentiae (c. 1068)

339. - *Notiones generales.*

1. Duplex impotentia distinguitur, *generandi* scilicet et *coeundi*. Illa sterilitas, haec impotentia proprie vocatur.

De natura impotentiae et sterilitatis tres sententiae proponi possunt. Ubi impotentia generandi mere ex defectu exercitii facultatis (*cause fonctionnelle*) oritur, **sterilitatem** adesse omnes conveniunt.

Impotentia definiri hodie solet : incapacitas copulae per se aptae ad generationem. Dissensus omnis versatur circa explicationem condicionum requisitarum ut copula per se apta dicatur ad generationem. Multi enim scriptores impotentem, non sterilem tantum, declarant virum vel mulierem quem *physicus* organorum *defectus* incapacem generandi facit, v. g. mulierem cui desint ovaria. Huius sententiae antesignanus est R. A. ANTONELLI (1). Altera sententia nihil requirit praeter facultatem copulae per se aptae ad generationem ita intellectam, ut vir vas muliebre penetrare ibique *verum* semen effundere possit. Quam sententiam illustravit praecipue P. FERRERES, s. i. (2). Tandem necessitatem effusionis *veri* seminis iure naturae non certo requiri autumat P. VERMEERSCH, s. i. (3). — P. ARENDT, s. i. (4), etsi traditam impotentiae definitionem (impotentiam coeundi) retinet, mulierem quae ante matrimonium certa ac cognoscibili impotentia generandi laborat inhabilem declarat ad consensum matrimonialem valide praestandum, quia finis operis excluditur ; si impotentia haec matrimonio valide inito supervenerit, usum coniugii ob fines secundarios licitum declarat.

Sententiae et argumenta optime exponuntur in VERMEERSCH, *l. c.*, n. 60, ss. et DE SMET, *De sponsalibus*, etc. n. 550, ss.

Certo impotentes sunt viri qui testiculis carent, sive naturae defectu sive operatione chirurgica. Id e Sixti V C. *Cum frequenter*, 27 iun. 1587 constat. *Certo steriles tantum* habendi sunt qui, etsi omnia generationis organa anatomice intacta servant et copulae perficiendae capaces sunt, ob senium tamen aliamve causam functionalem aut physiologicam generando apti non sunt.

Theoretice solide probabilem ideoque practice omnino tutam sententiam habemus, iuxta quam *mulier* ovariis uteroque perfecte orbata (seu *perfecte recisa*), copulae tamen perficiendae capax, tamquam sterilis, non impotens habenda est.

Viros vasectomiacos, etiam medio insanabili, etsi fere ab omnibus tamquam certo impotentes habentur, solo naturae iure tales esse nobis nondum compertum est. Quamdiu enim integra servatur glandula cum secretione interna (glande intersticielle) in testiculo, vir orgasmi sexualis perfecti capax remanet neque semen cum nemaspermatibus ad actum coniugalem iure naturae aut doctrina catholica requiri certum videtur (5).

Gravis iniuriae reos esse mulierem aut virum qui contrahant, quin alteri parti gravem huiusmodi defectum corporis detegant, nemo

(1) *Medicina Pastoralis*, t. 2. n. 537.

(2) *De vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae*, ed. alt. 1913.

(3) *De castitate*, ed. altera, 1920, n. 573.

(4) *Relectio analytica super controversia de impotentia feminae ad generandum*, 1912, quam ipse P. ARENDT fuse tuetur in *Ephem. theol. Lov.*, 1926, 513, ss. contra OESTERLE O.S.B., ibid., 345, ss.

(5) Fusior explicatio huius impedimenti ad scholam theologiae moralis de usu matrimonii melius remittitur.

ubitat. Immo, in casibus quibusdam, locus erit quaerendi num error substantialis in consensu certo absit.

2. Impotentia *antecedens* est vel *subsequens*, prout ante vel post matrimonium exsistere coepit. — *Perpetua* censetur, nisi per se aut mediis ordinariis ac licitis post tempus cesset. — *Relativa* est quae cum certa tantum persona copulam perfectam impedit, v. g. ob nimiam artitudinem, attenta penis amplitudine ; secus est *absoluta*.

340. - *De impedimento.*

1. « Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit » (**c. 1068**, § 1).

Impedimentum est iuris naturalis, cum obiectum essentiale contractus sc. traditionem iuris in corpus ad actus per se aptos ad generationem impossibile reddat. Si *causa* impotentiae perpetuae matrimonio supervenientis, ante illud exsistebat et ab altera parte ignota erat, locus erit quaerendi num forte error substantialis adfuerit (cf. c. 1083, § 2, 1°).

341. - 2. « Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum » (c. 1068, § 2).

Censet Ecclesia non esse arcendos ab usu iuris omnibus communis et cum gravissimo incommodo quos certa inhabilitas non prohibet. — Iam ergo impediri non potest matrimonium mulieris, cuius ovaria, immo et uterus, excisa sunt. Si constat de impossibilitate perpetua penetrationis, ita ut semper ad os vaginae tantum semen profundi debeat, matrimonium omnino videtur impediendum. Constat enim de impossibilitate copulae perfectae : sola autem *possibilitas* generationis, non probabilis, ad actum quo uterque sexus alterum complet, insufficiens videtur. In dubio *facti* positivo et probabili circa impotentiam *absolutam*, licet matrimonium ob rationem supra datam et quia solo experimento facultas potest probari. Experimentum licitum est donec dubium excludatur. Qui *relativa* tantum impotentia probabiliter laborat, *certum* matrimonium eligere *debet* (cf. Vermeersch, *Th. Mor.*, III, n. 773).

3. « Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit » (c. 1068, § 3). Generatio enim nec finis unicus matrimonii in genere, nec finis eius necessarius in individuis est.

4. Si impedimentum detegatur *post* initum matrimonium, *authentica* declaratione nullitatis opus est, quae testimonio periti medici nitatur. Si impedimentum facto dubium manet, sed certa est inconsummatio et partes separari cupiunt, praestabit a S. Sede dissolutionem matrimonii rati non consummati obtinere, cum probabilis impotentia causam sufficientem suppeditet.

III. DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS

342. - « Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei » (**c. 1069**, § 1).

Vinculum matrimonii ex omni et solo contractu valido oritur, sola alterius morte *per se* tollitur, et iure naturae impedimentum dirimens est matrimonii alius. De dissolutione matrimonii ex privilegio Paulino vel a R. Pontifice, infra fuse agetur, n. 427, ss.

343. - « Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit » (**c. 1069**), § 2.

Certitudo de nullitate aut solutione prioris vinculi *moralis* sit oportet. *Legitime* constabit declaratione authentica S. Sedis aut Ordinarii, quae nitetur *documento* authentico, aut *depositione* duorum testium iuratorum, fide dignorum, de facto proprio testantium, aut praesumptione aut *sententia* iudiciali (c. 1960, ss.) (1).

Si personae quae legi clandestinitatis certo astringuntur, matrimonium civile contraxerunt a quo divortium civile obtinuerunt, Ordinarius vel parochus (consulto Ordinario) transitum ad novas nuptias sine ulla forma iudiciali permittere possunt. (Cf. Resp. *Comm. I. C.*, 16 oct. 1919, ad 17. — AAS, XI, 1919, 479. *Per.*, X, 102).

Quid secum ferat permissio transitus ad novas nuptias, cf. supra n. 316.

Qui, non obstante priore vinculo, mala fide attentat aliud matrimonium, contrahit impedimentum criminis, si matrimonium consummat (c. 1075) : fit irregularis ex delicto (c. 985, 3°) ; infamis iure (c. 2356) ; obnoxius est interdicto vel excommunicationi f. s. ab Ordinario, si persistit in illicito contubernio (c. 2356). Cum sit publicus peccator, arcendus est a sacramentis et, nisi dederit signa paenitentiae, sepultura ecclesiastica privandus.

IV. DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS

344. - « Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa » (**c. 1070**, § 1).

Disparitas cultus stricte habetur inter duas personas quarum altera est valide baptizata, altera vero non baptizata. Quare cum mixta religione non est confundenda, etsi in nonnullis documentis « mixta matrimonia » dicantur ea quae cum disparitate cultus et quae cum mixta religione inita sunt.

Impedimentum dirimens quod *ante Codicem* ad *omnes* fideles extendebatur, *nunc* directe illos tantum afficit qui sunt in *Ecclesia catholica baptizati* aut ad eam ex haeresi vel schismate *conversi*, indirecte vero infideles attingit. Atque ad hanc legis mitigationem in matrimoniis a die 19 maii 1918 initis sedulo erit attendendum. Ab illa enim die, matrimonia eorum qui in secta acatholica sunt baptizati nec umquam ad Ecclesiam redierunt cum infidelibus contracta, valida sunt.

In *Ecclesia catholica baptizati certo* sunt : *a*) qui adulti in eam per baptismum ingredi voluerunt ; *b*) omnes pueri quos parentes vel tutores, sive catholici sive acatholici, in Ecclesia catholica baptizari voluerunt ; *c*) omnes pueri vel adulti a

(1) Cf. SCHLENZ, I., *Wiederverehelichung auf Grund der Todeserklärung des anderen Gatten*, etc. in *Arch. f. k. KR*, 1918, 51 ss. ; 1924, 206, ss.

atholico viro in vitae discrimine baptizati, parentibus, si fuerint pueri, [illegible] entibus. — *Probabilius* tales quoque habendi sunt pueri qui, [illegible] parentibus, riam acatholicis, ab homine catholico baptizati sunt. HILLING [illegible] oluntas eius qui pueri educandi ius habet omnino observanda sit (*Arch. f. k. KR.*, 927. 180). Sed *acatholici* dicendi sunt quos parentes vel tutores baptizandos urarunt cum intentione educationis acatholicae.

Ad Ecclesiam catholicam *conversi* censentur pueri qui, licet extra eam baptizati, quo tempore usum rationis adepti sunt, a parentibus vel tutoribus catholice ducabantur.

Quaeritur num impedimento disparitatis cultus afficiantur ii qui in Ecclesia catholica baptizati, ab infantili tamen aetate in haeresi, chismate vel infidelitate educati sunt. *Affirmative* respondendum censemus, quia :

1° Iuxta textum canonis 1070, § 1 non excusantur ;

2° difficultas contra hanc interpretationem mota e periculo nullitatis matrimonii legislatorem fugere non potuit, cum paulo infra, c. 1099, § 3 ipsos a forma sollemni explicite excusaverit.

CAPPELLO, III, n. 412 certo exclusos ab impedimento habet eos qui « casu vel contra praescriptum cc. 750. 751 baptizati fuerint a ministro catholico atque in secta... iam ab infantia educati fuerint », censet autem rem non liquere ubi agitur de eo qui ab acatholicis natus, sed in Ecclesia catholica legitime baptizatus, in haeresi, schismate vel infidelitate educatus est ; VLAMING, *o. c.*, n. 289 ad S. Sedem in singulis casibus recurrendum dicit. Plerique scriptores difficultatem non movent. E modo quo de obligatione formae loquuntur, AUGUSTINE, *o. c.*, in c. 1099, § 3 et FERRERES, *Comp. theol. mor.* II. n. 1085 nostrae sententiae adhaerere deberent. Scriptor periodici *Ami du clergé* qui impedimentum dubium dubio facti (?) prius sentiebat (1924, 170, n.), motus dein resp. *S. O.* 1 apr. 1922 (1) ad nostram sententiam accessit (1925, 408).

Donec contraria S. Sedis declaratio occurrat, sententiam affirmativam, quam propugnamus, solam serio probabilem habemus. CAPPELLO enim III, 412 excipit tantum eos qui in Ecclesia catholica illegitime baptizati sunt ; necessitas autem recursus ad S.S. in singulis casibus, ut VLAMING, *o. c.* vult, nullo argumento positivo nititur.

345. - *De baptismo dubio relate ad matrimonium.* Duplex quaestio hic bene distinguenda est, sc. quomodonam indicandum sit de baptismo dubio relate ad matrimonium *contrahendum*, quomodonam ad matrimonium *contractum.*

1. Ad matrimonium *contrahendum* : *a*) si, peracta investigatione, dubium positivum supersit de *collatione baptismi*, recurrendum erit ad praesumptiones, quarum exempla vide in *Resp. S. O.*, 1 aug. 1883. — *Coll. P. F.*, II, 1605. Factum enim non praesumitur, sed probatur.

b) Ille cuius baptismus *dubii valoris* est, valide baptizatus in foro

(1) Cf. *N. R. Th.*, 1925, 495 ubi benignam sententiam in praxi probabilem aestimabamus. DE SMET, n. 586 eidem atque nos sententiae omnino adhaeret.

externo censetur, ideoque legibus ecclesiasticis, et in specie impedimentis iuris etiam ecclesiastici in eodem foro tenetur. (Cf. Decr. *s. o.*, 4 febr. 1891. — ASS, XXVI, 63). In dubio enim standum est pro valore actus.

Quia tamen praesumptio in foro interno veritati cedit, si pars dubie baptizata catholice vivere velit, sub condicione iterum baptizanda erit, quo simul medium salutis necessarium conferatur et validitas matrimonii omnino certa in utroque foro reddatur. — Si pars acatholica, dubie baptizata, converti noluerit, omnino prohibetur iteratus eius baptismus sub condicione. Quo casu ad dispensationem recurrendum erit, sc. dispensationi super mixta religione dispensatio super disparitate cultus ad cautelam additur (cf. *Facult. quinq. S. Off.*, n. 1. — *Epit.* I, App. III).

2. De dubio baptismo relate ad *matrimonium contractum.* « Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur, aut eius baptismus erat dubius, standum est ad normam c. 1014 pro valore matrimonii donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam » (**c. 1070**, § 2).

1. Si post contractum matrimonium, dubium oritur de *facto* recepti baptismi, neque in favorem facti habeatur communis opinio de qua c. 1070, § 2, ad alias praesumptiones recurrendum erit.

2. C. 1070, § 2 universalem praesumptionem in favorem validitatis matrimonii statuit. E contra, sub iure anteriore, baptismus dubius in ordine ad validitatem matrimonii etiam contracti praesumebatur validus. Quare pro variis casibus, matrimonium modo validum, modo invalidum praesumebatur (1). Haec erat exceptio principio iam tunc valenti « Matrimonium gaudet favore iuris ». Nunc, contra, baptismus dubius modo validus, modo invalidus praesumitur, prout validitas praesumpta matrimonii exigit.

3. Praesumptio in c. 1070, § 2 statuta est *iuris tantum* et veritati cedit, ut ex ipso textu eruitur « donec certo probetur... » et ab investigatione facienda non eximit.

Interpretatio huius c. 1070, § 2 triplici quaestioni locum dat, quam hic solvere conabimur.

1° Referturne ad omnia matrimonia an ad ea tantum de quibus in § 1, sc. inter partem *non baptizatam* et partem *catholicam* (sive talis fuerit ex baptismo, sive talis evaserit conversione ad fidem catholicam) ?

Contra atque in priore editione putabamus, nunc cum plerisque canonistis admittimus c. 1070, § 2 ad matrimonia tantum referri de quibus in c. 1070, § 1. Argumentum nostrum est hic praesumptionem inutilem et interdum absurdam statui, si applicaretur etiam matrimoniis inter partes acatholicas initis. Nam a d. 19 maii

---

(1) Cf. v. g. Decr. S. O., 29 sept. 1734 ; 29 apr. 1840 ; 3 apr. 1878 ; 1 aug. 1883, etc.

1918, matrimonium inter partem non baptizatam et partem certo acatholice baptizatam est certo validum.

2° An c. 1070, § 2 praesumptioni qua baptismus dubius in ordine ad validitatem matrimonii validus censebatur sufficit *novam praesumptionem*, sc. validitatis matrimonii, ubi haec a dubio impedimento disparitatis cultus pendet?

Id pro certo habemus cum plerisque canonistis v. g. VIDAL, *o. c.*, V, n. 270; DE SMET, *o. c.*, n. 587; TRIEBS, *Prakt. Handb.*, II, § 48, p. 329; VERMEERSCH, *Theol. mor.*, n. 779; contra ARENDT, *Ius Pont.*, V, 1925, 133. CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 419 admittit mutationem pro uno casu, quod nobis sufficit. Argumenta nostra videsis in *Per.*, XVII, 153*, ss.

3° An praesumptio in c. 1070, § 2 statuta etiam matrimoniis ante Codicem contractis, sed de quibus nunc disceptatur, applicanda est?

Affirmative respondendum censemus, etsi in quaestione difficili, contraria responsio authentice declarari possit.

Sic argui potest. *Praesumptio validitatis* matrimonii non est forma quaedam seu medium probationis, sed *dispensatio probationis* ex coniectura legislatoris. Cf. c. 1014. Atqui praesumptiones legales regunt facta etiam sub lege priori posita. Nam nova praesumptio legis censenda est melior priore. Si quis putet praevalere praesumptionem in favorem validitatis baptismi, qui certo est collatus, respondebimus Codicem, ubi agitur de dubia matrimonii validitate prorsus ignorare illam praesumptionem, unam vero proponere sc. in favorem validitatis matrimonii. Neque nostra interpretatio ullo modo principium c. 10 offendit de non retroactione legis. Qui ante Codicem contraxit, ad normam veteris legis contraxit. Sed de modo solvendi dubium circa contractum, nullum ius acquiri potuit, si excipias valorem actorum et testimoniorum sub veteri lege validorum (1).

346. - 4. « Quae de mixtis nuptiis in cc. 1060-1064 praescripta sunt, applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus » **(c. 1071).**

Si cautiones non praestentur, dispensatio *ante* matrimonium a Superiore *delegato* valide concedi nequit; ad matrimonium convalidandum, dispensatio conceditur a S. Sede tantum si gravis urgeat necessitas (Cf. Resp. *S. O.* 21 iun. 1912. — AAS, IV, 1912, 443).

Iuxta instr. *S. O.*, 16 sept. 1824, dispensatio ab impedimento disparitatis cultus secum ferebat dispensationem ab iis impedimentis (relativis), a quibus exempta est pars infidelis, v. g. a consanguinitate in quarto vel tertio gradu, etc. (cf. *Coll. P. F.*, n. 784. WERNZ, *l. c.*, n. 40, VII et 510). *Probabilius* vigere adhuc hanc implicitam dispensationem, quia ad stylum Curiae pertinebat, qui salvo contrario Codicis textu, retinendus est (cf. c. 20) asserunt CAPPELLO, III, 422; CHELODI, *o. c.*, n. 81; *Ami du clergé*, 1920, 363, ss. 410, ss. (Cf. *N. R. Th.* 1920, 532). (2) Negant omnino DE SMET, *De sponsalibus*, n. 591 et VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III, n. 779; non enim habetur stylus Curiae nunc vigens (c. 20) et Codex implicitam dispensationem, quam concedit, exprimit (cf. c. 1036, § 3).

(1) De hac controversia cf. *Per.* XVII, 153*, ss.

(2) G. PAYEN, S. J. asserit hanc sententiam certam esse e resp. privato S. S. ad Vic. Ap. Mong. or., 2 dec. 1922. *De matrimonio*, I, n. 1122.

V. DE IMPEDIMENTO ORDINIS SACRI

347. - 1. « Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti » (c. 1072).

Impedimentum ligat omnes qui valide et liberi a metu, etiam iuste incusso, in Ecclesia latina ad subdiaconatum evecti sunt.

Impedimento non tenetur qui saltem in confuso conscius non erat obligationis continentiae servandae ordini sacro annexae. Hanc enim obligationem e qua impedimentum oritur, Ecclesia ignoranti imponere non vult (WERNZ, IV, n. 394), immo iuxta quosdam omnino non potest (CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 434). Quare frustra quis afferat c. 16 de obligatione legis irritantis (1), cum impedimentum clericum non immediate vi ordinationis liget. Quae sententia est omnino tuta. At ignorantia huius legis numquam praesumitur, sed probanda est.

A caelibatus lege presbyteris fere numquam, etiam a S. Sede, dispensatio concessa est ; immo nec in periculo mortis, sine *speciali* S. Sedis facultate concedi posset (c. 1043).

Clerici in sacris constituti qui matrimonium etiam civile attentaverint, plectuntur excommunicatione l. s. Sedi Apostolicae simpliciter reservata (c. 2388, § 1) ; amissione omnium officiorum (c. 188, n. 5) ; fiunt irregulares delicto (c. 985, 3°). Si a turpi concubinatu recedere noluerint, degradandi sunt (c. 2388, § 1).

2. Impedimentum ex sola *lege* ecclesiastica oritur, sive Ecclesia illud immediate cum receptione ordinis coniunxerit sive addiderit hanc vim voto ordinibus recipiendis implicito. Quare qui coactus sacros ordines recepit, impedimento dirimenti vi *voti* non tenetur, si certa est coactio, neque vi *legis* teneri censent plerique auctores. At in foro externo coactio probanda erit (2).

In Ecclesia Orientali schismatica et in plerisque ecclesiis unitis, licet clericis ante subdiaconatum (qui apud illas non est ordo *sacer*) vel diaconatum uxorem ducere et post receptos quoque ordines matrimonio uti, exceptis aliquot diebus antequam sacra litent (3). In Statibus Foed. Americae sept., sacerdotes ritus orientalis ad sacrum ministerium non admittuntur, nisi legi caelibatus se conforment (AUGUSTINE, V, ad canonem 1072).

VI. DE IMPEDIMENTO PROFESSIONIS RELIGIOSAE

348. - 1. « Item invalide matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi » (c. 1073).

Effectus impedimenti non oritur ex voto quod matrimonium per se prohibet,

---

(1) GASPARRI, *De matrimonio*, nn. 301. 588. CERATO, *De matrimonio*, n. 67, 2.
(2) Cf. ARENDT in *Ius pont.*, 1928, 63, s. ; 168, s. WERNZ-VIDAL, *o. c.*, n. 285.
(3) Id esse consilium aut non excedere levem obligationem asserit CAPPELLO, *o. c.*, n. 436.

sed ex *sollemnitate* professionis seu efficacia speciali ipsi ab Ecclesia adduta. In sola Societate Iesu, ex privilegio cum aliis non communicabili, votum simplex castitatis a Scholasticis et Coadiutoribus laicis emissum, matrimonium contrahendum dirimit (1).

Cessat obligatio obtento indulto saecularizationis aut legitima S. Sedis dispensatione (2).

2. Regulares et Moniales qui ligati sollemni professione matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumunt, plectuntur excommunicatione l. s. Sedi Apostolicae simpliciter reservata (c. 2388, § 1); religiosi irregulares ex delicto fiunt (c. 985, 3°); tamquam ipso iure legitime dimissi habendi sunt (c. 646, § 1, 3°).

VII. DE IMPEDIMENTO RAPTUS

349. - *Notiones.* - Raptus est violenta abductio personae de loco ad locum. Abductioni *interdum* aequiperatur iuridice et moraliter retentio violenta personae in loco ubi commoratur. Victima potest esse mas aut femina. Sed ubi de impedimento matrimonii agitur, raptus solius feminae lege sancitur.

Raptus violentiae est abductio dolo vel vi mulieris cuiuslibet invitae, libidinis explendae aut matrimonii explendi causa. Raptus *seductionis* dicitur, ubi mulier non sui iuris *volens*, at insciis vel invitis parentibus aut tutore, sub quorum potestate est, libidinis aut matrimonii causa, sine vi abducitur (Cf. c. 2353).

Non omne *crimen* raptus impedimentum inducit, a quo formaliter et materialiter distinguitur; fines enim raptus varii esse possunt.

350. - *Impedimentum.* - 1. « Inter virum raptorem et mulierem, *intuitu matrimonii* raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium » (c. 1074, § 1).

Cum legislator libertati naturali favere et iniuriam maximam punire intendat, raptus seductionis (quia mulier consentit) impedimentum non producit. Ex eodem legis fine, impedimento, etsi iuris est mere ecclesiastici, semper videtur ligari fidelis contrahens cum infideli, si mulier est rapta (Cf. Wernz, IV, 279. Gasparri, *l. c.*, n. 562).

2. « Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet » (c. 1074, § 3).

Certa igitur fit forma impedimenti, de qua ante Codicem disputabant (cf. Wernz, *l. c.*, n. 280, I). Nota finem retentionis esse debere matrimonium, non

(1) Gregorius XIII, C. *Ascendente Domino*, 25 maii 1584.
(2) Cf. *Epitome*, I, n. 741.

libidinem, ut impedimentum oriatur. — Si ergo mulier intuitu libidinis explendae retenta, sponte in matrimonium consentiret ne violaretur, impedimentum non oriretur.

3 Si mulier vi abducta, *libidinis* explendae causa, postea *intuitu matrimonii* vi retineatur, oritur nunc certum impedimentum (c. 1074, § 3), quod ante Codicem dubium erat (Cf. WERNZ, IV, 280, nota 29). Violentia sufficit moralis et relativa.

4 Cessat impedimentum « si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum habere in virum consenserit » (c. **1074**, § 2).

Rarissime dispensatur, sc. fere semper exigitur ut mulier, iam matrimonio consentiens, in locum tutum ac liberum reducatur. — Notandum est impedimentum non cessare ex eo quod mulier iam in matrimonium consentiat, quandiu in potestate raptoris manet.

Exclusione ab actibus legitimis ecclesiasticis et aliis poenis f. s. plectitur delictum raptus violentiae *et* seductionis, non autem violenta mulieris retentio (c. 2353).

VIII. DE IMPEDIMENTO CRIMINIS

351. - 1. Iure ecclesiastico nullum est matrimonium inter eos qui, in certis adiunctis, complices in adulterio vel coniugicidio committendo fuerunt. — Directe ligantur soli fideles : at etiam ignari, ut ex c. 16 constat. Haec enim lex irritans non inter poenales recensetur (1).

2. (c. **1075**) « Valide contrahere nequeunt matrimonium : »

« 1° qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt ; ».

Ad impedimentum requiruntur : *a*) *Adulterium verum*, cum scil. alteruter saltem complex validi matrimonii vinculo ligatur ; *consummatum*, i. e. copula cum effusione seminis in vaginam ; *formale* ex utraque parte, i. e. in quo uterque novit alterutrum esse coniugatum.

Nota in textu Codicis voces « legitimo matrimonio » adhiberi cum significatione *valide contracti* matrimonii, etiam inter fideles.

b) *Promissio* absoluta, libera, acceptata externe, mutua, de matrimonio *post* dissolutum coniugium ineundo, adulterio accedens, *iniuriosa* exsistenti matrimonio aut *matrimonium*, etiam per civilem tantum actum, attentatum. Promissio matrimonii facta v. g. ob instantiam coniugis mox morituri non esset matrimonio iniuriosa neque delictum qualificare posset. Ita saltem DE SMET, *o. c.* n. 659 et est probabile.

c) *Coniunctio utriusque* actus in eodem matrimonio.

Quare nullum esset impedimentum, si promissio, stante matrimonio facta, ante adulterium esset sincere et externe retractata.

---

(1) Etiamsi nullitas ex hoc impedimento orta tamquam poena consideraretur (quod erroneum arbitramur), ignorantia impedimenti ab eo non eximeret, vi c. 2229, § 3, 1°. Poena enim esset « vindicativa latae sententiae ». CLAEYS-SIMENON, *Manuale l. c.*, n. 167.

« 2° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit » ;

Condiciones impedimenti sunt : *a*) *adulterium*, ut supra ;

b) *mors* coniugis machinata ab alterutro adulterorum :

Silentio Codicis non prohibemur censere intentionem matrimonii contrahendi requiri in coniugicida ; sed haec intentio iure praesumitur.

Si coniugicida infidelis est, impedimentum non incurritur. Cum enim lege mere ecclesiastica non ligetur, impedimento directe non attingitur, quo proin fidelis indirecte teneri nequit.

« 3° Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt. »

Requiritur ad exsistentiam impedimenti : *mors* veri coniugis, procurata *machinatione* utriusque complicis vera, mutua, physica vel morali, cum intentione saltem in alterutro complice matrimonii cum altero contrahendi.

Quae intentio in foro externo semper praesumitur, sed in foro interno praesumptio veritati cedit. Nec videtur requiri ut intentio alteri fuerit communicata (Wernz, *l. c.* n. 528, nota 55) ; quia tamen res satis controvertitur, ob dubium iuris impedimentum non exsistet, si intentio non fuerit communicata (1).

3. Impedimentum *multiplicatur* certo, si concurrat delictum coniugicidii cum promissione vel attentatione matrimonii coniuncta adulterio ; si delicta *diversa* multiplicantur, v. g. si quis cum eadem muliere pluries adulterium commiserit ipse cum diversis coniugatus : ex iniuria illata pluribus matrimoniis, quia uterque adulter matrimonio ligatur.

Certo *non multiplicatur* ex repetito adulterio et repetita matrimonii promissione ab eisdem, durante eodem coniugio.

Alii quidam casus dubii sunt. Quare, ut notat P. Vermeersch, *Theol. mor.*, III, n. 783, B, satius erit in petenda dispensatione condicionem personarum et adiuncta facti indicare.

4. *Dispensatio* super prima forma impedimenti censetur concessa in dispensatione data a S. Sede super matrimonio rato, non consummato, vel facta permissione transeundi ad alias nuptias, ob mortem praesumptam coniugis (c. 1053).

Cod. Civ. gall. Art. 294 : « Dans le cas de divorce admis en justice pour cause d'adultère, l'époux coupable ne pourra jamais se marier avec son complice. » Ab hoc impedimento prohibente, quod in Gallia est suppressum, in Belgio non dispensatur.

IX. DE IMPEDIMENTO CONSANGUINITATIS (c. 1076. Cf. c. 96) (2)

352. - Notiones.

Consanguinitas est vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendentium, *carnali propagatione* contractum.

(1) Cappello, *De matrimonio*, n. 498.
(2) *Epitome*, I, n. 189.

Perfecta est vel *imperfecta*, prout filii patrem et matrem vel alterum tantum communem habent : inde vocantur *germani* qui patrem et matrem, *consanguinei* qui solum patrem, vel *uterini* qui solam matrem communem habent. — Ob multiplicem causam *naturalem* qua descendentes cum ascendentibus conectuntur, *multiplex* dici potest si communis stipes multiplex est vel ad eundem stipitem multiplici linea ascenditur. — Notandum est maritum et uxorem, quoties sumuntur uti stipes, per modum unius considerari. Consanguinitas ergo inter fratres germanos non est multiplex.

N. B. Non omnis multiplex *consanguinitas* creat per se *impedimentum* multiplex.

Stipes est persona a qua tamquam a radice communi consanguinei descendunt. *Linea* est ordinata series personarum quae ab uno stipite descendunt. *Recta* vocatur si consanguineorum alter ab altero originem duxit, secus est *collateralis* vel transversa. *Gradus* est mensura distantiae unius personae ab altera in eadem linea. « In linea recta tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto. — In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae : si duo tractus sint inaequales tot gradus quot generationes in tractu longiore » (c. 96).

Mixtus dicitur gradus in linea collaterali, si alter consanguineus a stipite gradu remotiori quam alter distet.

N. B. Dum in iure Ecclesiae latinae gradus lineae collateralis definitur distantia remotioris personae *a stipite*, ius civile plerumque et ecclesiasticum in plerisque ritibus orientalibus gradum istum computant secundum generationes in *utroque* tractu, seu de consanguineo ad consanguineum, dempta sola persona de qua quaeritur. Proin, frater et soror iuxta ius ecclesiasticum latinum in primo gradu lineae collateralis, iuxta ius civile gallicum in secundo gradu sunt consanguinei.

353. - *De impedimentis iuris canonici.*

1. « In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales » (c. **1076**, § 1).

2. « In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive.... » (c. 1076, § 2).

Ante d. 19 maii 1918, irritum erat usque ad quartum gradum inclusive, non tamen usque ad quintum *tangentem* quartum ; neque nunc habetur impedimentum in quarto gradu attingente tertium.

3. « Matrimonii impedimentum toties tantum multiplicatur quoties communis stipes multiplicatur » (ibid.).

Hoc accidet : 1° Cum inter ascendentes communes gradus primi vel secundi consanguinitas saltem in secundo gradu lineae collateralis exstitit ;

Si ascendentes communes sint in primo gradu simpliciter, ut patet, matrimonium est impossibile ; non autem si communes sint in primo gradu mixto cum secundo, ut patet ex figura, p. 224.

2° Si personae consanguineae ex consanguineis prolem habeant, v. g. si duo fratres duas sorores ducant.

3° Si quis prolem habeat ex personis consanguineis, quas successive duxit.

Quartus casus vix erit practicus, si nempe nepotes ex copulis incestuosis fratris et sororis originem ducant (Cf. ARREGUI, *Summarium*, 5 ed., n. 767).

Ante Codicem, impedimentum erat praeterea multiplex, si alteruter consanguineorum ad communem stipem multiplici via ascendebat.

Regula practica ad detegendam consanguinitatem : scribantur in foliis separatis supra nomina nupturientium nomina eorum parentum usque ad tertium gradum (vel quartum, si agitur de matrimonio inito ante Codicem). Si nomen vel nomina communia inveniantur, adest consanguinitas simplex vel multiplex. — Nulla distinctio facienda est inter nativitatem legitimam et illegitimam, consanguinitatem perfectam et imperfectam.

4. *De dispensatione.*

Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis est impedimentum gradus minoris. (Cf. c. 1042, supra, n. 302, 4°). — In eo saepe facilius conceditur dispensatio. S. Sedes conquesta est saepius peti dispensationem in 2° gradu, quam tamen non nimia difficultate concedit.

354. - *De impedimento iuris naturalis.*

In *linea recta* impedimentum dirimens exsistit *certo* in primo gradu, probabilius tantum in aliis. In *linea collaterali* multi doctores, exceptis tamen paucis optimis, censent illud exsistere in primo gradu.

In dubio, servabitur haec regula practica : « Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis » (c. 1076, § 3).

Infideles qui in infidelitate matrimonium contraxerunt iuxta suas leges validum nec *certo* iure naturali irritum, non sunt contra suam voluntatem separandi, nisi ratio gravis scandali separationem exigat.

Iuxta GASPARRI, *l. c.* n. 680, in dubio de iure naturali (post initum matrimonium) « standum est pro valore matrimonii » et praxis Ecclesiae semper separandi fratrem et sororem conversos, eisdemque novas nuptias permittendi, gratis asseritur. DE SMET, *De sponsalibus*, n. 608 iam hanc sententiam omnino amplexus est.

355. - *De impedimentis iuris civilis.*

In linea recta, omnes Codices civiles dirimunt matrimonium in omni gradu. — In linea collaterali, Codex germ. excludit primum gradum (canonicum) : Codex austr. secundum ; lex angl. tertium (civilem) alii Codices (Gall. Helv. Hung.) matrimonium inter consobrinos et sobrinos non excludunt, at inter patruum et neptem, amitam (materteram) et

nepotem, (Cf. Cod. gall. art. 162. 163). Codex hisp. distinguit inter cognationem legitimam et illegitimam.

356. - *De convenientia impedimenti.*

Inter causas huius impedimenti quae afferuntur, potiores sunt necessitas removendi a consanguineis familiaritatem puritati morum periculosam ; servandi inter ascendentes et descendentes reverentiam debitam, quae actu coniugali et aequalitate societatis coniugalis laeditur ; multiplicandi inter homines vincula caritatis. — Cavendum est ne, ex factis haud satis perspectis, augeatur fama periculorum quibus proles nata ex matrimoniis consanguineorum exponatur. Videntur in his matrimoniis ut vitia, ita bonae dotes parentum vel ascendentium addi. Hodie tamen cum multi sponsi aliquatenus nervis laborent, periculum saepe maius fit ne inter consanguineos matrimonium proli magis noceat quam faveat.

X. DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS (c. 1077)

§ 1. DE IURE VIGENTE

357. - **Notiones.**

1. Affinitas est propinquitas quae « oritur ex matrimonio valido, sive rato tantum sive rato et consummato », et « viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et consanguineos viri » (c. 97, § 1. 2).

Stipes sunt personae quae validum matrimonium contraxerunt.

Ex hac, quae in iure ecclesiastico nova est, notione, affinitas est vinculum mere *legale*. Plures scriptores affirmant illud oriri e solo matrimonio-sacramento (cf. c. 97, § 1) (1) ; quidam ex omni matrimonio valido, etiam mere legitimo (2), alii tandem e matrimonio valido, quod consummatum fuerit (3). Praeterea G. Michiels, O. M. Cap. conatus est demonstrare impedimentum oriri ex omni matrimonio quod potestati Ecclesiae subiaceat, i. e. tum inter fideles, tum inter fidelem et infidelem, ita tamen ut non exsurgat inter partem infidelem et consanguineum infidelem partis fidelis (4). In tanta DD controversia, cum extra casum matrimonii inter duos fideles impedimentum dubium sit, vi c. 15 nullum est.

2. « Affinitas non parit affinitatem », id est neuter coniugum contrahit affinitatem cum affinibus suae compartis.

---

(1) Sic Cappello, III, n. 538 ; De Smet, *De sponsalibus*, n. 613 ; Chelodi, *De personis*, 3a ed., n. 95, etc.

(2) Noldin, III (ed. 17), n. 594 ; Oietti, S. I., in *Ius pont.*, 1925, 71 ss., etc.

(3) Vidal, *Ius matrimoniale*, n. 367 ; Vlaming, I, n. 353.

(4) *Ius pont.*, 1925, 142, ss.

3. Affinitas est simplex vel multiplex prout consanguinitatis vinculum in comparte est simplex vel multiplex. At non omnis multiplex affinitas multiplicat impedimentum.

358. - De impedimento.

1. « Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu ; in linea collaterali, usque ad secundum gradum inclusive » (c. 1077, § 1).

Impedimentum totum est ex iure ecclesiastico, quod patet praesertim ex doctrina SS. Congregationum et ex dispensationibus a S. Sede concessis. In primo gradu lineae rectae, consummato matrimonio, dispensatio practice non conceditur, saltem cum consanguineis legitimis (Cf. c. 1043. *N. R. Th.*, 1912, 528, ss.).

Impedimentum istud natura sua publicum est (Cf. supra, n. 297, 4).

2. « Affinitatis impedimentum **multiplicatur** : »

« 1° Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit ; »

i. e. quoties communis stipes inter compartem et personam cum ea consanguineam multiplex est.

« 2° Iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti » (c. 1077, § 2).

Huius multiplicationis exempla videsis in figuris 3 et 4, p. 225.

Ad *dispensationem* notandum est affinitatem in secundo gradu lineae collateralis esse impedimentum gradus minoris (Cf. supra, nn. 297,5 ; 302, 4°) ; et in supplici libello multiplicitatem vinculi non esse exprimendam *ad validitatem*, modo gradus proximior indicatus sit vel aequalis (cf. c. 1052. Supra, n. 315, 3).

§ 2. DE IURE VIGENTE ANTE CODICEM

359. - Notiones.

Affinitas erat propinquitas orta ex perfecta copula carnali, inter virum et consanguineos mulieris itemque inter mulierem et consanguineos viri. — *Stipes* tunc erant personae quae inter se copulam admiserant.

Ad affinitatem gignendam oportebat ut copula apta esset *per se* ad generationem, id est ut vir vaginam mulieris penetrasset in eamque seminasset. Copula semel habita, rite facta praesumebatur. Non pariebat affinitatem copula onanistica, sodomitica, vel incompleta, nisi semen ad os vaginae depositum conceptionem adduxisset. Quando coniuges cohabitaverant, usus matrimonii tunc quoque praesumebatur. Affinitatem producebat omnis copula perfecta, sive licita sive illicita seu extra-coniugalis.

Cum impedimentum sub hac forma iam ab a° 1918 sit suppressum


minus refert exponere notiones de affinitate simplici vel multiplici, antecedente matrimonium vel eidem superveniente.

360. - De impedimento.

1. Matrimonium dirimebat affinitas in omni gradu lineae rectae ; in linea collaterali, ex copula licita, ad quartum gradum, ex copula illicita, ad secundum gradum inclusive.


CONSANGUINITAS VEL

I



PAULUS, filius ANDREAE et nepos TITII, duxit Mariam, suam consobrinam. Inter CAÏUM, nepotem IOANNIS et BERTHAM exsistit 1o consanguinitas in 2o gradu lineae collateralis ; 2o consanguinitas in 3o gradu. Habent duplicem stipitem communem, sc. IOANNEM et TITIUM : ad hunc autem BERTHA non per IOANNEM tantum, sed et per ANDREAM, i. e. linea diversa ascendit.

II




N. B. FABIANUS et CYPRIANUS sunt fratres. CAECILIA et BIBIANA sunt sorores. *Unde* EUSEBIUS et MARTINA habent ex avo et avia utrumque proavum communem. — Consanguinitas in 3° gradu *duplex*.

Quod ad effectus affinitatis, matrimonium *putativum* et, saltem probabilius, omnis unio quae speciem et figuram habebat matrimonii, valido matrimonio aequiperabatur (WERNZ, IV, n. 433, GASPARRI, *l. c.*, n. 68[illegible]).

Impedimentum oriebatur e solo iure ecclesiastico. Cum tamen affinitas, sic intellecta, vinculo *naturali* niteretur, ante baptismum contracta, post conversionem [h]abebat impedimentum matrimonii.

AFFINITAS MULTIPLEX


I



N. B. 1. CASIMIRUS successive duxit TERESAM, PRAXEDEM 2 sorores. GREGORIUS et MARGARITA sunt cognati in 2° gradu cum CASIMIRUM avum communem habeant. Praeterea, in 3° gradu habent FRANCISCUM proavum communem. Ergo *duplex* cognatio cum duplex sit stipes communis.

2. *De affinitate.* CAÏAM duxit THOMAS; CAÏA uxor THOMAE est affinis LEONI in 1° et 2° gradu lineae collateralis, cum THOMAS sit in iisdem gradibus LEONI cognatus.

II



A habet 2 filios A' et B qui habent singuli duas filias, b et c; b' et c'; b et c sunt sorores, quarum b' et c' sunt consobrinae. Si D ducit successive b, dein eius consobrinam b', contrahet cum c et cum c' duplicem affinitatem sc. in 1° et 2° gradu.

2. Convenientia huius impedimenti cui nunc alia impedimenta quadantenus supplent, iisdem *fere* rationibus atque impedimentum consanguinitatis commendabatur.

3. Prout oriebatur ex copula licita vel illicita, erat natura sua publicum aut occultum.

4. *Cessavit* ista forma impedimenti ipsa lege, d. 19 maii 1918. Qua legis mutatione matrimonia non convalidata sunt; sed convalidari poterunt sine dispensatione inter personas quae *hodierno* iure sint liberae, non tamen nisi renovato consensu, saltem ab una parte, impedimenti conscia (Cf. infra, n. 449).

XI. DE IMPEDIMENTO PUBLICAE HONESTATIS

§ 1. IUS VIGENS

361. - 1. « Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice-versa » (c. **1078**).

Unio voluntatum et familiaritas quae inter eos qui vitam coniugalem, etiam invalido matrimonio nitentem, intercessit, ratio est cur minus honeste matrimonium cum propinquioribus alterius contrahatur. Ecclesia illam honestatem impedimento dirimente sancivit, quod totum est iuris mere ecclesiastici.

2. Prima causa impedimenti est matrimonium invalidum.

Oriturne etiam ex matrimonio invalido *ob defectum consensus*? De hac exceptione adeo dissentiebant canonistae ut nemo illam silentio suppressam sine intentione legislatoris censeat. Ideo quaecumque sit causa invaliditatis matrimonii, impedimentum adesse dicemus. Confirmatur haec sententia eo quod ex ipso concubinatu oritur impedimentum.

Quod si multo severior videatur inde lex facta, contrarium statim patebit consideranti nullum impedimentum in linea *collaterali* statui, ex qua mitigatione difficultates multae removentur.

3. Altera causa est concubinatus publicus vel notorius. Concubinatus est modus vivendi coniugalis inter duas personas quae sine ulla specie vinculi matrimonialis commercium carnale habitualiter et ex condicto habent. (Cf. De Smet, n. 628). — Concubinatus, cum sit delictum, publicus est « si iam divulgatus est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri » (c. 2197).

Quod Leo PP. XIII iam aperte declaraverat, sc. non incurri impedimentum ex matrimonio invalido ubi *solus actus civilis* ab iis positus est qui lege formae sollemnis tenentur, confirmavit resp. *CIC*, 12 mart. 1929, II (1).

(1) Cf. Comm. interpr. Resp. 12 mart. 1929. AAS., XXI. 1929, 170. — *NRTh.*, 1929, 683. — *Per.*, XVIII, 1, 2.

At responsum istud addit « independenter a cohabitatione ». Fideles enim qui c. 1099, § 1 subiecti, contractum mere civilem ineunt, *si cohabitaverint*, in notorio concubinatu vivere dicendi sunt. Nova ergo forma impedimenti ligabuntur. Baptizati autem quibus matrimonium civile validum est quia sive e lege, sive ex adiunctis, sollemnitate ecclesiastica non tenentur, impedimentum istud non contrahent, sed tantum affinitatem.

4. Impedimento, prout iacet, ligari acatholicos baptizatos non est ur in dubium vocetur. Quid autem de sponsis, qui *infideles* vixerunt in matrimonio invalido aut in publico vel notorio concubinatu, si istud vinculum eorum baptismo non superfuit ? Subiacentne impedimento post baptismum ?

Sub veteri iure conversi ex infidelitate tenebantur affinitate in infidelitate contracta, i. e. vinculo naturali ex copula sive licita sive illicita orto (*Coll. P. F.* nn. 1235-1245, etc.), non autem publica honestate (ibid. n. 1254).

Eos nova forma impedimenti non ligari censemus. Haec enim vinculo carnali non nititur, nam etiam ex matrimonio invalido non consummato oritur. Immo mutata notione affinitatis, videtur legislator ab actu velle abstrahere, cuius probatio variis incommodis laborat et saepe est impossibilis. — Quod si impedimentum ex vinculo morali oriatur, illud in priori impedimenti forma, etsi minori titulo, vere tamen exsistebat. Iamvero infideles tunc non ligabantur. Tandem si infideles post baptismum eo ligaveris, utriusque impedimenti causae videntur subiciendi. Quo fiet ut, ex hoc saltem fonte, magis quam antea impediantur ; quod novis circa impedimenta legibus minus consentire videtur. De Smet, n. 632 dubitat pro secunda impedimenti causa ; Vidal, n. 383 censet potius [videtur] eos ligari secunda causa. Nobiscum Cappello, III, n. 552.

5. Sola dispensatione impedimentum cessare potest, quod in secundo gradu inter impedimenta minoris gradus recensetur (c. 1042).

§ 2. DE IURE ANTERIORE

362. - 1. Notio. Publica honestas erat propinquitas quaedam personarum seu quasi-affinitas orta ex sponsalibus validis vel ex matrimonio rato dirimens, propter honestatem, matrimonium contrahendum fidelium cum consanguineis etiam illegitimis alterius partis intra gradus in iure expressos (Wernz, IV, n. 446).

Impedimentum oriebatur ex sponsalibus vel ex matrimonio rato, eratque simplex vel multiplex.

2. De impedimento ex *sponsalibus*. *a*) Impedimentum dirimens erat solius iuris ecclesiastici et infideles, etiam post baptismum, non ligabat; *b*) requirebantur sponsalia valida, absoluta (saltem post purgatam

condicionem), certa ; *c)* extendebatur ad primum gradum in linea recta et collaterali.

3. De impedimento ex *matrimonio rato. a)* Oriebatur ex matrimonio *tantum rato* (probabiliter), sive valido sive invalido, absolute celebrato, modo invaliditas non proveniret ex defectu naturali vel canonico *consensus.* — Certo non oriebatur impedimentum ex matrimonio civili, spreta forma Tridentina vel Piana, neque probabiliter ex matrimonio nullo ob clandestinitatem ; *b)* infideles certo non ligabat ; *c)* extendebatur ad quartum gradum in utraque linea.

4. *De cessatione.*

a) Impedimentum, sub hac forma, cessavit nova lege (die 19 maii 1918) ; *b)* non cessabat, solutis, etiam legitime, sponsalibus vel matrimonio ; *c)* dispensatio impedimenti ex sponsalibus facilius, ex matrimonio rato in primo gradu lineae rectae difficillime concedebatur.

XII. DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS SPIRITUALIS

363. - Notio.

Cognatio spiritualis est propinquitas quaedam orta inter certas personas ex collatione baptismi vel confirmationis.

§ 1. DE IURE VIGENTE

364. - *De impedimento.*

1. Cognatio spiritualis dirimit matrimonium contrahendum inter baptizatum ex una parte et baptizantem vel patrinos ex altera parte **(c. 1079)**.

2. Impedimentum est solius *iuris ecclesiastici* et ab infidelibus contrahi non potest.

3. *Condiciones* sunt : *a)* vera, valida, incondicionata et certa baptismi collatio. Certitudo validitatis baptismi, si matrimonio tantum supervenerit, huius valori non nocet, quia tempore matrimonii impedimentum non existebat.

Cum Codex inter baptismum privatum et sollemnem non distinguat, videtur oriri ex utroque impedimentum inter baptizatum et baptizantem atque patrinos ; quae sententia iam ante Codicem multo communior erat.

b) minister baptismi baptizatus.

c) patrinus (vel matrina) valide baptizatus, usu rationis pollens, legitime, etsi forte illicite, designatus, valide ac proin scienter et deliberate et tactu physico (saltem per procuratorem) munus implens (Cf. c. 765).

4. *De cessatione vel dispensatione.*

Cessat sola dispensatione. Est gradus minoris ; ab eo ergo episcopi, iusta ac rationabili de causa, e facultatibus specialibus nunc concedi solitis dispensare possunt.

§ 2. DE IURE ANTE CODICEM

365. - Cum casus sint valde rari, haec sufficere videntur :

1. Oriebatur impedimentum sive e baptismo sive e confirmatione, — inter ministrum sacramenti et patrinos ex una parte, inter eosdem et baptizatum (vel confirmatum) *atque* istius parentes naturales ex altera parte.

2. Iuxta sententiam extrinsece (1) probabilem, non contrahebatur a patrinis in baptismo privato, etsi sententia opposita fere communis erat. Parentes legitimi puerum baptizantes, ex cognatione spirituali ius petendi debitum numquam amittebant.

XIII. DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS LEGALIS

366. - 1. Qui lege civili *inhabiles* ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici valide inter se contrahere (**c. 1080**. Cf. supra, n. 328).

Impedimentum dirimens existit quoddam in iure italico (art. 60. 104) et hispanico (a. 84).

2. Quicquid impedimentum civile tollit, ecclesiasticum quoque impedimentum removet, non tamen *dispensatio* a potestate civili concessa.

Dispensatione enim non tollitur lex ; sed dispensatus *in hoc casu* ab ea eximitur. Superior autem civilis super lege canonica dispensare non potest.

Caput. V. - De consensu matrimoniali

Ordo materiae. Postquam consensus matrimonialis notio et efficacia definitae sunt (c. 1081), proponuntur eius vitia (cc. 1082-1087), manifestationis forma (c. 1088-1091), condicionum efficacia (c. 1092), perseverantia (c. 1093).

Art. I. - De consensus natura

367. - « Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus ; qui nulla humana potestate suppleri potest » (**c. 1081**, § 1).

1. Matrimonium, cum sit contractus, consensum partium tanquam elementum *necessarium* exigit. Habilitas personarum iure naturali et positivo determinatur. — Manifestatio consensus *per se* quolibet signo externo, ex iure positivo in forma sollemni *plerumque* est facienda.

2. *Sufficit* consensus rite praestitus ut matrimonium existat. Hoc asserto, quo doctrina Ecclesiae certa proponitur, directe reicitur opinio eorum iuxta quos copula matrimonium consensu inchoatum sola perficiebat, ita ut sacramentum fieret et omnino indissolubile. Haec doctrina quae praesertim saec. XII° in schola Bononiensi viguit, defensores quosdam saec. XIX° quoque nacta erat, inter quos praecipue FREISEN, I., *Geschichte des canonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenlitteratur*. At in altera sui operis editione (Paderborn, 1893,

(1) LEHMKUHL, *Theol. mor.*, II, n. 758.

auctor sententiam retractavit, quia etsi quibusdam argumentis historicis nititur, cum doctrina manifesta Ecclesiae conciliari posse non videtur.

3. Potiori iure quam in omni alio contractu, consensus debet esse internus, liber, externe manifestatus, legitimus. Requiritur praeterea ut sit simultaneus. Debet ergo tempore quo altera pars consentit, alterius consensus saltem habitualiter perseverare.

De vi condicionum, agitur infra, n. 379.

Art. II. - De vitiis consensus

368. - Vitiant consensum ignorantia et error (cc. 1082-1085), dissensus internus voluntatis (c. 1086), defectus libertatis ex vi et metu (c. 1087).

Error ab ignorantia distinguitur quia dum ille est falsum iudicium, haec carentiam iudicii notat.

Errorem omnes distinguunt 1° *antecedentem, concomitantem*, prout causa fuit contractus aut simpliciter cum eo exsistit quin eius motivum fuerit;

2° *iuris* aut *facti*, prout versatur circa *exsistentiam* vel *naturam legis* vel *contractus* aut circa *adiuncta* materialia *actus*. Errorem iuris habes in eo qui matrimonium dissolubile ob adulterium reputat, errorem facti in eo qui sponsam pauperem pro divite, servam pro libera habet.

§ 1. DE IGNORANTIA VEL ERRORE

369. - I. *De ignorantia vel errore circa naturam contractus.*

« Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos » (**c. 1082**, §. 1).

Adesse potest mera *ignorantia* v. g. in puero, qui de natura actus coniugalis numquam cogitavit. In impubere non praesumitur scientia, quae ideo probanda est.

« Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur » (c. 1082, § 2).

Potest tamen fieri ut sponsorum alter matrimonium meram societatem amicorum esse arbitretur. Quo casu, invalidus est consensus, cum obiectum contractus ex errore non concedatur. — Non requiritur ut partes necessitatem copulae carnalis cognoverint; satis esse videtur ut sciant concursu quodam et familiaritate carnali (i. e. corporea) parentum prolem obtineri et a matre gigni. Sedulo tamen curandum est ut de toto iure officioque suo instructi contractum ineant. Qui prorsus nesciret aliquod *ius in corpus* relate *ad generationem* concedi, ipsum contractus obiectum ignoraret et nulliter contraheret (1).

370. - II. *De errore circa personam.*

1. « Error circa personam invalidum reddit matrimonium » (**c. 1083**, § 1).

(1) Sic quoque CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 582. VLAMING, *Praelectiones*, II, 523.

Error circa personam habetur ubi circa identitatem personae seu
oiectum versatur.

n isto contractu qui non potest nisi inter duas personas determinatas consistere, ae sibi ius omnino *personale* concedunt, si error est circa personam, alter cum persona noluit revera contrahere, proin de ipso obiecto contractus errat.

2. « Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui atrimonium irritat tantum :

« 1° si error qualitatis redundat in errorem personae ; »

Videtur dicendum omnem errorem qui causam det contractui, istum *per se* itare ; si tamen sit accidentalis error, contractum valere propter ratihabi nem quam exigit ius naturale ne omnia iura nutent (Cf. Vermeersch, *De stitia* 2, n. 308, ss.).

Persona non aspectu tantum externo vel nomine, sed omni qualitate potest terminari, qua ab aliis distinguitur. Error ergo qualitatis in errorem personae dundabit « si quis volens contrahere cum persona certa ac *determinata per m qualitatem*, deceptus » aliam ducit quae pro illa ipsi offertur (Cf. Gasparri, *e matrimonio*, II, n. 785). Solutio tamen casuum de hoc errore semper difficillima sa est, quia ubi condicio *sine qua non* circa hanc qualitatem expressa non t, a qualitate accidentali causam contractui dante haud facile discernitur (1).

« 2° si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam libeam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta » (c. 1083, § 2).

Servi servitute proprie dicuntur qui ita in omni usu virium et ibertatis ab alio dependent ut ab illo *alienari*, immo vendi possint. Cuius naturae non sunt neque famuli, neque coloni qui ita fundo olendo addicti sunt ut in alium locum abire numquam sinantur.

Causa nullitatis est error gravissimus, etsi accidentalis, ob quam Ecclesia ersonae ingenuae habilitatem non sustulit, sed consensum infirmavit. Nota mpedimentum in solo casu vigere quo *persona libera* de condicione alterius ecipitur.

Longe communiori sententia impedimentum est solius iuris ecclesiastici, a uo proin infideles eximuntur. Si tamen infidelis liber servam fidelem ex errore uxerit, Wernz (IV, n. 242, nota 27) matrimonium nullum, Gasparri (I, n. 640) alidum declarat, quod nobis probabilius videtur. Si enim lex consensum, non ersonam, immediate afficiat, cum Ecclesia in partem infidelem nihil possit et consensum solius personae ingenuae nullum fecisse videatur, impedimentum ndirecte non contrahitur.

Matrimonium ex errore condicionis servilis absolute et a momento contractus nullum est ideoque convalidari nequit, nisi renovatione consensus saltem a parte quae sola decepta erat vel sanatione in radice quae vix concedetur (Cf. infra, n. 446).

371. - III. *De errore iuris circa essentialem matrimonii proprietatem.* « Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem » (**c. 1084**).

(1) Exempla matrimonii cum errore initi cf. ASS, XXI, 162. AAS, XII, 1920, 51.

In contractu enim supponitur voluntas ferri in actum prouti est de iure, nisi condicio expresse apponatur. — Simplex error dicitur qui totus in intellectu terminatur, ita ut eius obiectum non fiat ipsum voluntatis obiectum. Aliud est enim contrahere matrimonium quod quis solubile reputat, immo *quia* solubile reputat, aliud nolle contrahere nisi solubile sit. Quamdiu haec intentio non adest, consensus non vitiatur, nec quaerendum quid ageret contrahens, si sciret indissolubile matrimonium, sed quid agat vel egerit. Ideoque Ecclesia validitatem admittit matrimonii Iudaeorum qui putant illud libello repudii dissolvi et Graecorum aut haereticorum, quibus adulterium causa dissolutionis matrimonii habetur. De probatione vel praesumptione condicionis in hoc casu, cf. infra, n. 381, 2°.

372. - IV. *De errore circa validitatem matrimonii.*

« Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit » (**c. 1085**).

Necessario non excludit, quia cum hac scientia vel opinione stare potest voluntas verum matrimonii contractum ineundi, quantum possibile est. Quod si nupturientes ita egerint, absente omni alio impedimento, valide contraxerunt. Haec voluntas erit examinanda v. g., si sponsi naturalem consensum praestiterint coram solis testibus vel coram magistratu civili, opinantes istum consensum esse nullum ob defectum formae a qua revera erant exempti.

§ 2. DE VITIIS CONSENSUS EX PARTE VOLUNTATIS

373. - I. *De simulato consensu.*

Simulatio proprio sensu habetur ubi contrahens non habet intentionem contrahendi, sive ioco sive serio compartem decipiat. Simulatio, ubi adest, matrimonium nullum facit ; consensus enim nulla humana potestate suppleri potest. At cum verbis suam quisque mentem plerumque manifestet neque quisquam malus praesumatur « internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis » (**c. 1086**, § 1).

Simulatio etsi difficile, demonstrari tamen potest, praesertim satis prompta rei confessione, indicata causa probabili, additis adiunctis quae simulationem vere explicant. — Plerique negant simulatorem *sacrilegii* reum esse, cum sacramentum non simulaverit, sed potius dissimulaverit. — In ficto enim contractu neque materia neque forma sacramenti ponitur.

374. - II. *De defectu consensus essentiali.*

Elementum essentiale matrimonialis consensus deficit ubi « alterutra vel utraque pars *positivo voluntatis actu* excludit... omne ius ad coniugalem actum vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem » (c. 1086, § 2). Irritus est hic consensus cum velit simul facere contractum atque elementum eius essentiale excludere. Quod repugnat.

Hic positivus voluntatis actus opponitur voluntati quae ex simplici errore dante causam contractui procedit (cf. n. 371).

A voluntate excludendi ius alterius partis prorsus est distinguendum propositum susceptas obligationes non implendi. Hoc enim propositum, etsi est graviter pecca-

minosum, omnino componi potest cum voluntate contrahendi et se obligandi. Missionarii multi hanc distinctionem sedulo notent, ut recte iudicent de valore matrimonii in regionibus ubi uxor facile a viro dimittitur.

375. - III. *De consensu vitiato per vim et metum.*

1. Notiones. Vis si physicam violentiam designat, externos tantum actus afficere potest, qui sic positi prorsus nullum valorem iuridicum, immo moralem, habent. Communiter autem intellegitur hic de *coactione morali*, ex qua metus oritur seu « instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio » (L. 1, D. IV, 2).

Metus distinguitur :

a) *gravis*, qui ob malum imminens et relate ad hanc personam grave oritur, et *levis*.

Metus reverentialis quo subditus propter offensam et indignationem vel contradictionem Superioris agit, *per se* levis habetur, nisi accedant instantes ac diuturnae preces, minae aut verbera (Cf. GASPARRI, II, 815) ; qui casus haud ita rarus habetur.

b) *ab extrinseco* et *ab intrinseco* incussus, prout causa est libera aut necessaria. Nam ex causa externa necessaria, v. g. naufragio, metus minus recte dicitur ab extrinseco incussus (Contra WERNZ, IV, 261).

Omne enim momentum causae metus quod ad contractum pendet a iustitia aut iniustitia causae. Quae distinctio : *ab intrinseco* et *ab extrinseco* non psychologica, sed iuridica cum sit, attendendum est tantum ad libertatem quae in causa metus abest aut inest.

c) *iustus* et *iniustus*.

Metus iniuste incutitur, sive *quod ad substantiam* sive *quod ad modum*, prout obligatio quae metu obtruditur vel media quibus imponitur, iniusta sunt.

Iustus quod ad substantiam, iniustus quod ad modum erit metus incussus a patre qui iuveni, filiae suae stupratori, mortem minatur ni filiam ducat vel dotet ; iustus omnino, si denuntiationem apud iudices minetur nisi aut ducat aut dotem praestet.

376. - 2. *De effectu vis et metus.*

« § 1. Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium ».

« § 2. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secum fert » (**c. 1087**).

1. Nisi metus usum rationis omnino tollat, voluntarium minuit sed non tollit. Quare contractus validos esse permittit ; si tamen gravis fuerit, rescindibiles facit eos qui rescindi possunt, ad nutum illius qui metum passus est. Quod aequitate naturali, immo saepe ex iustitia requiritur et lege plerumque sancitur.

2. Quattuor requiruntur ut ob metum consensus matrimonialis ex

lege nullus sit, sc. : *a*) metus gravis, relative ad personam consentientem ; *b*) incussus ab extrinseco ; *c*) iniustus, nam qui metum iustum patitur, eum sibi ipsi ex mala voluntate incutit.

Quid si metus fuerit iniustus tantum quod ad modum ? A priore nostra sententia recedentes probabilius matrimonium irritari dicemus quia Codex non de metu iniusto loquitur, sed de eo qui « iniuste incutitur » ; quod omnino obtinet, si metus est quod ad modum iniustus (1).

d) cogens ad matrimonium contrahendum.

Debetne metus esse incussus **ad extorquendum consensum ?** Etsi gravis inter scriptores dissensio de hac quaestione viget, sententia *affirmans* erat ante Codicem communior (cf. Lega, *De iudiciis civ. eccles.* I², p. 248, ss.). Ratio erat quod leges contrahentem ab iniustitia vindicare intendebant ; non patitur autem iniustitiam *in contrahendo* qui rem eligit ad quam ab altera parte non cogitur. Attamen Codex verbis utitur quae sententiae neganti favere videntur. Iuxta c. 1087, § 1 sufficit ad invalidandum matrimonium metus « a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium. » — Exemplo sit iuvenis qui in carcerem *iniuste* detrudendus, filiam praepotentis viri ducat a quo *solo* efficaciter protegi possit. Potuit legislator ad hanc metus formam irritationem consensus extendere ut a contractu tanti momenti, non iniustitiam tantum, sed omnem gravem coactionem removeret. Re vera fere numquam metus simul iniuste incutietur ac talis ut solo matrimonio removeatur, nisi incutiatur ad extorquendum consensum. Nobiscum Cappello, *o. c.*, n. 606, Chelodi, *o. c.*, n. 119 contra plures alios.

3. Nullum alium metum officere validitati matrimonii iam ex textu Codicis certum est. Ratio est quod alios contractus, iure naturae facit tantum rescindibiles ad nutum eius qui metum passus est, quod cum natura matrimonii repugnat ; non tollit voluntarium ; nullibi invaliditas in iure statuebatur.

4. Quonam iure metus matrimonium nullum faciat, disputant scriptores. Alii enim iure naturae id requiri censent, quia secus libertati matrimonii, cum non sit rescindibile, non esset satis provisum ; alii solo iure ecclesiastico, quia per se metus voluntarium non tollit et metum patiens ficte consentire potest et sufficit ut lege libertati matrimonii caveatur ; quibus potius astipulamur (Cf. Gasparri, II, 811).

Ab hac lege Ecclesia numquam dispensat ; iniustitiae enim aut coactioni favere non vult.

Impedimenti huius probatio saepe facilis non est. Exempla processuum nullitatis ex hoc capite plura singulis annis in voluminibus Decisionum Rotae inveniuntur.

5. Nulla iam poena decernitur in dominos vel magistratus qui subditos impediunt quominus matrimonium libere contrahant. (Trid. S. XXIV, c. 9 de ref. matr.).

Art. III. - De manifestatione consensus

377. - Ex condicionibus necessariis ad consensum rite exprimendum aliae validitatem, aliae liceitatem actus afficiunt.

Ad *validitatem* requiritur ut praesentes sint contrahentes, sive per se, sive per procuratorem consensum praestent (**c. 1088**, § 1).

(1) Ita Cappello, *o. c.*, n. 606, 3° ; cui consentiunt Chelodi, *Ius matrimoniale*, n. 119 ; Vlaming, *Praelectiones*, II, 539, aliique. Scriptores aliam sententiam ante Codicem proposuisse facilius intellegitur, cum de « iniusto metu, » potius iura loquerentur Cf. Gasparri, *De matrimonio*, II, n. 820.

A die 19 maii 1918 igitur, *matrimonium per litteras* factum est impossibile. Sub iure Tridentino, satis erat ut litterae partis absentis et consentientis coram parocho legerentur. Exigendo ut parochus exquireret et acciperet consensum, decretum *Ne temere* (2 aug. 1907) rem fecit magis impeditam. A die enim 19 aprilis 1908, parochus debuit *coram testibus* : *a*) a praesente vel per litteras ab absente consensum exquirere ; *b*) accipere consensum oretenus vel legere litteras oblatum et acceptum consensum manifestantes. Qui consensus, si non fuerat retractatus, ita lectus contractum perficiebat (1).

Consensus verbis exprimendus est, « nec aequipollentia signa adhibere ipsis [sc. sponsis] *licet*, si loqui possint » (c. 1088, § 2).

378. - *De matrimonio per procuratorem.*

Ut matrimonium per procuratorem *valide* ineatur, requiritur :

a) Mandatum *speciale* ad contrahendum cum *certa* persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus (c. **1089**, § 1).

Subscriptio mandantis semper requiritur.

« Si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato annotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet ; secus mandatum irritum est » (c. 1089, § 2).

b) Ut mandans ante contractum mandatum non retractaverit, nec in amentiam inciderit, etiam inscio procuratore vel alia parte contrahente (ibid. § 3) ;

c) Ut procurator per se ipse munere suo fungatur (ibid. § 4).

« Matrimonium per interpretem quoque contrahi potest » (c. **1090**).

Quod sub iure Tridentino ita controvertebatur ut scriptores episcopum huiusmodi manifestationem consensus vetare iuberent.

Sive per procuratorem sive per interpretem consensus praestetur, Codex vetat parochum assistere « nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia » (c. **1091**).

Atque haec etiam in nostris regionibus perpendenda erunt, cum vir religioni infensus coram parocho ipse comparere non vult.

Licentia assistendi a Superiore ecclesiastico legitime negata, patet sponsos minime versari in adiunctis quae matrimonii celebrationem sine assistentia parochi eiusve delegati validam reddunt. — De casu quo assistentia ob prohibitionem legis civilis negatur, cf. infra n. 405.

Art. IV. - De consensu matrimoniali praestito sub condicione vel sub modo

379. - Condicio *lato* sensu, est circumstantia a qua partes exsis-

(1) Cf. VERMEERSCH. *De forma sponsalium*, n. 51.

tentiam ipsius obligationis contractus pendere volunt. *Stricto* sensu, est eventus non certo futurus a quo pendet, e voluntate contrahentis, vis ipsius consensus. Condicio in sequentibus intellegitur lato sensu. Condicio non est confundenda cum adiectis *modo* aut *die*.

Cum dies (*terminus*) adicitur, designatur factum nondum exsistens, at certo futurum, a cuius exsistentia obligatio initium aut finem habebit.

Modus vero est onus eo sensu contractui accidentale quod obligationi contractus iam assumptae adicitur. Obligatio modi non incipit nisi post perfectum actum legitimum.

380. - 1. Distinguuntur condiciones :

1° De *futuro*, de *praesenti* et de *praeterito*, ex tempore quo eventus exsistit vel deficit ;

2° *Possibilis* vel *impossibilis*, prout circumstantia moraliter possibilis est vel non.

Possibilis vero condicio est *necessaria* vel *contingens*. Si eius purificatio a sola voluntate libera saltem alterutrius contrahentium pendet, *potestativa* dicitur.

Stricte potestativa est si nulla obligatio assumitur et exprimitur verbis « si voluero » ; late potestativa, si obligatio ex posito aliquo actu libero orietur, v. g. « si Parisios tetendere ».

3° *Honesta* vel *turpis*, prout proponit rem honestam aut, ex natura rei, tamquam condicionis appositae, ad peccandum allicit.

4° *Resolutoria* et *suspensiva*, prout circumstantia obligationi finem imponet vel initium dabit.

Cum matrimonium sit indissolubile, non potest contrahi sub condicione resolutoria.

2. Ex consensu condicionato triplex oritur *obligatio* : statim *a*) (plerumque saltem) de non impedienda condicionis purificatione et *b*) de servanda re integra ; *c*) purificata condicione, obligatio contractui satisfaciendi.

Servare rem integram hic significat vitare quidquid condicionem subiecti, ideoque contractus, graviter mutaret, ut si alter fornicaretur, divitias ingentes dissiparet, etc.

Condicio semel apposita, ante eventum valide revocatur, illicite tamen, nisi causa rationabilis adsit.

381. - 1. **C. 1092.** « Condicio semel apposita et non revocata :

« 1° si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habetur ; »

Praesumptio inde oritur quod hae tres condiciones legitime vel serio apponi non possunt et contrahens censetur consensum matrimonialem condicioni prae-

tulisse. Cum nulla potestas humana consensum istum supplere possit (c. 1081) praesumptio in foro *interno* semper veritati cedet.

Porro condicio *de futuro necessaria* aut ad modum verae condicionis apponitur et tunc nihil operatur ; aut ad modum diei et tunc obligationem seu contractum differt. — Condicio *impossibilis* per se facit actum nullum. — Condicio *turpis*, si valorem actus ab *obligatione* mali patrandi pendere intendit, contractum per se nullum facit : nemo enim potest ad malum patrandum obligari ; si ab *intentione actuali* mali patrandi, reincidis in condicionem de praesenti vel in contractum sub modo. Aequivalet enim huic voluntati : contraho, si hic et nunc habes intentionem talis (mali) actus ponendi aut contraho, cum onere tibi imposito et acceptato talis (mali) actus ponendi. Contractus erit validus, si compars talem intentionem revera habet. Nimis patet ex *modo* nullam revera obligationem contrahi.

« 2° Si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum ; »

Condiciones contra matrimonii substantiam sunt quae repugnant sive ipsi obiecto contractus, i. e. iuri in corpus ad actus per se aptos ad generationem, sive essentialibus matrimonii proprietatibus, sc. unitati ac indissolubilitati.

Quare De Smet. in *Eph. theol. Lov* 1927, recte contendit condicionem de prole concepta occidenda, de prole extra Ecclesiam catholicam educanda, etc. contra substantiam matrimonii non esse, etsi plerique scriptores sentiant condicionem *physicae* prolis educationi contrariam substantiae matrimonii esse (1).

Quando non excluditur ius ad prolis generationem, sed limitatur, praesumi potest validus consensus praestitus cum turpi *intentione*. Si tamen haec condicio in pactum deducta fuerit, tamquam vera condicio habenda erit. — In dubio probabili, consensus absolute renovandus est. — Matrimonia mixta vel haereticorum quae celebrantur postquam ministerius formulas legerit quae perpetuitatem matrimonii excludant, pro nullis habentur ; censentur enim sponsi consensum tantum rescindibilem, iuxta ea quae lecta sunt, praestitisse. (Cf. casus in Gasparri, II, 860, ss.)

Disputant num *pactum* (ex iustitia) de matrimonio numquam consummando, seu de virginitate in eo servanda, sit contra substantiam matrimonii. Alii affirmant, quibus haec duo pugnare videntur : concessio iuris in corpus et obligatio *ex iustitia* eo iure numquam utendi ; alii negant, cum ius ab eius usu realiter distinguatur. A solutione huius quaestionis non pendet validitas matrimonii inter B. M. Virginem et S. Ioseph, quae variis modis *explicari* potest, v. g. manifestata tantum intentione non utendi iure concesso, vel cognitione ex utraque parte voti virginitatis ab altera emissi (2).

« 3° Si de futuro licita, matrimonium suspendit ; »

« Matrimonium suspendi » duplici modo intellegi potest. Multi theologi cum quibusdam canonistis dicunt haberi tantum sponsalia de futuro, nullum vero matrimonium ; istud enim traditionem praesentem requirit. Quorum sententia admissa, facile perspicitur cur matrimonium, ante impletam condicionem, cum alia persona validum sit et, condicione impleta, consensus renovandus sit. Ex hac sola conclusione error istius sententiae eruitur. — Alii sentiunt verum consensum matrimonialem praestari, eius vero *efficaciam* ad tempus suspendi et, purificata condicione, ex rei natura ita obtineri ut consensus per se non sit renovandus. Cui sententiae si adhaeseris, difficilius perspicitur cur matrimonium cum alia persona ante purificatam condicionem contractum, sit validum. Quod nemo clare

(1) Cappello, *o. c.*, n. 631 ; Vidal, n. 158 ; Chelodi, *Ius matrimoniale*, 1919.
(2) Cf. S. Thom. IV, Dist. 30, q. 2, a. 1 et q. 2, ad 2.

explicat. Potest dici ex voluntate legislatoris, cui se contrahentes accommodare debent, *dominium* rei, i. e. ius in corpus non transferri nisi consensu absoluto sive immediate talis sit, sive purificata condicione talis fiat. Vel contra : in omni contractu **condicionato**, consensum esse *per se* revocabilem (haud sine iniustitia, ut patet) usque ad purificatam condicionem quia traditio rei non est perfecta, sed in aliis contractibus ac matrimonio, consensum ita lege firmari ut valide revocari non possit ; ubi vero de matrimonio agitur, nulla lex humana consensum supplere potest. Quae explicatio est Sanchez, *De matrimonio*, l. V, d. VIII, n. 5. (Cf. Gasparri, *De matrimonio*, n. 845, ss.)

Quando tempore contractus personae sunt inhabiles et condicio est : « si concedetur dispensatio » ex iure saltem positivo, concessa dispensatione vel alia ad habilitatem personarum necessaria condicione impleta, consensus expresse est renovandus. Haec est sententia communior.

Qui ante purificatam condicionem matrimonio utebantur, iuxta multos auctores censebantur praesumptione *iuris et de iure* condicioni renuntiasse. Haec praesumptio in novo iure non reperitur.

« 4° Si de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod condicioni subest, exsistit vel non ».

Quamdiu ignoratur utrum condicio verificetur necne, non licet usus matrimonii. Magna saepe difficultas erit demonstrandi condicionem, etiam pluries manifestatam, quae tamen in pactum non fuerit deducta. (Cf. AAS, X, 1918, 388, ss.)

2. - 1° Per se licet matrimonium sub condicione honesta contrahere. Nonnulli scriptores censent adhuc prohiberi celebrationem matrimonii condicionati, nisi accedat licentia episcopi, quia, etsi Codex de hac prohibitione taceat, aliena est haec forma tum a Rituali romano tum a consueta Ecclesiae praxi. Adde gravia incommoda quae saepe ex tali consensus forma oriri possunt.

2° *Illicite* agit qui consensui condicionem apponit inscia comparte aut omissis iis quae ad eius probationem in foro externo necessaria sint.

3° Si consensus condicionatus coram sacerdote et testibus est praestitus, impleta condicione neque forma consensus est iteranda neque *ad validitatem* parochus de ea certiorandus est.

Art. V. - De perseverantia consensus

382. - « Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare donec de eius revocatione constiterit » (c. **1093**).

Supra (n. 372) vidimus consensum matrimonialem cognitione impedimenti etiam dirimentis *per se* non excludi. — Semel praestito consensu, eius revocatio est *factum* novum, proinde demonstrandum. Inde praesumptio canonis 1093. — De revocato consensu constare debebit, sive per duos testes fide dignos sive per unum omni exceptione maiorem et iuratum, sive circumstantiis quae simul iunctae praesumptionem elidant.

Caput VI. - De forma celebrationis matrimonii
(cc. 1094-1103)

383. - 1. *Iure naturae* matrimonia etiam omnino clandestina sunt valida. Ecclesiae ius competit ad validitatem matrimonii fidelium exigendi ut consensus naturaliter validus in forma quadam sollemni praestetur, qua de existentia et libertate consensus magis constet.

Utrum *primis Ecclesiae saeculis* benedictio sacerdotis omnino praescripta fuerit necne, ex documentis non certo eruitur; per plura tamen saecula ante Concilium Tridentinum, matrimonia **clandestina**, i. e. sine benedictione vel assistentia sacerdotis, erant fidelibus severe prohibita, non tamen sub sanctione nullitatis.

2. *Conc. Tridentinum*, s. XXIV, c. 1, de ref. matr. *Tametsi*, statuit **invalidum** fore matrimonium, nisi iniretur coram parocho aut alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia et duobus saltem testibus.

Interpretatio authentica Concilii definivit hic agi de *proprio* parocho, seu de illo quem domicilio vel quasi-domicilio quisque sortiebatur. (BOUDINHON, *Le mariage et les fiançailles*, 6a ed., p. 23, ss.)

3. Formae tridentinae suffecta est a die Paschatis 1908 forma piana decreto *Ne temere* (5 aug. 1907).

Matrimonium non poterat *valide* contrahi nisi coram Ordinario vel parocho *loci*, eorumve delegato, et duobus testibus.

4. *In Codice* (19 maii 1918) ius pianum, paucis sat magni momenti mutationibus factis, resumitur.

Ergo matrimonia inita ante d. 19 apr. 1908 iure tridentino (cum suis exceptionibus) reguntur; iure piano (*Ne temere*), si inita a d. 19 apr. 1908 ad d. 19 maii 1918; ab hac die, iure Codicis.

I. DE IURE TRIDENTINO (S. XXIV. c. 1, de ref. matr.)

384. - « Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, et annulat » (Cap. *Tametsi*).

385. - *De promulgatione cap. Tametsi* (1).

1. Capitis *Tametsi* promulgatio specialis est praescripta sc. ut *mandato episcopi* in *singulis* paroeciis *lingua vernacula* publicaretur in iisque robur haberet post triginta dies a prima promulgatione. Ita

(1) Decreta disciplinaria Conc. Tridentini vim obtinuerunt a d. 1 maii 1564 (ultima sessio, d. 4. dec. 1563).

cavebatur ne, praesertim in regionibus in quibus plerique a fide defecerant, plurima matrimonia nulliter contraherentur.

2. Promulgandum erat tamquam decretum Concilii, non autem episcopi vel Concilii provincialis. Promulgationem vero supplere potuit observantia, per longum tempus, sollemnitatis requisitae tamquam a Concilio impositae. Hoc certum est saltem ex stylo Curiae et praxi SS. CC.

3. Regiones in quibus decretum fuit rite promulgatum generaliter in tres saltem classes dividi possunt :

1° *Regiones catholicae*, in quibus caput *Tametsi* certo et universaliter vigebat tam pro catholicis quam pro acatholicis baptizatis, v. g. Italia, Gallia, Belgium, Hispania (exc. Gibraltar), Lusitania, earumque coloniae, Austria cisleithana, antiqua Bavaria, etc.

2° *Regiones mixtae*, in quibus soli catholici inter se contrahentes Capite *Tametsi* ligabantur, vel ab initio, vel post declarationem Benedicti XIV (4 nov. 1741), v. g. Hollandia, Hibernia, Polonia russiaca, Hungaria etc., dioeceses Colonien. Treviren. Paderbornen. Monasterien.

3° *Regiones principaliter acatholicae vel infideles* in quibus defectu promulgationis saepe et catholici et acatholici a forma Tridentina immunes erant, v. g. Anglia, Scotia, Dania, nonnullae provinciae ecclesiasticae Statuum Foederatorum, etc. — Ubi tamen postea in hisce regionibus Caput *Tametsi* promulgatione vel legitima consuetudine vigere coepit, solos catholicos inter se contrahentes ligavit v. g. Berolini, Baltimorae, etc.

Pius X, C. « *Provida* » (18 ian. 1906), declaravit in toto imperio Germanico catholicos inter se contrahentes Capite *Tametsi* obligari.

386. - *De vi personali et locali cap. Tametsi.*

1. Cap. *Tametsi*, vi legis vere localis, *omnes* qui in loco ubi erat promulgatum *contrahebant*, ligabat, etiam peregrinos et vagos.

2. Erat quoque lex personalis, ita ut personae vi domicilii vel quasi-domicilii lege ligatae eam ubique observare deberent, nisi contraherent in loco ubi lex non vigebat, ibique alterutra pars domicilium vel quasi-domicilium acquisivissent. Namque sub iure tridentino pars immunis alteri suam immunitatem communicabat.

N. B. *Vagi* tenebantur sola vi *locali* legis ; vi enim personali lex attingebat tantum eos qui in paroecia domicilium aut quasi-domicilium habebant.

387. - Immunes erant a lege :

1) Dispensati a R. Pontifice ;

2) Qui in loco ubi lex non omnes obligabat, cum parte a lege immuni contrahebant ;

3) Qui in forma Tridentina, etsi nulliter ob impedimentum *occultum*, contraxerant ;

4) Quod ad praesentiam *parochi*, qui in communitate erant in qua accessus ad Superiorem legitimum per diuturnam moram (saltem unius

mensis) erat vel praevidebatur impossibilis physice vel moraliter aut difficillimus ;

5) Vi constit. *Provida* (18 ian. 1906), in universo imperio Germanico nullitatem ex clandestinitate effugiebant : *a*) matrimonia mixta *contrahenda* ; immo *b*) matrimonia mixta iam contracta, dummodo nulla ob defectum formae non fuerint declarata et consensus legitimus perseveraverit usque ad d. 15 apr. (Pascha) 1906 ; *c*) matrimonia acatholicorum inter se contracta vel contrahenda, sub iisdem condicionibus.

Const. *Provida*, d. 27 febr. 1909 ad Hungariam extensa est.

Practicae regulae de matrimoniis in imperio Germanico ante Codicem initis : A d. 15 apr. 1906 cap. *Tametsi*, quod antea non ubique vigebat, obligare coepit omnes catholicos inter se contrahentes ; matrimonia *mixta*, vi irritanti legis Tridentinae subducta sunt. Sed a d. 31 mart. 1908 id iam non valuit, nisi saltem *altera pars* in Germania nata esset ; sanata sunt in radice omnia matrimonia mixta, quae ob clandestinitatem tantum invalida erant, nisi legitima sententia fuissent infirmata.

A d. 19 apr. 1908 decr. *Ne temere*, a d. 18 maii 1918 Codex omnes catholicos inter se contrahentes obligavit.

A d. 2 iul. 1909, matrimonia mixta sine forma valida sunt tantum si *utraque pars* in Germania nata sit. (Decr. 18 iun. 1909).

N. B. A d. 23 febr. 1909, quod valebat in Germania pro Germanis, valuit in Hungaria pro Hungaris (1).

388. - Competens parochus erat solus parochus *domicilii* vel *quasi-domicilii* alterutrius sponsorum, et *ubique* matrimonio eorum *valide* assistebat.

Sufficiebat autem assistentia mere passiva, non tantum physica tamen, at etiam involuntaria, immo et coacta.

Delegari poterat quivis alius sacerdos, etiam incertus, dummodo partes certae essent.

Immo non desunt qui censeant potuisse electionem sacerdotis assistentis permitti arbitrio subditi, quin eius compars determinaretur. Hanc sententiam acriter impugnat Wernz, IV, n. 180, nota 217.

II. DE IURE NOVO (c. 1094-1103)

389. - N. B. Cum ius pianum decreti *Ne temere* (N. t.) *fere* integrum in Codicem sit assumptum, mutationes inductae, suis locis, breviter indicabuntur. — Ius novum a iure Tridentino his fere discernitur : singuli parochi (vel Ordinarii) competentes sunt *unice* in toto *suo* territorio, pro *quorumlibet* matrimonio. — *Libere* assistere debent. — *Delegatio* ab iis alii ac vicario cooperatori facta debet, *ad validitatem*, esse omnino *determinata*. — Extenditur facultas contrahendi matrimonium sine assistentia parochi aut delegati.

390. - **Ordo dicendi**. Tota haec materia, quae summi est momenti, in sex partes divisa est : 1° De assistentia testium *ad validitatem* requisita in genere (c. 1094) et in specie (cc. 1095. 1096) ; 2° De *licita* ministri sacri assistentia (c. 1097) ; 3° de casibus a lege exceptis (c. 1098) ; 4° de subditis legis (c. 1099) ;

(1) Cf. Mutz, *Die Verwaltung der hl. Sakramente*, 5ª ed., 1923 p. 370.

5° de ritu et sollemnitate accidentali (cc. 1100-1102) ; 6° de inscribendis matrimoniis (c. 1103). Quae totidem paragraphis exponemus.

§ 1. DE ASSISTENTIA TESTIUM AD VALIDITATEM REQUISITA

391. - « Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cc. 1098, 1099 » (**c. 1094**).

Tres igitur saltem testes requiruntur : Ordinarius vel parochus loci, in quo matrimonium celebratur, aut sacerdos ab alterutro rite delegatus ; et duo testes non qualificati.

Ex ipso textu, apparet *actus* validitatem, non *personarum* habilitatem hac lege immediate affici. Parochis aequiparantur quasi parochi et vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti (c. 451).

Hi autem sunt : *a)* Vicarius personae moralis seu Vicarius curatus (c. 471. *Epitome*, I, n. 513) ;

b) Vicarius oeconomus (c. 472. *L. c.*, n. 516) ;

c) Vicarius substitutus vel sacerdos suppleus (cc. 465. 474) ;

Vicarius substitutus habet hanc potestatem, si ab Ordinario constitutus (c. 1923, § 2) aut, monente parocho, approbatus est sine restrictione quoad ad matrimonia ; item, si a parocho repente profecturo designatus est, quam diu Ordinarius loci monitus nullam restrictionem eius potestati apposuit. Si a parocho, extra casum urgentem, Ordinario non monito, constitutus est, dubia et potius improbabilis est eius competentia (cf. *Epitome*, I, n. 517, 2). Approbatio Superioris religiosi liceitatem tantum nominationis afficit (1).

d) Vicarius adiutor parochi suis muniis implendis impar (c. 475).

Sed vicarii *cooperatores*, etsi parochum in omni ministerio adiuvare debent, eius potestatis eo ipso participes non fiunt. Neque, dum veri Vicarii cooperatores manent, aliam atque delegatam potestatem accipere possunt. Sic cum De Smet, *o. c.*, I, n. 107 et Cappello, *o. c.* n. 91, 9° aliisque contra paucos alios (cf. *Epitome*, I, n. 522).

Ius assistendi matrimonio non est potestas *iurisdictionis ;* ei tamen simillimum est, tum quia vi officii habetur, tum quia delegatur. Isti iuri proin applicari possunt quae de errore communi vel de dubio, etc. in c. 201 dicuntur (Cf. *Epitome*, I, n. 274) ; id iam Lessius, *De iure et iust.*, II, c. 29, n. 67, 7° explicite asserit. Idem sentit cl. Oesterle, O.S.B. in *Theol. Q. Sch.*, 1928, 385, ss.

I. DE ASSISTENTIA ORDINARII VEL PAROCHI

392. - « Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt :

1° A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam cc. 334, § 3, 1444, § 1, vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati ; » (**c. 1095**, § 1).

(1) Haec e resp. *Comm. I. C.* 14 iul. 1922 confirmantur. — AAS. XIV (1922), 526. — *N. R. Th.* 1923, 46. — *Per.* XIII, 80.

Competentia officio Ordinarii vel parochi annectitur cum eius possessione *incipit*, eo amisso cessat, ut omne iurisdictionis exercitium. — Episcopus possessionem dioecesis capit cum litteras apostolicas, ad normam c. 334, § 3, Capitulo ostendit : parochus officio potitur *installatione*, de qua consulendum est ius particulare, vel litteris Ordinarii quibus a consueta installatione dispensatur (c. 1444).

Cessat ius Ordinarii et parochi renunciatione officii rite acceptata, translatione perfecta, privatione officii oeconomica vel poenali (Cf. c 183, ss. *Epitome*, I, 263..

Amittitur ius assistendi poenis quae iurisdictione privant, si poena per sententiam fuerit lata vel declarata (c. 2217, ss.). Interdictum de quo in canone, est personale (c. 2275) ; suspensio *ab officio* omnem potestatem cum eo coniunctam aufert vel saltem illicitum eius exercitium reddit (c. 2279) ; vi huius canonis, ipsam facultatem assistendi matrimonio tollit.

Parochus **putativus** valide assistit, i. e. qui errore communi, etiam sine titulo colorato, pro parocho legitimo habetur, cum Ecclesia iurisdictionem suppleat. Ceterum haec erat communis iuris Tridentini interpretatio, quam documenta pontificia confirmaverant et Canonistae decreto *Ne temere* applicabant. Textus vero decreti *Ne temere* in c. 1094 et in primam partem c. 1095 assumitur (Cf. *N. R. Th.*, 1921, 366).

393. - 2° « Intra fines dumtaxat sui territorii ; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt ; » (c. 1095, § 1, 2°).

Quod ad *validitatem*, competentia testis autorizabilis facta est exclusive *territorialis*. Nihil tamen, quod ad liceitatem, iuribus parochi proprii detrahitur.

Ad dubia solvenda quae ex defectu divisionis territorii vel ex qualitate personali parochi oriuntur, haec proponenda sunt :

1° Ubi parochus proprium territorium non habet, sed cumulative cum alio vel aliis territorium retinet, singuli in toto territorio valide assistunt (Resp. *S. C. de Sacram.* 1 febr. 1908, ad VIII. — *Per.* IV, 171).

Id accidit ubi parochi pro fidelibus ad diversas nationes pertinentibus in eodem territorio constituuntur. — Idem responsum dedit S. Congregatio, quando parochus certis personis vel familiis praeficitur in determinato territorio exsistentibus, v. g. pro fidelibus ritus mozarabici, Toleti, aut familiarum nobilium in agro romano.

2° Parochis (late) personalibus assimulantur Rectores et cappellani nosocomiorum, piarum domorum, etc. quibus plena potestas paroecialis commissa est (*S. C. de Sacram.*, 1 febr. 1908, ad X) : sed matrimoniis suorum « in loco tantum ubi iurisdictionem exercent » valide assistere possunt.

3° Parochi stricte *personales*, i. e. qui suos fideles ubique sequuntur, eorum tantum matrimoniis, at ubique valide assistunt. Casus est v. g. Capellanorum castrensium. Id eruimus tum ex resp. *S. C. de Sacramentis*, 1 febr. 1908, ad VII, tum ex cc. 216. 451, § 3. Scilicet nihil innovandum est inconsulta S. Sede de paroeciis mere personalibus et peculiaria S. Sedis statuta de cappellanis militum consulenda sunt. Proin ius antea vigens sequemur. In Germania, cappellani militum pro suis competentes sunt, parochi competentia non exclusa. In Austria, competentia cappellani exclusiva erit si utraque pars ab ipso pendet (Leitner, p. 91).

Subditi parochi stricte personalis coram parocho loci quoque valide contrahere possunt. Asserit enim Codex parochum « matrimoniis... etiam non subditorum » intra fines sui territorii valide assistere posse (c. 1095, § 1, 2°). Adhuc viget, utpote Concordata explicans,

declaratio S. Congr. *de Sacramentis* 2 iun. 1910 (1), asserentis parochos stricte personales *in Indiis orientalibus* iurisdictionem *exclusivam* habere.

394. - 3° « Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum. » (**c. 1095**, § **1**, **3°**).

Ita excluduntur matrimonia quae praesente, at invito, parocho, sub iure Tridentino celebrari valide poterant (Cf. PALLOTINI, V° *Matrimonium* XV, nn. 329-436). — Etsi enim caput *Tametsi* verba continebat : « Parochus, viro et muliere interrogatis », iam brevi post Concilium a *S. C. C.* declaratum est haec verba ad substantiam non pertinere (*S. C. C.*, 2 mart. 1580). Verba decreti *Ne temere* erant : « Dummodo invitati et rogati et neque vi... ». Haec iam omissa sunt. Ubi enim et vis et metus arcentur, parochus qui requirit consensum, saltem aequivalenter invitatus censetur.

Parochus *dolo* deceptus valide assistit. Notabile est quod lex inter metum iustum et iniustum non distinguit. Quia tamen vis cum metu coniungitur, ubi nulla vis infertur, sed metu iusti ad Superiorem recursus assistentia obtinetur de eius validitate non est dubitandum (2).

Etsi necessitas requirendi excipiendique consensum stricta sit ex schemate decr. *Ne temere* et Actis Comm. (Cf ASS., t. 40, 540. 548. 565), verba Rit. Rom. non sunt ad valorem adhibenda et sufficit omnis modus agendi qui petitionem et acceptionem consensus clare significat.

II. DE ASSISTENTIA SACERDOTIS DELEGATI

395. - « Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra fines sui territorii valide matrimonio assistat. » (c. 1095, § 2).

Haec **licentia** in canone sequente delegatio dicitur ; et cum ad validitatem actus requiratur, ad iurisdictionis delegationem accedit ideoque praesumi numquam potest. Valet dolo aut metu extorta. — Cum ipsa potestas ordinaria assistendi matrimonio territorialis sit, ipsa licentia seu delegatio ultra fines territorii concedi nequit (3).

Vicarii qui totam potestatem paroecialem habent, possunt quoque dare hanc licentiam assistendi matrimonio, i. e. Vicarii oeconomus, substitutus « si nullam limitationem Ordinarius apposuerit », sacerdos supplens (c. 465, § 5), Vicarius adiutor parochi muniis suis rite implendis imparis, coadiutor autem si e statutis dioecesanis, litteris Ordinarii aut commissione parochi hanc potestatem obtineat (4).

396. - *De dotibus in valida delegatione requisitis.*

1. « Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam c. 1095, § 2 dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt ; secus irrita est » (**c. 1096**, § **1**).

(1) AAS, II, 1910, 457. — *Per.* V, 156. — (2) WERNZ, *l. c.* n. 188. — DE BECKER, *De matrimonio*, 26. 27. — VERMEERSCH, *De forma spons.*, n. 45. — Post Codicem : CAPPELLO, *o. c.*, n. 655. — DE SMET, *o. c.*, I, n. 11 , aliique plures. — (3) Cf. OESTERLE, O. S. B. in *Theol. Q. Sch* , 1928, 385, ss. — (4) Resp. *Com. I. C.*, 20 ma.. 1923. — AAS, XVI, 1924. 114. — *N. R. Th.*, 1924, 370. — *Per.* XIII, 80.

Expresse datur licentia verbo, scripto et etiam signo, non autem solo silentio. Delegatio **particularis** est aut generalis, prout ad matrimonium determinatum aut ad omnia vel saltem ad indeterminata matrimonia conceditur. Dum decretum *Ne temere* determinatum tantum sacerdotem requirebat, Codex, additis verbis « ad determinatum matrimonium », generales excludit delegationes, « nisi agatur de Vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt ». Olim parochi civitatum alii alios generaliter delegabant ; haec delegatio decreto *Ne temere* ad validitatem inutilis facta est. — Notandum est missionarios qui stationes non paroeciales, i. e. in territorio canonice non diviso, regunt, assimulari vicariis cooperatoribus relate ad Vicarios et Praefectos Apostolicos, ita ut generalem delegationem recipere possint, quam socio in casibus particularibus subdelegare poterunt (Instr. *S. C. de Prop. Fide*, 25 iul. 1920. AAS, XII, 1920, 331. — *Per.* X, 201, ss.).

Matrimonium **determinatur** nomine contrahentium, vel eorum officio vel hora et loco caerimoniae. — Sacerdos non nomine tantum, sed officio quoque satis determinatur. Licentia ei dari nequit cuius designatio ab alio pendet, necdum facta est, v. g. « illi sacerdoti (nondum determinato) quem Superior religiosus in parochi absentis locum missurus est » (1). — Oportet ut delegatus quoque libere assistat et nulli censurae per sententiam sit obnoxius.

2. Delegata licentia ad normam can. 199 potest *subdelegari*. Quare dum vicarius cooperator qui generalem obtinuit delegationem assistendi matrimoniis eam propria auctoritate determinato sacerdoti in singulis casibus subdelegare potest, sacerdos ad determinatum casum ab Ordinario loci vel a parocho delegatus alium sibi sufficere non potest, nisi ex expressa delegantis licentia.

Haec sententia duplici modo in dubium vocata erat. Singulari enim argumento omnis facultas subdelegandi ad assistendum matrimoniis negata erat (2). Alterum dubium haud spernendum motum erat, sc., num vicarius generaliter ad *assistendum* matrimoniis delegatus dici posset delegatus ad universalitatem negotiorum. Si enim doctrina veterum attenditur, videtur requiri ad hoc delegatio ad omnia negotia quae ad matrimonii celebrationem pertinent. At sententia supra proposita, quam in tertia editione cum cl. KISELSTEIN (3) probabilem habebamus, iam resp. *Comm. interpr.* certa facta est (4). Quod responsum satis utile fuit, cum in ipsa S. C. *de Sacr.* de sententia admittenda disputaretur.

« Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda » (c. 1096, § 2).

Saepe enim delegato sacerdoti impossibile est sive investigationes cum fructu facere sive proclamationes.

---

(1) Resp. *Comm. I. C.*, 20 mai. 1923, ad VI. — AAS, XVI, 1924, 115. — *N. R. Th.*, 1924, 271. — *Per.* XIII, 81. — (2) BREMER, *Theol. Q. Sch.*, 1925, 296, quem bene refutavit OESTERLE, *O.S.B.*, *ibid.* 1928, 385, ss. — (3) KISELSTEIN, *Ephem. th. Lov.*, 1924, 191 ss. et *R. eccl. Liège* XVIII, 1926-27, 220, ss. — (4) Cf. *Comm. I. C.*, Resp. 28 dec. 1917 ad IV. — *AAS*, XX, 1928, 61. — *N. R. Th.*, 1928, 291. — *Per.*, XVII, 43.

III. DE ALIIS TESTIBUS

397. - Testes parocho adiungendi *duo* saltem esse debent. *Valide* assistunt etiamsi dolo, vi aut metu iusto vel iniusto. ad id adigantur, sive viri sive mulieres, sive catholici sive acatholici aut infideles.

Extra necessitatem, illicite, valide tamen adhibentur acatholici quilibet ; minus decet ut mulieres testes matrimonii in ecclesia celebrati adhibeantur.

Testium requiritur praesentia 1° *simultanea* cum teste autorizabili ; 2° *moralis*, qua de contrahentium personis et de inito inter eas contractu postea certo testari possint ; 3° *physica*, i. e. ita ut testis de visu vel auditu esse possit ; 4° *formalis*, sc. ita ut aliquo modo qua testes fuerint adhibiti. Satis tamen est si partes eos implicite voluerint esse testes. Huic ergo condicioni satis est factum, dummodo testimonium certum duorum ex astantibus haberi possit (1).

Iuxta decretum particulare S. Officii, testes infideles tolerandi tantum sunt *S. O.*, 19 aug. 1891. *Coll. P. F.*, n. 1855). — Munus testis in matrimonio inter actus « legitimos » non computatur (c. 2256, § 2). Omisso igitur scandalo, ab hac in ritu sacro participatione non est removendus excommunicatus vel interdictus toleratus, etsi fidelibus curandum est ne, excepto gravi incommodo, testes huiusmodi invitent.

§ 2. DE LICITA MINISTRI SACRI ASSISTENTIA

398. - Canon 1097 indicat quandonam (§ 1, 1°), quarumnam personarum (§ 1, 2°), quave licentia (§ 1, 3°), parochus vel loci Ordinarius matrimonio licite assistant. In § 2 dicitur quisnam inter plures legitimos parochos sit praeferendus. Poenae contra delinquentes statuuntur § 3.

399. - 1. Antequam Ordinarius loci vel parochus matrimonio licite assistant, debet ipsis constare legitime de libero statu contrahentium ad normam iuris (c. 1097, § 1, 1°).

Illam normam definiunt cc. 1019, ss. « Status liber » supponit absentiam cuiuslibet impedimenti.

2. Parochus vel loci Ordinarius licite assistunt matrimonio suorum subditorum.

Iamvero quod ad licitam matrimonii celebrationem, fideles subditi fiunt parochi vel loci Ordinarii non per domicilium tantum et quasi-domicilium, sed menstrua etiam commoratione. Vagi ad normam c. 94. § 2, actuali commoratione proprium parochum sortiuntur. De domicilio et quasi-domicilio, cf. *Epitome*, I, n. 183, ss.

Praesentia *proprii* parochi in iure Piano, uti nunc, ad solam liceitatem requireba-

(1) Cf. AAS, IX, 1917, 504. DE SMET, *l. c.*, I, 123. — *Ned. Kath. Stemmen*, 1920, 188.

tur. Immo decreto *Ne temere* menstrua commoratio quasi-domicilio suffecta erat, ne dubiis ex *intentione* commorandi ortis locus iam pateret. Codex, servata menstrua commoratione, subiectionem ex quasi-domicilio restituit. — Iam sub iure Tridentino, in Statibus Foed. Americae ab anno 1886, et in dioecesi Parisiensi ab anno 1905, ex indulto pontificio menstrua commoratio *praesumptionem* iuris et de iure quasi-domicilii inducebat.

Menstrua commoratio solo facto nititur, sc. habitatione per mensem moraliter continua in dioecesi, si de Ordinario agitur, vel in paroecia. Absentiae diurnae nullo modo continuitati officiunt. Etiam si quis in alio quam in loco commemorationis pernoctaverit, multi scriptores censent commorationem non interrumpi.

Mensis prouti est in calendario sumitur, sed prima dies non computatur. Qui putant supplendos esse dies, si quis alibi interdum pernoctaverit, consequenter applicare debebunt c. 34, § 2. Cum tunc tempus non sit continuum, mensis erit triginta dierum qui a media nocte ad mediam noctem sunt computandi.

Dum menstrua commoratio *praeterita*, etiam ante paucos dies interrupta, nulli parocho quidquam iuris confert, parochus domicilii vel quasi-domicilii licite assistit matrimonio etiam eorum qui tempore contractus in loco domicilii vel quasi-domicilii non resident.

Qui ne in dioecesi quidem domicilium vel quasi-domicilium habet, vagus est. Si tamen in loco residere vult donec domicilium vel quasi-domicilium in hoc *vel* alio loco eligat, *actualem* commorationem habere dicitur.

400. - *De licentia requisita.*

Licentia hic agitur proprie dicta, quae cum delegatione potestatis nihil commune habet. Praesumi ergo legitime et dari modo generali potest.

1. Si domicilium vel commoratio quae modo exposuimus deficiant, requiritur « licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis... » (**c. 1097**, § 1, 3°).

2. Nullius licentia requiritur :

1° Si de *vagis* actu itinerantibus res sit, qui nullibi sedem commorationis habent.

Isti sunt qui cum nullibi domicilium vel quasi-domicilium habeant, per locum tantum transeunt, alium in locum tendentes, ut puta ioculatores qui ab una urbe in aliam ita per totum annum vagantur, ut in nulla ultra tempus nundinarum vel feriarum commorentur. Ioculatores tamen interdum domicilium dioecesanum habent. — In nostris regionibus non desunt nautae qui, etsi omni data opportunitate, itinera etiam longa in fluminibus faciunt, tamen navim suam, in qua tota familia habitat, semper ad eandem civitatem reducunt, ubi per tempus plus minusve diuturnum consistunt. Nihil impedit quin ibi domicilium habeant.

2° « Si... gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset » (ibid.).

Non agitur hic de praesumenda, at de non petenda licentia, etsi peti possit. Quia ius assistendi matrimoniis est speciale parochi, Codex « gravem necessitatem » requirit ut praetermittatur. Suadet Card. GENNARI, (*De matrimonio*,

p. 27) ut parochus assistens causam omissae petitionis in libro matrimoniorum breviter annotet.

401. - *De parocho praeferendo.*

1. In quolibet casu praeferendus est parochus sponsae, sed *iusta causa* ab hac disciplinae regula excusat, v. g. si festa sponsalia in domo sponsi satis remota celebrentur, etc.

Possitne episcopus praecipere ut parochus sponsae praeferatur, nisi *gravis* causa excuset? Id esse *contra* licentiam a Codice factam aestimat P. Vermeersch, *Th. mor.*, n. 800; nos cum De Smet, o. c., n. 125, 2° potius praeter Codicem esse arbitramur.

2. In matrimoniis catholicorum mixti ritus, salvo iure particulari, parochus viri est praeferendus, qui ritu suo uti debet. (c. 1097, § 2).

402. - *Poenae in delinquentes.*

« Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat » (c. 1097, § 3).

Id de emolumentis a parocho qua tali vere perceptis intellegendum est. Iura stolae ad mentem c. 1097, § 2 parocho sponsae tradenda sunt. Nihil obstat quin Ordinarius statuat iura stolae semper parocho proprio esse solvenda, quotiescumque non proprius etiam legitime nuptiis interfuerit. Quo casu, videtur praeferendus parochus coram quo nuptiae celebratae fuissent. Nota in hoc casu emolumenta non in poenam culpae, sed ob ordinationem ad vitandas contentiones latam parocho qui matrimonio astitisset remitti.

§ 3. DE CASIBUS A LEGE EXCEPTIS

403. - « Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam cc. 1095, 1096.

« 1° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam; » (c. 1098).

Tria hic consideranda sunt : 1° natura et ambitus impedimenti quod praesentiae sacerdotis qualificati obstat : 2° condiciones periculi mortis ; 3° condiciones absentiae sacerdotis competentis.

404. - 1. *De natura et ambitu impedimenti.*

Verba : « Si haberi vel adiri nequeant... » referuntur tantum ad parochi vel Ordinarii loci *physicam* absentiam. Sic resp. CIC. 10 mart. 1928 (1).

Quare grave incommodum de quo in textu debet esse *physicum*, non morale. Sed exsistere potest ex parte parochi, partium, nuntii, v. g. si distantia sit magna et parochus viribus destitutus aut si

(1) *AAS.*, XX, 1928, 120. — *N. R. Th.*, 1928, 457. — *Per.*, 1928, 76.

viae ita sint difficiles ut neque parochus neque nupturientes sine gravi incommodo eas percurrere possint, etc.

Si viae non sint tutae, quia v. g. a latronibus vel a militibus tempore belli obsidentur, videtur incommodum posse dici physicum. Grave enim incommodum obstat ne sive parochus ad nupturientes sive hi ad parochum materialiter se conferant.

Ante resp. C. I. C. non nulli scriptores nobiscum censebant grave incommodum *morale* a necessitate praesentiae Ordinarii vel parochi excusare (1), v. g. cum parochus timore poenae lege civili intentae detinebatur ne assisteret matrimonio quod lege civili prohibebatur. Ipsi favere videbantur tum quaedam S. S. responsa circa decr. *Tameisi* (2), tum ipsa mutatio textus decreti *Ne temere*: Codex enim verba : « in regione » suppresserat post « si haberi vel adiri nequeat »; videbatur ergo incommodum aliud atque physicum admittere neque de sola absentia physica loqui.

Suntne verba « Adiri non posse » in can. 1044 et 1045, 3 de physica quoque absentia interpretanda ? Affirmative respondendum videtur, non propter resp. C.I.C. quod directe solum can. 1098 afficit, sed quia in ipso contextu notatur incommodum morale quod ab adeundo Ordinario excusaret, sc. periculum violationis secreti. Id enim addere non debuit Codex, si omne grave incommodum morale ab adeundo Ordinario excusaret.

In periculo mortis, si Ordinarius vel parochus ob grave incommodum morale adiri nequit, dispensatione a forma difficultati facile occurretur ; immo et in aliis casibus urgentibus ex interpretatione lata can. 1045. (Cf. supra n. 309) (3).

405. - 1° *De mortis periculo.*

Posito incommodo gravi habendi vel adeundi Ordinarium, etc., uti est explicatum, in mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus.

Codex tria requisita decreti *Ne temere*, VII, mitigavit vel suppressit. Nunc quoque requiritur *periculum* (non articulus) mortis, sed imminens non vocatur. — Nulla necessitas conscientiae iam est necessaria, etsi plerumque in huiusmodi matrimoniis aderit. — Tandem praesentia sacerdotis ad validitatem non requiritur, etsi vocari et assistere debeat qui adesse possit.

Condicio quae superest, iisdem fere verbis proponitur, additis in Codice verbis « sine gravi incommodo ».

2° *De protracta sacerdotis competentis absentia.*

Validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus, etiam extra mortis periculum, dummodo praevideatur eam rerum condicionem (sc. difficultatem habendi vel adeundi Ordinarium, etc.) esse per mensem duraturam.

Ex resp. *Comm. I. C.*, 10 nov. 1925, ad VIII requiritur « moralis certitudo, ex notorio vel inquisitione » de impossibilitate vel gravi difficultate habendi vel adeundi parochum (4).

(1) Ita sentiebant v. g. BEYERSBERGEN, S. I., *Ned. kath. St.* 1916, 362 ; CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 694, ; HELODI, *o. c.*, 137 ; HARING, *Das Eherecht*, 22 ; LEITNER, *o. c.*, 208 aliique plures. DE SMET, *o. c.*. I. n. 137 iam oppositae sententiae potius favebat, nostram non damnans.

(2) Cf. *N.R.Th.*, 1928, 457.

(3) BEYERSBERGEN, S. I. *Ned. kath. St.*, 1929, 7, ss.

(4) AAS, XVII, 1925, 583. — *N.R.Th.*, 1926, 230. — *Per.*, XIV, 178 et 185.

406. *De assistentia alius sacerdotis.*

« In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus » (c. 1098, 2°)

Obligatio vocandi sacerdotem, vere imponitur, sed non sub gravi ex solo praecepto; aliter dixeris, si dubia sint de impedimento, vel ex praesentia sacerdotis facile obtenta gravia quaedam mala vitari possint.

Vocandus est « sacerdos qui praesto sit » ; non quaerendus in hunc solum finem. Sed adhibendus etiam qui censura sit innodatus, non tamen vitandus (Cf. c. 2261).

Merito eius assistentia praecipitur, nam 1° si impedimentum detexerit quod sponsos fugerat, dispensare poterit 2° maiorem contractus rite initi securitatem praestabit ; 3° matrimonii naturam sacram magis demonstrat.

Sacerdos et, eo absente, testes in solidum tenentur cum contrahentibus curare ut matrimonium cui in his circumstantiis astiterunt, sedulo annotetur (c. 1103).

§ 4. - DE SUBDITIS LEGIS

407. - Sollemnem formam *ubique* servare tenentur *omnes* et *soli* fideles in Ecclesia catholica baptizati vel ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi postea ab illa defecerint (c. 1099, § 1, 1°), modo pertineant ad ritum latinum, cuiuscumque ritus, sectae aut cultus sit ille cum quo contrahunt.

Quidam Orientales iure nostro tenentur, v g. Rutheni in Gallicia. — Si parentes igncti fuerint, res ex institutione videtur solvenda ; si dubius baptismus, quod ad formam servandam, in foro externo pro valido habendus est (Cf. Vermeersch, *l. c.* n. 87).

Excipiuntur tamen « ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint » (c. 1099, § 2).

Quinam sint in Ecclesia baptizati, cf. supra n. 320 et I. nn. 50. 51. — Exceptiones C. *Provida* 18 ian. 1908 concessae in favorem Germaniae et postea ad Hungariam extensae, nunc penitus sublatae sunt. (Cf. supra n. 388).

Ab acatholicis nati in hac paragrapho habendi sunt quoque qui ab infidelibus nati sunt. Ita enim in eadem paragrapho acatholici determinantur et suadet mentio educationis in infidelitate.

Hic canon 1099 multas movit difficultates, saltem apud aliquot commentatores. Quibus ut satisfaciamus, circa textum integre citatum pauca proponemus :

« § 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur :

1° Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt ;

2° Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant ;

3° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis. »

Quanta prudentia valor matrimonii ab Orientalibus contracti examinandus sit, ostendit casus SAYDEH-LATTOUF (1). *S. O.*, d. 1 maii 1925 declaravit : « non constare de matrimonii nullitate » initi coram solis ministris schismaticis a puella baptizata in ritu Graeco-Melchita cum Graeco schismatico, etsi puella a quinto aetatis anno ritum latinum in omnibus sequebatur.

« § 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam ; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint. »

1° « Iidem de quibus supra » in § 1, 2° sunt omnes qui catholici sunt aut fuerunt, sc. « omnes in Ecclesia... defecerint »

Id tum ex obvio verborum sensu, tum e legis fine, tum e textus ordine dicendum est ; verba enim « quoties inter se matrimonium ineunt » (sub n. 1°) opponuntur verbis « si cum acatholicis... contrahant » (sub n. 2°). Contra BLAT, *Commentarium* III, in h. c.

2. Filii *e matrimonio mixto* nati, etiamsi cautionibus praestitis ad normam can. 1061 et 1071 celebratum est, assimulantur filiis qui *ab acatholicis* nati sunt, ut certum est resp. *C. I. C.*, 20 iul. 1929 ad II (2) contra opinionem quam cum pluribus canonistis (3) in prioribus editionibus tenuimus.

In hac interpretatione quam extensivam censemus, S. Sedes procul dubio rationem habuit praxis nimis communis qua cautiones praestitae non servantur ; quo fit ut filii in secta acatholica aut sine religione educati et ipsi postea matrimonium mixtum, sine ullo ad Ordinarium recursu saepe contrahant.

3° Non possumus admittere filios a parentibus catholicis natos, in Ecclesia catholica baptizatos, sed morte vel peccato parentum in haeresi, schismate, etc. educatos filiis ab acatholicis natis e solo legis fine omnino aequiperandos esse (4).

Ista assimilatio a lege ecclesiastica non fuit aliena, ut patet e pluribus S. Sedis responsis (5). Cum tamen novae decisiones illos potius ut catholicos habuerint et illa assimilatio textui canonis repugnare videatur, potius concedimus legem in quibusdam deficere posse (6), i. e. de iis nihil speciale sanxisse.

§ 5. DE CAEREMONIIS SACRIS

408. - Caeremoniae tres distingui possunt, sc. eae quae ad essentiam sunt requisitae, dein formulae et ritus in ipso Rituali vel ex statutis dioecesanis usitata, tandem benedictio sollemnis sponsorum.

(1) *Eccl. Rev.*, 1925, 305, ss. — (2) Cf. *A.A.S.*, XXI, 1929, 573. — *NRTh.*, 1929, 757. — (3) V. g. CAPPELLO, *o. c.* n. 701, 3°; DE SMET, *o. c.*, I, 149; contra LEITNER, *Handbuch*, IV, 236. — (4) Sic quoque *Ami du clergé*, 1924. — (5) BENEDICTUS XIV, Declar. pro Hollandia, 4 nov. 1741. — *S. Officium*, 17 nov. 1835. — 6 apr. 1859. — (6) Contra LEITNER, *Handbuch*, IV, 236. — Cf. PRÜMMER, O. P. *Theol. mor.* III, n. 744.

1° Interrogationes de consensu semper fieri debent, etiam in matrimoniis acatholicorum (**c. 1102**, § 1), ita ut assistentia mere passiva quae ante decretum *Ne temere*, in mixtis matrimoniis saepe adhibebatur, iam omnino excludatur (1), ut certum est e resp. C. I. C. 10 mart. 1928 (2).

S. Officium, decr. 23 maii 1912 (AAS., IV, 433) declaraverat, facto verbo cum SS°, assistentiam mere passivam adhibendam esse in matrimoniis mixtis quae sine praestitis cautionibus inibantur.

2° Extra casum necessitatis, ritus in Ecclesia universali vel in dioecesi approbati servandi sunt (**c. 1100**). In matrimoniis mixtis adhiberi vetantur, nisi Ordinarius ad vitanda maiora mala, quasdam caerimonias concedendas putet, exclusa semper Missae celebratione (c. 1102, § 2).

Non prohibetur tantum Missa *pro sponsis*, sed quaevis alia, « si haec missa ex rerum adiunctis haberi possit uti complementum caeremoniae matrimonialis. » (2)

3° Ecclesia exoptat ut **benedictio sollemnis**, quae in missa pro sponsis invenitur, omnibus, quantum fieri potest, impertiatur. Dari autem potest in sola Missa, iuxta rubricas, excluso tempore feriato, at etiam postquam sponsi diu in matrimonio vixerint (**c. 1101**, § 1).

Istam benedictionem ille tantum sacerdos per se vel per alium dare potest qui valide et licite matrimonio assistit (c. 1101, § 2).

Iam indultum ab Ordinariis impetrari potest quo licet dare *extra missam* benedictionem nuptialem secundum formulam approbatam a *S. R. C.*, d. 11 mart. 1914 (cf. *App. Rit. Rom.*).

§ 6. DE TABULIS NUPTIALIBUS

409. - Testimonium initi matrimonii servandum est in libro matrimoniorum paroeciae in qua celebratum est et in libro baptismorum paroeciae in qua sponsi sunt baptizati, ad cuius parochum, si casus ferat, notitia mittenda est.

Inscriptio in librum matrimoniorum semper *ab ipso parocho* vel eius vices gerente et *quam primum* est facienda, etiam si alius sacerdos astitit. Satisfacit tamen parochus qui inscriptioni a sacerdote assistente factae postea subscribat. De forma testimonii consulenda sunt libri rituales et statuta dioecesana.

Ubi matrimonium sine sacerdote competente est celebratum, sacerdos assistens vel testes in solidum tenentur cum contrahentibus curare ut contractus quam primum inscribatur (**c. 1103**).

---

(1) S.C.C. *Romana et aliarum*, 2 iul. 1908, ad III. — *Per.* IV, 269. — (2) Cf. *AAS*, XX, 1928, 120. — *N.R.Th.*, 1928, 461, ss. — *Per.*, 1928, 76. — (3) Resp. *Comm. I. C.*, 10 nov. 1925, ad IX. — *AAS*, 1925, 583. — *N. R. Th.*, 1926, 230. — *Per.*, XIV, 178 et 186.

Caput VII. - De matrimonio conscientiae

410. - 1. Matrimonium conscientiae (1) est illud quod celebratur omissis denuntiationibus et secreto, coram sacerdote competente et duobus testibus sedulo electis (**c. 1104**).

Potest *gravissima causa* suaderi ad famam salvandam nupturientium qui in concubinatu viventes pro legitimis sponsis communiter habentur aut ad vitandam poenam gravem quia coniugium alias necessarium, lege civili prohibetur, etc.

2. Quia tamen gravia inde oriri possunt peccata, sc. novum, derelicta occulta uxore, coniugium, puerorum derelictio, etc., ab Ecclesia non conceditur nisi « *ex gravissima et urgentissima causa* », de consensu ipsius Ordinarii, excluso Vicario generali sine speciali mandato.

3. Quando conceditur, sub gravi tenentur promissione *secreti* Ordinarius, sacerdos assistens, testes, alterque nupturiens quamdiu alter divulgationi non consenserit (**c. 1105**).

4. Ordinarius lege secreti solvitur si ex ea grave scandalum oriatur aut iniuria gravis immineat contra matrimonii sanctitatem vel prolis educationem christianam. Proles non potest falsis nominibus baptizari, nisi intra triginta dies ab ea suscepta Ordinarius moneatur (**c. 1106**).

5. Inscriptio huius matrimonii in libro secreto est facienda, qui a nemine aperitur nisi ab episcopo vel Administratore apostolico, cum novum matrimonium inscribendum est (**c. 1107**), aut si inquisitio de statu libero facienda est.

Caput VIII. - De tempore et loco celebrationis matrimonii

Art. I. - De tempore celebrationis

411. - I. « Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest » (**c. 1108, § 1**).

Hoc est a multis saeculis ius Ecclesiae commune. — Consuetudo igitur qua ipse contractus matrimonialis tempore clauso prohibetur, iuri communi adversatur. Quare, etiamsi centenaria vel immemorabilis fuerit, ab episcopis tolerari non poterit, nisi eam prudenter submoveri non posse censuerint. — Quae consuetudo usque ad Codicem favore iuris nitebatur, cum Conc. Tridentinum optaret servari in hac materia laudabiles consuetudines provinciarum (Conc. Trid. S. XXIV de matr. c. 1). In Belgio sublata est Conc. Mechlinien. 1920, art. 215.

412. - II. *De tempore feriato seu clauso.*

« Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica

(1) De matrimonio conscientiae cf. BENEDICTUM XIV, Ep. encycl. *Satis, vobis,* 17 nov. 1741, in GASPARRI, *De matrimonio,* II, Alleg. VIII, 532.

Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive » (c. **1108**, § 2).

Ratio huius prohibitionis est quod Ecclesia cupit ut his temporibus fideles operibus paenitentiae vel sanctae laetitiae incumbant, quibus coniugii celebratio aliquo modo officit.

Tempore feriato, si Missam postulaverint sponsi, orationes vel benedictionem e missa pro sponsis adhibere non licet, nisi Ordinarius, iustis ex causis, id permittendum censuerit, servata tamen rubrica et sedulo vitata nimia pompa (c. 1108, § 3).

Prohibitio non cadit nisi in ipsam matrimonii benedictionem sollemnem ; quae si concedatur, Ordinarius habet officium monendi sponsos ut in hac benedictione modestam pompam adhibeant, i. e. ut eorum comitatus nec frequentior sit nec ornatu vestium luxum redoleat et ut moderatus ecclesiae et altaris ornatus sit. De ipso nuptiali convivio textus neque directe neque indirecte quidquam continere videtur (1).

Art. II. - De loco celebrationis

413. - 1. Locus ordinarius est ecclesia paroecialis.

2. De licentia tamen Ordinarii loci vel parochi, celebratio in alia ecclesia vel oratorio etiam semi-publico fieri potest (c. **1109**, § 1).

3. Ut matrimonium in domibus privatis celebretur « iusta et rationabilis causa » requiritur et casus debet esse extraordinarius. Haec licentia Principibus catholicis facile conceditur (c. 1109, § 2).

Non defuerunt antea scriptores qui negarent posse episcopos prohibere quominus matrimonium in privatis domibus celebraretur ; quibus saltem usus contradicebat.

4. In ecclesiis vel oratoriis *Seminarii* vel *religiosarum*, matrimonium celebrare non licet nisi de consensu Ordinarii, ob urgentem necessitatem, et adhibitis cautelis (ibid.).

5. Matrimonia *mixta* extra locum sacrum, v. g. in sacristia vel in domo parochi sunt celebranda. Ad vitanda tamen graviora damna Ordinarius potest concedere ut in ecclesia celebrentur et quidam ritus adhibeantur, Missa semper exclusa (c. 1109, § 3).

Etsi prohibitio matrimonium in domo privata celebrandi ad matrimonia catholicorum inter se ex ordine c. 1109 restringi videtur, ad matrimonia mixta procul dubio extendenda est, tum e mente Legislatoris, tum quia haec concessio saepe ut favor habetur, matrimonio mixto minus quam alii concedendus (2).

414. - *De benedictione mulieris post partum.*

Consuetudo, libris ritualibus probata, est ut mulieres post partum

(1) Cf. CAPPELLO, *De matrimonio*, n. 726, nota 2, cum pluribus contra DE SMET *De sponsalibus*, I, 199, qui prohibitionem nimis extendere videtur ; argumentum huius cl. scriptoris ex Indice alphabetico desumptum satis firmum non est ; neque e veteri iure vis verborum Codicis nimium extendenda est.

(2) Cf. HILLING, *Arch. f. k. KR*, 1925, 111, ss.

benedictionem specialem petant (1). Haec benedictio conceditur omni mulieri quae e legitimo matrimonio concepit, etsi forte abortum passa est aut proles etiam sine baptismo mortua est. Vi iuris communis haec benedictio ad functiones parochi proprias non pertinet ; sicubi vero consuetudine hoc ius ei acquisitum est, ista consuetudo servanda est (2).

Caput IX. - De matrimonii effectibus

Ordo Codicis. Ex matrimonio legitime celebrato iura quaedam et obligationes coniugibus oriuntur (cc. 1110-1113), proles vero, certis sub condicionibus, legitima est vel efficitur (cc. 1114-1117).

Art. I. - De iuribus et officiis coniugum

415. - I. « Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum » (**c. 1110**).

Sequenti capite dicetur a quonam illud vinculum dissolvi possit.

« Matrimonium praeterea christianum coniugibus non ponentibus obicem gratiam confert » (ibid.). Est enim sacramentum ipse contractus inter fideles (Cf. supra, n. 276, 1).

416. - II. « Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae » (**c. 1111**).

Itaque, nisi specialis conventio inter coniuges intervenerit, neutri iam licet exigere ut per bimestre spatium, matrimonio non consummato, de ingressu in religionem deliberare possit. Hoc ius nitens c. 7 *de conversione coniugatorum*, X, III, 32, silentio Codicis et ipsis c. 1111 verbis « ab ipso matrimonii initio » sublatum est.

Si impotentia *certa* matrimonio supervenerit, usus completus matrimonii iam non licet ; est enim ex altera vel utraque parte voluptas venerea solitaria (3).

Qui *sterilitatem* malitiose procuraverit, v. g. ligandis oviductis aut ligando vel secando candem deferentem, si remedium iam est impossibile, actus coniugales exercere potest ; si defectus est temporalis, nec gravi causa ad petendum debitum adigatur, iuxta VERMEERSCH (4) illud ante remotam sterilitatis causam petere non potest. Debet enim mediis non nimis difficilibus curare ut generatio in usu coniugii impossibilis non reddatur.

Ex adulterio non condonato neque compensato et ex aliis quibusdam gravibus delictis amitti potest ius petendi debitum, ad arbitrium coniugis innocentis (Cf. c. 1129, § 1).

417. - III. Uxor, cum fiat socia mariti quocum omnem vitae societatem communicat, « nisi iure speciali aliud cautum sit, circa canonicos effectus particeps efficitur status mariti » (c. 1112).

---

(1) *Rit. rom.*, t. VII, c. 3.
(2) Cf. *N. R. Th.*, 1923, 383.
(3) VERMEERSCH, *De castitate*, II, n. 230. DE SMET, *De sponsalibus*, I, n. 208, (p. 148, nota 3). NOLDIN, *De sexto praecepto*, ed. 11, n. 66 specietenus contradicit.
(4) Ibid. n. 231.

Mariti obtinet *domicilium*, quod necessario retinet nisi fuerit ab eo legitime separata (c. 93. *Epitome*, I, n. 183, 4) ; eiusdem *forum* sortitur (c. 1561) ; ad mariti *ritum* transire potest (c. 98, § 4) ; omissa electione, *sepulcro* mariti tumulatur (c. 1229, § 2).

Regimen bonorum et ius ad nomen legibus civilibus reguntur.

418. - IV. « Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi » (**c. 1113**).

Parentes curent ut quam primum baptizentur filii (c. 770), fetus quoque et monstra ad normam cc. 747. 748. — Parentibus gravis obligatio incumbit ut filii catechetica institutione erudiantur (c. 1335) ; ut aetatem rationis adepti, praesertim si in periculo mortis fuerint, sacram Eucharistiam recipiant (c. 854) ; ut scholas catholicas adeant, nisi ex sententia Ordinarii loci liceat, vitato perversionis periculo, alias frequentare (c. 1374).

Filios iam adultos ne a sancto virginitatis, vitae sacerdotalis vel religiosae proposito removeant (cc. 538. 971), neve importunis precibus eos ad hanc vitam (c. 2352) aut ad coniugalem amplectendam (c. 1087) cogant.

II. - De filiis legitimis et legitimandis

419. - *De legitimitate.*

Legitimitas est qualitas iuridica eorum qui e matrimonio vere aut putative valido, cuius Ecclesia usum ob votum sollemne non interdixit, concepti aut nati sunt. Strictius sumpta eorum esset tantum qui e matrimonio valido concepti sunt. Ex illa oriuntur iura realia et honorifica, v. g. habilitas ad ordines, ad officia et beneficia ecclesiastica, ad praelaturas.

Legitimatio est beneficium legis aut Principis quo iura et honores legitimitatis, sive quaedam sive omnia, filio illegitimo conferuntur.

De legitimis agunt cc. 1114 et 1115 ; de legitimatis cc. 1116 et 1117, quibus non uni controversiae inter DD. finis imponitur.

« *Legitimi sunt* filii concepti aut nati *ex matrimonio* valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore susceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti » (**c. 1114**).

Duo hic definiuntur de quibus olim controversia erat, sc. satis esse ad legitimos natales ut proles ex matrimonio *nascatur*, etsi extra matrimonium concepta fuerit ; dein non requiri matrimonium obiective, sed subiective legitimum, i. e. saltem putativum.

Hanc interpretationem communem huius canonis De Smet in altera post Codicem editione, n. 282, nota 3 deseruit. Videtur enim ei contradicere c. 1115, § 2, iuxta quem *non sufficit* ut quis ex matrimonio nascatur ut *praesumatur* legitimus. Addit verba « ex matrimonio » non idem dicere atque « in matrimonio ». At praeterquam quod eadem interpretatio iuris iam multorum erat ante Codicem, can. 1114 condiciones legitimitatis legalis, c. 1115, § 2 condiciones praesumptionis in eius favorem statuit : quae satis diversa sunt.

Illegitimi vocantur *spurii* si toto tempore a conceptione ad nativitatem impedimentum dirimens inter parentes exstitit; secus *naturales* dicuntur. Nati ex personis quas impedimentum ligaminis separabat *adulterini* vocantur, ex persona in ordine sacro vel voto sollemni obstricta, *sacrilegi*.

420. - *De probatione legitimitatis.*

Si de matrimonio constet et de *nativitate* pueri ex uxore, maritus pro patre habetur, nisi evidentia argumenta aliud demonstrent, ut est absentia continua mariti a 300mo ad 180^{m} diem ante pueri nativitatem vel eius impotentia certo demonstrata per idem tempus.

Ius enim canonicum, ut ius romanum, ait : « Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur » ((c. 1115, § 1). Nec creditur viro dicenti se esse patrem adulterum aut uxori asserenti filium non esse mariti seu alleganti suam turpitudinem.

Pro *expositis*, qui ad statum clericalem promoveri cupiunt, dispensatio ad cautelam petenda non est ; communior enim sententia est praesumptionem legitimitatis valere donec contrarium evincatur. Quae praesumptio prohibitionem c. 1076, § 3 non tollit, quippe quae ius naturale confirmet (cf. supra, n. 354).

« *Legitimi praesumuntur* filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis » (c. 1115, § 2).

Vix ulla proles nascitur vitalis ante 180 aut post 300 dies a conceptione. In iure romano a quo haec dispositio iuris canonici desumitur, tempus a septimo mense completo ad decimum completum computabatur ; ius ecclesiasticum vetus diebus 180 et 300 tempus definiebat. Codex vero, sumendo nunc sex et decem menses, mirum hoc habet consectarium, quod duorum puerorum qui per idem tempus gestati sunt, alter praesumetur legitimus, alter vero non, quia alter anno bisextili, alter anno ordinario natus est ; etenim menses sumendi sunt prout sunt in calendario et tempus finietur incipiente ultimo die eiusdem numeri (c. 34, § 3). Si v. g. matrimonium die prima ianuarii celebratum est, puer natus tantum d. 2 iulii legitimus praesumetur sive annus sit bisextilis, sive non. Hoc computandi modo, ratio physiologiae, etsi antiquae, iam plene non habetur.

Est qui dicat litteram textus non esse contra sensum quem natura rei postulat urgendam ; proin menses triginta dierum esse sumendos, ita ut Codex cum anteriore iure omnino concordet. Cui interpretationi non repugnamus.

Filius qui ante d. 180^{m} a contracto matrimonio vel post 300^{m} a die dissolutae vitae coniugalis nascitur, si a patre aut haeredibus illegitimus statim declaratur, onus probandae legitimitatis sentit. Praesumptio enim legitimitatis fornicationem patris in priore casu, factum commercii sexualis inter separatos coniuges aut gestationis contra leges ordinarias naturae in posteriore casu supponeret.

Neque inter c. 1115, § 2 et c. 1114 ulla est contradictio. Canon enim 1114

de filiis qui *ex* duobus *coniugibus* nati sunt agit ; si vero proles nascatur ante sex menses ab inito matrimonio, eam ex marito et uxore conceptam esse asseri non potest, nisi praesumendo maritum quoque fornicatum esse. Quod non licet, nisi ipse id silentio admiserit.

421. - *De legitimatione.*

1. « Per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis » (c. 1116).

Hic agitur de prole nata *ante matrimonium* parentum. Confirmatur sententia eorum qui asserebant satis esse 1° ut matrimonium putativum contraheretur ; 2° ut habilitas ad matrimonium uno ex tribus in canone indicatis temporibus exstitisset.

Sunt et aliae formae legitimationis. Ita qui dispensat ex potestate ordinaria vel delegata per indultum *generale*, legitimat ipso facto prolem non adulterinam neque sacrilegam (c. 1051). Legitimatio conceditur quoque a SS. Congregationibus, quando concedunt sanationem matrimonii vel dispensationem super impedimentis aut ad instantiam filii illegitimi qui ad ordines accedere velit.

2. Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit » (c. 1117).

Legitimatio per subsequens matrimonium removet irregularitatem e defectu natalium (c. 984. 1°), idoneum facit ad munus Superioris maioris religiosorum (c. 504), etc. Sed haec legitimatio idoneitatem non confert ad munus Cardinalis, episcopi, Abbatis vel Praelati nullius (cc. 232. 331. 320).

Si legitimatio per rescriptum speciale conceditur, eius effectus e tenore indulti eruenda est. Num effectus magis extendatur cum legitimatio sanatione in radice conceditur, cf. infra n. 455, 2.

Caput X. - De separatione coniugum

422. - In priore articulo, Codex agit de vero *divortio*, i. e. de dissolutione vinculi matrimonialis validi, ita ud ad novas nuptias saltem altera pars transire possit ; in altero articulo, de *separatione* coniugum, manente vinculo, sive perpetua sive temporanea.

Art. I. - De dissolutione vinculi

423. - Distingui potest indissolubilitas *intrinseca* seu quae ex natura contractus vel sacramenti matrimonii oritur et *extrinseca* seu quae ex positiva Dei voluntate ius naturae complente procedit. Eadem verba alio quoque sensu adhibentur, ita ut indissolubilitas intrinsica neget facultatem partium solvendi suo consensu matrimo-

ium, extrinseca neget potestatem superioris humani ad solvendum matrimonium.

Indissolubilitas *aliqua* matrimonii est de iure primario naturae ; per se enim vinculum istud perpetuitatem postulat. Proin solo partium consensu dissolvi non potest ; neque potestate civili matrimonium etiam infidelium solvi posse doctrina certa est. (Cf. PIUM IX, *Syllabus*, prop. 67). Nullo tamen firmo argumento probatur, *absolutam* indissolubilitatem *per se* requiri, quae positiva Dei voluntate constituta est. Quare matrimonium ii tantum in casibus particularibus dissolvere possunt, quibus Deus hanc potestatem fecerit.

§ 1. DE MATRIMONIO FIDELIUM

424. - I. « Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest » (c. 1118).

Haec est doctrina catholica, non tamen de fide definita, prout iacet. Quae indissolubilitas nititur *simul* sanctitate sacramenti, facto consummationis atque positiva Dei voluntate.

425. - II. Quamdiu matrimonium inter baptizatos vel inter partem non baptizatam et partem baptizatam validum *non est consummatum*, etsi per se est indissolubile, ab extrinseco dissolvi potest duplici modo :

1° *Ipso iure* per professionem sollemnem ;

Haec vis professioni sollemni, i. e. professioni votorum sollemnium in Ordine religioso emissae, iure *ecclesiastico* est addita, constat ex diuturna S. Sedis praxi et a Conc. Tridentino contra Protestantes est definita (S. XXIV, c. 6). — Nulla professio votorum simplicium, ne in Societate Iesu quidem, neque votum castitatis in susceptione ordinis sacri emissum, matrimonium contractum dirimit.

Dissolutionem matrimonii ipsa professionis emissio operatur, quam igitur coniux in saeculo remanens exspectare debet antequam ad novas nuptias convolare possit. Immo licentia S. Sedis ad validitatem ingressus in religionem requisita (c. 542), non videtur concedenda, nisi alter quoque coniugum castitatem velit profiteri vel simul dispensatio concedatur ut professio sollemnis statim post novitiatum emitti possit. Propter difficultates e lege civili oriundas, S. Sedes singulos casus accurate perpendit.

Professio, invita aut ignara comparte emissa, eundem effectum produceret : etsi enim iniuriae labe inficeretur, non esset per se nulla. Nunc tamen talis professio vix emitti possit, cum necessaria sint dispensatio S. Sedis et consensus Superioris non decepti, quae in his adiunctis vix concedentur.

Imperatores romani, potestate sua abutentes aut ignorantia decepti, decreverant matrimonium etiam consummatum professione vitae monasticae dissolvi. In Ecclesia vero catholica, communis contra paucissimos sententia est matrimonium quod etiam dolo aut vi fuerit consummatum, dissolvi nequaquam posse (1). Copula quae *ante matrimonium* inter sponsos habita fuerit, privilegio non nocet.

2° « Per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa conces-

(1) Cf. WERNZ-VIDAL. *Ius canonicum*, V, n. 626, nota 42.

sam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita » (c. 1119).

Ex praxi Ecclesiae constat Romano Pontifici hanc ministerialem seu vicariam potestatem a Christo esse concessam. Etenim ex sola potestate iurisdictionis, qua tali, non fluit ; porro in re quae morum sanctitatem adeo interest, non potest admitti error in RR. Pontificibus qui *saepius*, tamquam *certa* potestate utentes, dissolutionem huius vinculi concesserunt.

Dispensatio conceditur mediante S. *Officio* vel S. C. *de disciplina Sacramentorum*, cui reservantur causae de inconsummatione matrimonii, nisi negotium ad S. Rotam remittere velit ut iudicialiter ad probandam inconsummationem procedatur (cc. 249, § 3 ; 1962). De processu in his causis servando, cf. *Epitome*, III, n. 279.

Ad validum usum huius potestatis, cum non sit propria, *iusta causa* requiritur, non tamen consensus alterius partis. Quae si iuste dissentiret, solutio tantum ob praevalentem boni communis rationem pronuntiari posset.

Iustae causae sunt dubium de impotentia antecedenti et perpetua, impotentia superveniens, odium implacabile coniugum, delictum infamans ab alterutro admissum, etc.

426. - Quid de matrimonio mere *legitimo et consummato* dicendum est ?

Nobis videtur certa potestas R. Pontificis illud solvendi, modo alterutra pars ad fidem conversa per baptismi receptionem iurisdictioni R. Pontificis subiciatur. — Idem sentiendum putamus si illud matrimonium conversione utriusque coniugis *ratum* fiat, quamdiu post baptismum non fuerit consummatum (Cf. Petrovits, *The new church law*, n. 552).

Nulla enim alia explicatio dari posse videtur dispensationum ab omni interpellatione quas a RR. Pontificibus concedi videbimus, infra n. 434. Ceterum notandum est in fontibus ecclesiasticis et in Codice ipso, c. 1118, solum matrimonium *ratum et consummatum* omnino indissolubile declarari (Cf. De Smet, I, n. 333). Attamen S. Pontifex hac sua potestate directe raro utitur, indirecte, sc. per dispensationem ab omni interpellatione haud ita raro, ut e c. 1125 patet.

§ 2. DE DISSOLUTIONE MATRIMONII IN INFIDELITATE CONTRACTI SEU DE PRIVILEGIO FIDEI

427. - **Privilegium fidei** est ius eligendi in quovis casu dubio solutionem probabilem quae fidei acquirendae aut servandae favet (1). In materia matrimoniali, privilegium fidei saepe, at perperam cum privilegio Paulino confunditur. Nam etiam ubi condiciones privilegii

(1) Cf. *N. R. Th.*, 1925, 228 ss. ubi hanc notionem fusius evolvimus. Multum instat in distinctionem inter privilegium fidei simpliciter et privilegium Paulinum Arendt, in *Eph. th. Lov.*, 1926, 328, ss.

hlini certo desunt, R. Pontifex vi plenitudinis potestatis suae viiae matrimonium in infidelitate (saltem alterutrius partis) initum favorem fidei dissolvere potest et interdum dissolvit. Tandem vilegium Paulinum, quod est forma quaedam privilegii fidei, est , ex concessa divinitus potestate ab Apostolo Paulo (I Cor. VII, 15) mulgatum, vi cuius coniux qui in infidelitate cum altera parte ideli nuptias contraxit, immo eas consummavit, potest, suscepto otismo, si pars quae manet infidelis discedat, novas nuptias valide licite iungere. Quibus celebratis, prius matrimonium ipso facto solvitur (Cf. **c. 1120**, § 1).

Etsi plerique, post SANCHEZ, privilegium a Christo *immediate* fidelibus concessum asserunt (1), non desunt canonistae primi subsellii (2) qui censeant ostolum vi potestatis ministerialis sibi concessae hoc privilegium non promulse tantum, sed instituisse.

2. De privilegio fidei agunt cc. 1120-1127, ita ut privilegium Paulinum explicent 1120-1124 et 1126, dum c. 1125 simul de privilegio fidei et Paulino agit, c. 1127 privilegio fidei in toto ambitu. C. 1120 docemur personas quibus prosit ; cc. 1121. 22, necessitatem et modum probandi malam infidelis compartis voluntatem ; abitum privilegii (cc. 1123. 1124) ; tandem actus quo privilegium effectum suum tinet definitur c. 1126. C. 1125 monemur ius antiquum particulare de privilegio ei ad totum orbem extendi et c. 1127 asseritur favor quo privilegium in re dubia udet.

I. QUIBUSNAM PRIVILEGIUM PAULINUM PRODEST

428. - Privilegium Paulinum concessum est in gratiam illius qui fidelis cum infideli matrimonium contraxit et postea ad fidem convertitur, si coniux infidelis nolit cohabitare pacifice et sine contumelia Creatoris.

Quare : 1° Privilegium *prodest* omnibus infidelibus qui cum infideli coniuncti ad Christum convertuntur et sive in Ecclesia catholica sive n secta acatholica *valide baptizantur*.

Pauci scriptores negarunt privilegium prodesse iis qui ex infidelitate conversi a secta acatholica baptizantur. P. ARENDT, S. I. sententiam contrariam et fere communem novis argumentis e Traditione desumptis praeclare munivit (3).

2° *Non prodest* iis qui *baptizati*, accepta dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, cum infideli contraxerunt matrimonium (c. 1120, § 2).

Etiam si dubius esset baptismus, non videtur exspectandum ut matrimonium ex privilegio fidei solvatur. Haec enim dissolutio in favorem fidei non esset.

3° *Prodestne* iis qui extra Ecclesiam catholicam baptizati nec um-

(1) S. ALPHONSUS, *Theol. Mor.* VI, 955. — BENEDICTUS, XIV, *De Synodo dioec.* . VI, c. IV, 3. — WERNZ, IV, 702.
(2) GASPARRI, II, 1084. — LEHMKUHL, *Theol. mor.* II, 932. — VERMEERSCH, *De casu Apostoli*, n. 2.
(3) Cf. *Gregorianum*, 1923, 241, ss. — 329, ss.

quam ad eam conversi, post d. 19 maii 1918 sine dispensatione cum infideli validas nuptias celebrarunt ? Affirmat quidam scriptor periodici *Ami du clergé*, 1921, 69. 234.

Ex modo quo SS. Patres verba S. Pauli interpretantur et ex usu Ecclesiae, qui in hac re nobis sola sunt subsidia solutionis, isti haeretici nobis *privilegio* certo *exclusi* videntur. Ipse textus Codicis hanc sententiam innuit, ne plus dicamus, cum ait : « Legitimum inter *non baptizatos* matrimonium... solvitur... ex privilegio Paulino » (c. 1120, § 1).

Istud enim privilegium in favorem fidei ita concessum est, ut infidelis **conversus** servituti matrimonii *in infidelitate* contracti non manciparetur. Porro fundamentum privilegii non est *vera* fides, sed *sacramentum fidei*, i. e. baptismus. Secus enim catechumeni eo iam frui possent neque prodesset infidelibus qui ad sectam haereticam vel schismaticam transeunt : quae duo consectaria tum usui Ecclesiae tum communi sententiae repugnant. Hae rationes iam ante Codicem a Wernz (IV, 702, nota 59) propositae, nunc haereticis qui sine dispensatione cum infideli valide contraxissent et postea ad fidem *catholicam* converterentur facile applicari possunt (1).

Nihil tamen prohibet quin R. Pontifex vi potestatis suae vicariae huiusmodi matrimonium in favorem fidei solvat (2).

429. - 3. Cum tamen baptismus matrimonium antea contractum per se non infirmet, privilegio ii tantum uti possunt quibus pars infidelis sive discessu sive scandalo causa fiat moralis servitutis. Modo ergo pars infidelis velit et ipsa baptismum recipere aut saltem pacifice cum coniuge fideli cohabitare, nullum ius est alteri alias nuptias vi privilegii Paulini contrahendi. Antequam ergo novum matrimonium contrahi possit, necesse est discessum vel scandalum probare, quod regulariter fit per interpellationes.

Attamen S. Pius V, C. *Romani Pontificis* (1 aug. 1571), concessit ut Indi polygami post baptismum eam uxorem tamquam legitimam retinere valerent quae cum ipsis baptizari vellet, etiamsi cognoscerent quaenam uxor prima fuisset et haec in pacificam cohabitationem, non tamen in baptismum recipiendum, consentiret. Hoc ius particulare ad Ecclesiam universam extenditur c. 1125.

In hoc autem casu, iam privilegium Paulinum non agitur, sed R. Pontifex qui « motu proprio, ex certa scientia... ac Apostolicae potestatis plenitudine » agere se dicit, dissolvit matrimonia legitima consummata, at non rata et consummata. Cf. nn. 426. 434.

II. DE INTERPELLATIONIBUS

430. - I. « Antequam coniux conversus et baptizatus novum matri-

(1) *N. R. Th.*, 1923, 88. Nostrae sententiae etiam in hac re omnino prosunt argumenta P. Arendt (*l. c.*) et firmiter adhaeret P. Cappello, *De matrimonio*, n. 769.

(2) Cf. *N. R. Th.*, 1925, 499. *Per.*, XIV, 19-21.

ionium valide contrahat, debet, salvo praescripto c. 1125, partem non baptizatam interpellare :

« 1° an velit et ipsa converti ac baptismum recipere ;

« 2° an saltem velit secum cohabitare pacifice et sine contumelia Creatoris » (c. 1121, § 1).

Necessitas interpellationis, quae iure divino nititur quamdiu dubium probabile de voluntate partis infidelis exsistit, iure quoque ecclesiastico sancitur. Ideoque, salva dispensatione legitima, etiam si de facto discessus constet, non omittenda est (c. 1121, § 2). Ubi discessus vel detrectata honesta cohabitatio *certa* sunt, S. Sedes a lege ecclesiastica interpellationum, quae iure divino tunc non sunt necessariae, dispensare potest.

Quid si interpellationes absque dispensatione omissae sint, discessus vero partis infidelis fuerit *certus ?* Controversia de *validitate* secundi matrimonii satis acris erat. Ut negetur *nunc* validitas, afferri possunt c. 1121, § 1, (Antequam ... *valide* contrahat... debet interpellare) ; c. 1122, § 2 (interpellationes ... *valent*... si forma... praescripta servari nequeat) ; non vero c. 1123 (... *ius* habet). Quae necessitas ita explicari potest, sc. Ecclesiam facere partem conversam inhabilem ad contrahendum novum matrimonium, nisi interpellatio fuerit facta aut *legitime* omissa. Quam interpretationem pro certa habet De Becker, *Eph. th. Lov.*, II, 274, pro probabili De Smet, *o. c.*, n. 352 et Cappello, *o. c.*, n. 776 ; non admittunt Vidal, *o. c.*, n. 632, nota 68, Chelodi, *o. c.*, n. 158, Vermeersch, *Theol. mor.*, III, 818, 4. Quare haec lex Ecclesiae dubia est, ac proin usque ad declarationem contrariam matrimonium non facit nullum (Cf. Wernz, *l. c.*, n. 703, nota 72. — De Smet, *l. c.* n. 351. — Petrovits, *The new Church law*, n. 560).

Pacifice non cohabitat qui etiam ob alia atque conversionem motiva, comparti gravia iurgia movet, eam verberibus afficit, ei iustam causam gravium querelarum praebet ; sine contumelia Creatoris non cohabitat qui fidei vel moribus coniugis insidias struit, fidem graviter exprobando, ob eam iurgia gravia movendo, imponendo comparti inhonestum matrimonii usum, nec qui eius oculos offendit spectaculo idololatriae, etc.

431. - II. Interpellationes faciendae sunt tempore quo validus et licitus est usus privilegii, sc. *post baptismum* alterutrius et *ante* alterius *conversionem.* Factae ante baptismum, saltem ex dispensatione post baptismum data, renovari non debent, modo de permanente mala infidelis voluntate certo constet (Cf. *Epitome I*, Appendix II). Sufficit ut *semel* tantum fiant. Vox autem pluralis adhibetur (cc. 1121, § 2 ; ss.) quia de duabus rebus interroganda est pars infidelis.

432. - III. Interpellatio facienda est « regulariter, *forma* saltem *summaria* et extraiudiciali, de auctoritate Ordinarii coniugis conversi, a quo Ordinario concedendae sunt quoque coniugi infideli, si quidem eas petierit, induciae ad deliberandum, eo tamen monito, fore ut,

induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa » (c. 1122 § 1).

« Interpellationes etiam *privatim* factae a parte conversa, *valent*, immo sunt etiam licitae, si forma superius praescripta servari nequeat ; hoc tamen in casu de ipsis, pro foro externo, constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo » (c. 1122, § 2).

Ut infidelis vim suae responsionis cognoscat, ei manifestetur intentio compartis fidelis solvendi novo matrimonio matrimonium prius valide contractum, nisi intra congruum tempus ab Ordinario partis fidelis statutum, pars infidelis voluntatem seriam ostenderit, sive baptismum recipiendi sive pacifice sine contumelia Creatoris cohabitandi.

Quantum fieri potest, interpellatio coram Ordinario vel eius delegato et duobus saltem testibus facienda est aut saltem scripto intimanda. Quae si fieri nequeant, satis erit duorum saltem testium testimonium aut tandem aliam quamlibet probationem obtinere quae fidem faciat, v. g. testimonium iuramento firmatum alicuius catholici.

433. - 1. *De discessu partis infidelis.*

Discedit vel discedere censetur pars infidelis :

a) si negative ad utramque quaestionem respondet ;

b) si tempore utili elapso, nullum dederit responsum ;

c) si facto dicta neget ;

d) si cohabitare non possit, etiamsi id cupiat, dummodo causa impossibilitatis non fuerit a comparte fideli post baptismum posita.

Permitti potest usus privilegii Paulini viro cuius uxor a secundo marito vel a creditore retineatur (*S. O.*, 12 iun. 1850) aut in servitute sit redacta, etiam si a viro *ante baptismum* vendita fuerit (Cf. *S. O.*, 8 iul. 1891) (1).

Si tum vir tum uxor mox baptizandi iam cohabitare nolint, quid factu opus est ? Si bona fide ita sentiant, v. g. quia aliud matrimonium (invalidum) contraxerunt, alter prius baptizetur ; dein, aut rite dispensatus ab interpellatione novum matrimonium contrahat quo altera pars liberabitur, aut disponatur ad acceptandam cohabitationem et tunc faciat interpellationes. Negativa compartis responsio usum Privilegii praebebit (2).

2. *De vi discessus quod ad fidelem.*

« Si interpellationes ex declaratione Sedis Apostolicae omissae fuerint, aut si infidelis iisdem negative responderit expresse vel tacite, pars baptizata ius habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi ipsa post baptismum dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam » (c. 1123).

In adiunctis ordinariis, Missionarii facultate sua dispensandi super impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus ut neo-conversus cum acatholico contrahere possit uti non possunt. In periculo mortis vel casu perplexo facultatibus in cc. 1043, ss. concessis ad animae salutem uti poterunt.

---

(1) *Coll. P. F.*, nn. 1044. 1760.
(2) Cf. *Per.* X, (33).

Cum vinculum prioris legitimi matrimonii novis tantum nuptiis dissolvatur, non licet parti fideli relictae, sine dispensatione S. Sedis in religionem ingredi (c. 542) vel ordines suscipere (987, § 2°).

« Iusta discedendi causa » fuerint adulterium aut alia delicta, post baptismum commissa, neque plene condonata aut simili delicto compensata. Sed etiam in his casibus, potest fieri ut R. Pontifex, si id adiuncta ferant, in favorem fidei concedat parti conversae et paenitenti dissolutionem prioris matrimonii (1).

3. « Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris » (c. **1124**).

Si pars infidelis post discessum et ipsa baptismum recipiat :

a) parti fideli amittitur privilegium quo nondum usa erat ;

b) pars fidelis quae cum dispensatione statum religiosum amplexa esset vel ordines sacros recepisset ad priorem coniugem *per se* redire deberet.

At putant mutationem status quam pars infidelis iniuste suo discessu ratam habuit, causam esse sufficientem ut reditus ad vitam coniugalem iam exigi non possit (2).

434. - *De dispensatione ab interpellationibus.*

Interpellationes iure divino requiruntur, nisi de discessu aliter certo constet. Immo sunt medium quo *regulariter* haec certitudo acquirenda est. Dispensationes tamen a S. Sede conceduntur, sive iure communi sive specialibus facultatibus, quando interpellationes vel omnino impossibiles vel factu difficillimae sunt. Modo enim ignoratur quaenam e pluribus uxoribus legitima sit ; modo coniux legitimus in regionibus ita dissitis versatur ut nuntii ad eum vix ac ne vix quidem pervenire possint ; modo interpellationibus faciendis gravia incommoda temporalia vel spiritualia obstant. Quanam potestate R. Pontifex in hisce casibus utatur non ita convenit. Quare Codex voce « dispensare » hic abstinet, ut CAPPELLO (3) scite animadvertit. Etsi videtur aliquo modo privilegium ipsum declarare, aliquando utitur vera potestate dissolvendi matrimonia legitima et consummata quae, etsi forte conversione utriusque partis rata facta sunt, tamquam rata denuo consummata non sunt. Id e facultatibus quas Gregorius XIII missionariis fecit indubitatum haberi potest. Cf. supra, nn. 426. 429.

435. - 1. *Ex ipso iure* dispensare possunt Ordinarii locorum, parochi et presbyteri Societatis Iesu ad confessiones audiendas a suis Superioribus approbati « dummodo constet etiam summarie et extraiudicialiter coniugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse » (c. **1125**. Documentum VIII).

(1) Cf. ARENDT, in *Eph. th. Lov.*, 1926, 328 acute de hoc casu disserentem.
(2) VERMEERSCH, *De casu Apostoli*, 26. 27.
(3) *De matrimonio*, n. 781, 1.

Casus erit praesertim cum altera pars in regionem longinquam profecta iam nullum de se nuntium dedit, aut cum accessus ad regionem ubi altera pars commoratur nuntio impossibilis aut valde difficilis est, v. g. propter hostilem gentis animum, magnam itineris longitudinem, etc.

Haec potestas oritur ex Gregorii XIII, C. *Populis*, 25 ian. 1585 ad universum orbem in c. 1125 extensa.

Ad normam c. 1043 censemus Ordinarios et parochos facultate sua uti posse erga suos subditos ubicumque isti versentur et erga omnes in suo territorio actu commorantes ; est enim haec potestas *ordinaria*, cum ipsi officio nunc (c. 1125) iure annectatur. Quam proïn delegare possunt. Confessarii S. I. erga eos uti poterunt quorum confessiones audire possunt, idque etiam extra actum confessionis. Restrictio enim non apponitur. Ordinarius aut parochus documentum concessae dispensationis exigere poterit, quod locum tenet testimonii de status libertate. Potestate, qua fruuntur confessarii S. I. praediti sunt ex variis privilegiis multi alii religiosi. Quo iure ad *omnes* confessarios extendatur, non videmus.

2. *Vi facultatum* quas concedit S. C. *de P. F.*, (formula III, forma maiore nn. 25. 26. 27 ; formula minore nn. 24. 25. 26) et quae missionariis subdelegari possunt (1) :

1° Ordinarii dispensare possunt « super interpellatione coniugum in infidelitate relictorum pro omnibus *casibus ordinariis*, dummodo scilicet, adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides, ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extraiudicialiter coniugem absentem legitime moneri non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse ».

Haec facultas quae plures casus respicit quam Constitutio Gregorii XIII, *modum* determinat quo constare debet de impossibilitate vel difficultate faciendi interpellationem utilem.

2° « Itemque dispensare super interpellatione coniugis in infidelitate relicti, siquidem certo constiterit, saltem summarie et extraiudicialiter, interpellationem fieri non posse sine evidenti *gravis damni* aut coniugi iam ad fidem converso, aut christianis inferendi periculo ».

Periculum damni *evidens* sit oportet. *Grave* damnum erit sive spirituale sive temporale et ratione habita nupturientium, non solius missionarii, iudicandum est.

3° « Permittere ut, accedente gravi causa, interpellatio partis infidelis *ante baptismum* partis quae ad fidem convertitur fieri possit ; necnon, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensare, dummodo, hoc in casu, ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse vel fore inutilem ».

Notetur necessitas processus saltem summarii et extraiudicialis praeter gravem causam ut ab omni interpellatione dispensetur ; dum gravis causa sufficit ad illam ante baptismum faciendam.

(1) Cf. commentarios scriptos a Blat, Iglesias, Vermeersch et Vromant.

Notandum est dispensationes sub his numeris recensitas non valere nisi ad matrimonium cum *fideli catholico* ineundum.

436. - *De privilegiis Pauli III, Pii V, Gregorii XIII.*

RR. Pontifices Paulus III, Pius V et Gregorius XIII privilegia quaedam concesserant, quibus matrimonia conversorum ex infidelitate faciliora redderentur. Quae dum ad certa loca e tenore Constitutionum restringebantur, canone 1125 « ad alias quoque regiones », i. e. nostra sententia, ad universum orbem extenduntur. — Addit canon « In iisdem adiunctis ». Haec verba difficultatem movere possunt in C. *Populis*, Gregorii XIII. Censemus cum PAYEN, *De matrimonio*, II, n. 2409 satis esse ut coniux fidelis coniugem interpellare non possit, non autem requiri ut vi fuerint separati.

1. In C. *Altitudo* (1 iun. 1537) Pauli III, canone 1125 ad omnes regiones extensa, decernitur ut : « qui ante conversionem plures... habebant uxores, et non recordantur quam primo acceperint, conversi ad fidem unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est... ».

Additur dispensatio super impedimento ex consanguinitate in tertio gradu lineae collateralis (aut affinitatis).

Vis propria privilegii haec est ut *vir*, postquam baptismum recepit, valide et licite contrahere possit cum muliere quacum cohabitavit, etiamsi haec *infidelis* maneat et cum ipso in tertio gradu consanguinitatis (aut affinitatis) coniungatur. Condicio validitatis est ut nesciat quaenam e pluribus uxoribus, quas retinebat, legitima sit.

Si recordetur quaenam legitima sit, vult S. Pontifex ut cum ipsa maneat, dummodo, ut patet, ipsa pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare velit : secus recurrendum erit ad privilegium fidei.

2. Pius PP. V, C. *Romani Pontificis*, 2 aug. 1571 aliud privilegium concessit, quo nunc ubique uti licet.

Si vir plures habuit uxores, post baptismum eam mulierem e pluribus retinere potest quae cum ipso baptizari voluerit, etiamsi noverit quaenam uxor legitima sit et haec velit cum ipso pacifice cohabitare.

Privilegium valet quoque in casu *successivae* polygamiae ; quare qui plures successive uxores duxit, eam quacum vivit tempore conversionis, si baptismum recipere velit, retinere poterit, nulla ad primam, legitimam uxorem interpellatione facta. — Si omnes uxores simul cum viro baptizari velint, legitimam, si eam noverit, retinere debebit, reliquis demissis.

3. Ex C. *Populis* (25 ian. 1585) Gregorii PP. XIII, duo privilegia universim conceduntur :

1° Facultas dispensandi super interpellationibus, de qua supra, n. 435, 1.

2° Dispensatio super matrimonio consummato quidem et rato, sed non « rato et consummato ».

Declarat enim matrimonium a neo-converso ex infidelitate cum dispensatione interpellationis contractum, tamquam validum omnino habendum esse, etiamsi tempore quo contractum est altera pars, in remotis agens, iam et ipsa baptismum receperat.

Ex his facile perspicitur RR. Pontifices privilegia concessisse quae ambitum privilegii Paulini, quale e Scriptura et Traditione cognoscitur, superant.

437. - « In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris » (c. **1127**).

Privilegium fidei, ut n. 427 diximus, latius patet quam privilegium Paulinum. — **Res dubia** dicitur ubi ad sequendam utramque responsi partem ratio quaedam probabilis affertur. Secus res potius ignoratur.

Dubia ista possunt versari circa existentiam matrimonii iam initi; circa validitatem matrimonii in infidelitate contracti; circa personam primae uxoris; circa validitatem baptismi *ab una parte* recepti; circa sincerum ad interpellationem responsum; circa causam sufficientem ad dispensandum ab interpellatione vel a responso exspectando. In his omnibus ea solutio admitti debet quae libertati partis ex infidelitate conversae favet, ut cum fideli matrimonium contrahere possit vel novum cum fideli initum matrimonium valere dicatur.

Quid, si dubium sit de baptismo *utriusque partis?* Sc. si pars dubie baptizata in secta acatholica velit ad Ecclesiam catholicam redire et altera pars, dubie quoque baptizata in eadem vel alia secta, pacifice cohabitare nolit, licebitne priori uti privilegio Paulino? Affirmat CERATO, *Matrimonium*, etc. n. 117. Consentit cl. DONOVAN, C. M., (1), nitens quibusdam responsis S. Sedis ante Codicem datis et auctoritate CERATO et BLAT (2); eidem sententiae adhaerent SCHAEPMAN, *Ned. K. St.*, 1925, 58, et HILLING, *Arch. f. h. KR.* 1927, 185.

Casum sic solvendum censemus. Quam diu causa probabilis est habendi baptismum utriusque partis tamquam validum, non licet applicare privilegium Paulinum, cum probabile sit matrimonium ratum et (ut supponimus) consummatum. Si, propter doctrinam sectae vel modum administrandi sacramentum vel defectum fidei intentionisve in ministro, nulla adest causa positiva et probabilis habendi baptismum ut validum, usus privilegii licet.

E responsis S. Sedis ante Codicem datis, nullum argumentum in favorem responsi affirmativi *sine distinctione facti* eruitur. Sub iure enim priore, baptismus dubius relate ad matrimonium tamquam validus habebatur: inde explicantur plura responsa S. Sedis quae allegantur, v. g. matrimonium dubie baptizati cum non baptizata tamquam

(1) *A new marriage case*, in *Ecclesiast. Review*, vol. LXX (1924), 59, ss.
(2) *Commentarium*, III, I, in h. c.

nullum habendum esse. — Praeterea responsa S. Sedis, quod sciamus, uno excepto, ad casus referuntur in quibus saltem *alterutra* pars est *certo infidelis.* Tunc autem, permissio usus privilegii Paulini in re dubia continet implicite, si casus ferat, solutionem matrimonii « non rati et consummati », potestate pontificia (1). — In unico responso circa matrimonium duorum qui in haeresi dubie baptizati sunt (2), S. Officium declaravit partem conversam *non posse* « propter gravissimum dubium de baptismo in haeresi recepto aequiparari... parti ab infidelitate conversae, et propter Paulinum privilegium ad alias nuptias transire ». — Quod scriptores attinet, cl. BLAT casum sic positum neque explicite, neque implicite allatis responsis solvit. Nos vero scribebamus (*Epitome, l. c.*) : « [dubium] circa validitatem baptismi *ab una parte* recepti », de casu utriusque baptismi dubii nondum cogitantes.

Nobis consentiunt AYRINHAC, *Eccl. Rev.*, 1925, 66 ss. ; DE BECKER, *Amer. Coll. Bull.*, 1925, 26 ; DE SMET, *o. c.*, n. 355 ; PRÜMMER, O. P., *Eccl. Rev.*, 1925, 62, ss. ; VERMEERSCH, *Theol. Mor.*, III, n. 822. Cf, *N.R.Th.*, 1925, 227 ubi casus fusius perpenditur.

Art. II. - De separatione tori, mensae et habitationis

438. - Obligatione vitae communis asserta (c. 1128), causae legitimae separationis perpetuae (cc. 1129, 1130) vel temporariae (c. 1131) et eius effectus tum quod ad coniuges (cc. 1129-1131), tum quod ad filios (c. 1132) definiuntur.

439. - « Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem nisi iusta causa eos excuset » **(c. 1128).**

Vitae communio habitualem tori, mensae et habitationis communionem supponit. Regulariter sine hac vitae communione debito coniugali recte satisfacere non poterunt aut educationi prolis, quae per se utriusque parentis cooperationem exigit. — *Mutuo consensu* coniuges vitae communionem ob gravem causam dissolvere possunt, v. g. ut statum perfectiorem amplectantur. Cavendum tamen est ex prudentia et caritate ne altera pars periculo incontinentiae exponatur vel liberi necessaria educatione careant.

Praeter causas quae dissolutionem vitae communis permittunt, aliae sunt quibus alter coniux a vita communiter ducenda, saltem ad tempus, excusetur, v. g. si alter longum ac periculosum iter instituere, si ob delictum vel opes familiae necessarias quaerendas exsulare debet, etc.

I. *De separatione perpetua tori et habitationis.*

440. - « Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi, etiam id perpetuum, vitae communionem, nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit » **(c. 1129, § 1).**

(1) Cf. WERNZ, VI, n. 702, nota 66. Supra, n. 426.
(2) *S. O.*, Instr. 18 dec. 1872. *Coll. P. F.* n. 1392 (t. II, p. 59).

1. Hoc ius competit sive viro sive uxori, « quibus aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios vitae coniugalis » (c. 1111), idque iure divino naturali.

Frangenti enim fidem fides non debetur. Notandum tamen est Codicem de solo iure loqui ; caritas enim partem innocentem nonnumquam ad condonationem obligare potest, praesertim si peccatum semel et ex fragilitate commissum sit nec uxori aut filiis infamiam aut aliud gravissimum detrimentum afferat.

2. Adulterium, ut ius istud conferat, debet esse :

a) *Formale*, i. e. cum facti cognitione et morali libertate commissum ;

b) *Consummatum* actu copulae, cui sodomia (non cum uxore) et bestialitas certo aequiperantur ;

Si copula sine effusione seminis facta fuerit, sive eam mere cohibendo sive onanistico coeundi modo, causa separationis *practice certo* datur, quidquid de natura iuris disputetur. Etenim copula naturaliter facta praesumitur, et causa tota a foro externo pendet. Plures id iuste decerni censent, quia gravis matrimonio iniuria illata est.

c) Altero coniuge *invito factum* ;

d) Cuius *causa* pars innocens non fuerit.

Ius divortii non amittit coniux qui remote tantum et indirecte causa adulterii fuerit, v. g. iurgiis, defectu etiam gravi caritatis, etc. Causa hic supponitur quae per se ad adulterium impellit, ut si saepius debitum neget, vitam communem deseruerit, necessaria alimenta cum adulterii praevisione recusaverit, etc.

e) *Non condonatum* expresse vel tacite ; condonatione enim *ius* quodlibet amittitur. « Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero coniuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit ; praesumitur vero, nisi sex intra menses coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit » (**c. 1129**, § 2).

Condonationem non innuit maritale consortium admissum donec facti probatio certo habeatur, aut dilata ex solo timore vel ob grave incommodum accusatio.

f) Eodem crimine *non compensatum* ;

Adulterium ante baptismum admissum, postquam isto sacramento plenissime remissum est, in compensationem adulterii vel in causam divortii allegari non potest.

441. - « Coniux innocens, sive iudicis sententia sive propria auctoritate legitime discesserit, nulla umquam obligatione tenetur coniugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium ; potest autem eundem admittere aut revocare, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium susceperit » (**c. 1130**).

Separatio auctoritate propria legitime instituitur, si adulterium est certum et publicum ; secus, ad iudicis seu Ordinarii sententiam est recurrendum. Adulterio quod pars innocens *post separationem* admiserit, nullum *ius* reo restituitur.

De sola iustitiae obligatione in isto canone sermo est. Status matrimonio con-

rarius de quo in c. 1130, esset susceptio ordinis sacri aut vitae religiosae, etiam in Congregatione religiosa. Reus, invita altera parte, talem statum amplecti nequit, potest vero pars innocens, quae si talem statum cum S. Sedis dispensatione amplexa fuerit, comparti adulterae facultatem idem agendi, saltem tacite, facit.

442. - Alia causa *perpetuae*, etiam invita comparte, separationis, in Codice non affertur. Abrogatur ergo ius Decretalium (c. 6 *de convers. coniug.*, X, III, 32) quo ob haeresim vel apostasiam a fide separatio *perpetua* licebat.

Ex mutuo consensu coniuges separationem tori, etiam perpetuam, ob gravem causam admittere possunt, v. g. ob periculum gravis morbi, ob magnam nutriendae prolis difficultatem, ad servandam perfectam continentiam, etc. Gravis causa requiritur, praesertim si cohabitare pergant, ob periculum incontinentiae, dissensionum, etc.

II. *De causis separationis temporariae.*

443. - 1. Praeter adulterium, aliae causae sunt quae, dum perdurent, separationis saltem temporaneae facultatem tribuant, immo officium imponere possint.

1° Haeresis et schisma, si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit ;

Ita magis determinatur crimen apostasiae quae, utpote fornicatio quaedam spiritualis, in iure anteriori separationem, etiam perpetuam, licitam faciebat.

2° Educatio prolis acatholica.

Haec enim gravissimo parentum officio observatur.

3° Vita criminosa et ignominiosa compartis.

4° Grave animae vel corporis periculum.

Scandalum enim gravi quoque incommodo removeri debet. — Periculum corporis creare potest morbus contagiosus, ut est phtisis iam provecta. Lues venerea sola cohabitatione non communicatur, modo contactus personae infectae vitetur, praesertim oris et partium sexualium.

5° Saevitiae quae vitam communem nimis difficilem reddant.

Hae causae sunt praecipuae, et *exempli causa* allegantur ; nam aliae eiusdem speciei exsistere possunt, v. g. gravissimum damnum in bonis temporalibus.

2. Antequam separatio ob has causas admittatur, recurrendum est ad Ordinarium qui, veritate et momento causarum perspectis, licentiam separationis ad certum incertumve tempus pronuntiabit. — Si tamen de gravitate causae *certo* constet et periculum sit in mora, pars innocens propria auctoritate discedere potest (c. 1131, § 1).

3. « In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae con-

suetudo restauranda est ; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore » (c. **1131**, § 2).

444. - *De educatione prolis.*

Cum separatio ob gravia tantum delicta vel grave periculum permittatur, proles parti innocenti educanda per se committenda est. Quae tamen si fuerit acatholica, cum fidei, quod est bonum maximum, grave periculum avertendum sit, per se parti catholicae, etsi delicti reae, proles est committenda. In utroque casu alius agendi modus adiunctis suaderi potest ; quare tota res arbitrio Ordinarii relinquitur (c. **1132**). Ceterum pleraeque leges civiles eam quaestionem practice, etsi non semper iure, resolvent.

445. - *Separatio a toro* per se licet quotiens alter coniux ad debitum reddendum non tenetur ; immo iure naturali imponitur quotiens debitum coniugale reddi non potest et usus tori communis proximum peccandi periculum creat. Haec separatio cum ad forum externum non pertineat, privata auctoritate semper fieri potest.

Caput XI. - De matrimonii convalidatione

446. - 1. Ubi matrimonium certo nullum est, ad diversa remedia sive pro coniugum condicione sive pro causa nullitatis, recurrendum est. Etenim pseudo-coniuges, nullitate matrimonii declarata, separari possunt aut simul cohabitare permittentur sive ut frater et soror sive in bona fide relicti, aut nunc valide coniungentur convalidatione sive simplici sive in radice.

2. Si res possibilis est, matrimonii convalidatio *per se* est consulenda ; id enim postulant fere semper cum bonum prolis, si qua sit, tum dignitas eorum qui vitam coniugalem forte diu egerunt. Attamen convalidatio prudenter facienda est, ne coniungantur personae quae certo certius infelicem vitam communem degent et probabilius altera ab altera discedent.

Si nullitas *insanabilis* est, recurrendum erit aut ad declarationem nullitatis cuius saltem alterutra pars sit conscia, aut ad silentium, bona fide permissa, si utraque pars nullitatis ignara sit. Quando saltem alterutra pars nullitatem insanabilem cognoscit, pseudo-coniuges raro permittendi erunt cohabitare ut frater et soror, in secundo casu, raro monendi. — Si nullitas est *sanabilis et publica*, remedium erit publica consensus renovatio, impedimento, si quod subsit, per dispensationem sublato, nisi condicio coniugum publicam nullitatis

atrimonii declarationem potius exigat ; si est *sanabilis et occulta*, re semper ad convalidationem est recurrendum (cf. c. 1965).

3. Convalidatio matrimonii est actus quo matrimonium, sive bona ve mala fide, nulliter contractum ita restauratur, ut valere inciiat. Cuius instaurationis effectus, etsi per se a momento convalidaionis tantum exsistunt, fictione tamen iuris ad tempus initi nulliter atrimonii retrotrahi possunt. Ita a simplici convalidatione sanatio n radice praesertim distinguitur.

Promulgatione Codicis nulla matrimoniorum convalidatio ipso iure oncessa est, ita ut matrimonia nulla ob impedimentum nova lege sublatum, convalidanda vel in radice sananda sint (Resp. *Comm. I. C.* 2-3 iun. 1918. - AAS, X, 1918. 346. - *Per.* IX, 152).

Art. I. - De convalidatione simplici

447. - Tres causae nullitatis in Codice distinguuntur, sc. impedimentum dirimens (cc. 1133-1135) ; vitium consensus (c. 1136) ; defectus formae sollemnis (c. 1137).

§ 1. DE CONVALIDATIONE MATRIMONII INVALIDI OB IMPEDIMENTUM DIRIMENS

448. - Ad convalidandum matrimonium duae condiciones requiruntur, sc. 1° ut impedimentum cesset; 2° ut renovetur consensus saltem a parte impedimenti conscia (c. 1133).

I. DE CESSATIONE IMPEDIMENTI

449. - Impedimentum cessare potest ab intrinseco, v. g. lapsu temporis, morte prioris coniugis, aut ab extrinseco, sive legis mutatione sive dispensatione. — Legis mutatione cessarunt d. 19 maii 1918 impedimentum affinitatis ultra secundum gradum lineae collateralis aut ex copula illicita (cf. supra n. 333. 335) ; consanguinitatis in quarto gradu lineae collateralis (cf. n. 329); publicae honestatis e sponsalibus (cf. n. 338); cognationis spiritualis inter baptizantem et parentes vel patrinos (cf. n. 340) ; omnis cognationis spiritualis e confirmatione (cf. n. 71). Quare ad convalidandum matrimonium nullum ob aliquod ex huiusmodi impedimentis nulla dispensatione opus est, sed sufficit sola renovatio consensus ad normam c. 1135.

De cessatione impedimenti per dispensationem, cf. supra n. 301, ss. In rescriptis ad matrimonia *convalidanda*, speciales quandoque inseruntur clausulae quae validitatem exsecutionis afficiunt, v. g. « dummodo ignorantia huiusmodi impedimenti fuerit probabilis », etc.

II. DE RENOVATIONE CONSENSUS

450. - 1. Sublato impedimento, ad matrimonium convalidandum consensus renovari debet, saltem a parte impedimenti conscia. Quonam iure haec renovatio esset necessaria, auctores non consentiebant. Recentiores tamen (1) necessitatem iuri ecclesiastico ascribebant quae nunc in Codice asseritur. Ratio est quod consensus naturaliter validus, sed ob impedimentum efficacia destitutus, modo perseveret, sublato impedimento, omnem efficaciam suam exserere potest. Obicienti actum nullum tractu temporis non posse validum fieri respondent huiusmodi consensum non fuisse actum omnino nullum sed inefficacem, cum in se omnia elementa consensus validi contineret. Veritas huius sententiae ex eo iam eruitur quod Ecclesia a renovatione consensus, saltem a parte impedimenti inconscia, satis saepe ad convalidationem simplicem, et ab utraque parte in sanatione in radice dispensabat. Consensus autem matrimonialis « nulla humana potestate suppleri valet » (c. 1081).

2. « Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit » (**c. 1133**, § 2).

Suo iure hoc postulat Ecclesia, quae ob bonum commune condiciones validi contractus definire potest.

Si pars consensum non praestitisset aut rite praestitum revocasset, positio vel renovatio consensus *iure divino* necessaria esset ; etenim nullum est matrimonium, nisi utriusque partis consensus concurrat. — Si rite datus est consensus, perseverare praesumitur (c. 1093) ; revocatio enim consensus est novum factum, quod non praesumitur, sed probatur. — Ecclesia, sicut publicam contractus formam definire potest, ita externam consensus, qui nulliter datus est, manifestationem exigere potest, ut contractus validus sit.

3. « Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse » (**c. 1134**).

Renovatio enim consensus iure ecclesiastico tamquam ratihabitio consensus naturaliter validi, sed inefficacis exigitur. Iamvero ratihabitio actus cuius nullitas ignoratur, non intellegitur (2). Quare ubi matrimonium simpliciter convalidatur, primo pars altera aut utraque de nullitate est monenda ; dein explicita consensus renovatio exigatur.

451. - Quattuor *hypotheses* fieri possunt quae diversam renovationem consensus postulant ; sed quarta, quam Codex non distincte commemorat, ad unam e prioribus reduci potest vel debet.

1. « Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma iure praescripta » (**c. 1135**, § 1).

Ubi enim impedimentum est publicum, nullitas matrimonii est cognita et eius

(1) S. ALPH. *Th. mor.*, VI, 1115. — D'ANNIBALE, *Summula*, III, 365. — FEYE, *De impedimentis*, etc. n. 766. — GASPARRI, II, 1130.
(2) Cf. VLAMING, *o. c.*, n. 765. — CHELODI, *o. c.*, n. 164.

onvalidatio publici iuris facienda est. Si tamen impedimentum natura publicum, acto omnino occultum est, ad vitandum scandalum vel quandam partium ignominiam, consulunt consensum coram sacerdote competente et duobus testibus ecreto astrictis renovare ut convalidatio, haud secus ac impedimentum, facto occulta remaneat.

2. « Si sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto » (c. 1135, § 2).

Si enim omnis *formae* defectus afuit, vinculum quo coniuges ligantur ita cognoscitur ut transitus ad alias nuptias aut ad sacerdotium vel ad vitam religiosam, vivente comparte, fiat per se impossibilis. Potest igitur Ecclesia sine incommodo a renovanda forma sollemni dispensare.

3. « Si sit occultum et uni parti ignotum, satis est ut pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret » (c. 1135, § 3).

Facultas hic concessa nititur validitate naturali praestiti consensus et effectu iam obtento formae sollemnis. Dispensatio a monenda parte inscia, quae olim propter gravem causam concedebatur, ad omnes casus impedimenti uni parti ignoti nunc extenditur.

A parte impedimenti conscia consensus est *explicite* (c. 1134), etsi privatim et secreto renovandus. Perseverantia consensus alterius partis praesumitur (c. 1093), nisi contrarium probetur. Quare in solo dubio gravi ad quaestiones recurrendum sit, quas scriptores olim suadebant, v. g. « Si matrimonium nostrum non fuisset validum, nonne velles nunc contrahere? Nonne me tamquam virum (uxorem) vere amas? » etc. sed responsam ad has quaestiones data perseverantiam in consensu manifestant, renovationem consensus, si qua sit necessaria, non efficiunt.

4. Si impedimentum *utrique* parti *ignotum* est, aut est *publicum* et tunc prudenter erunt monendi pseudo-coniuges ut renovetur consensus sicut in primo casu; aut est *occultum*: sufficit tunc ut alterutra pars eiusdem certior fiat et renovet consensum ut in tertio casu. Si utraque pars est male disposita vel periculum magnum est in detegendo impedimento occulto, ad sanationem in radice recurrendum est.

§ 2. DE CONVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI EX DEFECTU CONSENSUS

452. - Cum nulla humana lex defectum consensus naturalis supplere possit, matrimonium ex hoc defectu nullum convalidari non potest, nisi a parte quae rite non consensit iste actus voluntatis praestetur. Altera pars tamen de contractus nullitate monenda non est, neque iure ecclesiastico, neque iure naturali; satis est enim ut eius consensus, antea rite datus, perseveret ut cum altero nunc liberaliter uniatur (c. 1136, § 1).

Consensus alio modo renovandus est prout eius defectus est internus vel externus, occultus vel publicus. Si *defectus* fuerit mere *internus*, satis est ut persona quae non rite consenserat, nunc interius consentiat (c. 1136, § 2). Signum enim externum voluntatis datum

est, cui si interna voluntas accesserit, omnia quae in relationibus inter homines requiruntur ad ius acquirendum, iam exsistent.

Si defectus fuerit *externus*, manifestanda erit externe renovatio consensus et quidem privatim et secreto, si defectus occultus fuerit, nam forma sollemnis iam servata finem suum obtinuit; si defectus est publicus, ipsa sollemnis forma erit renovanda, cum fideles sciant vel scire possint eam fuisse omni vi destitutam (**c. 1136**, § 3). Exemplum habes in impedimento vis et metus, si facta satis nota sint.

§ 3. DE CONVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI OB DEFECTUM FORMAE

453. - « Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma » (**c. 1137**).

Sedulo attendendum erit quonam iure matrimonium celebratum fuerit, utrum Tridentino an Piano, ante vel post diem 19 maii 1918. Forma autem adhibenda, est quae *nunc* requiritur. *Nunc* enim matrimonium convalidari debet.

Art. II. - De sanatione in radice

454. - Quando matrimonium, sive ex indispositione unius vel utriusque partis sive ex difficultate vel impossibilitate eas monendi, per renovationem consensus cum simplici dispensatione convalidari nequit, ad convalidationem extraordinariam est recurrendum, quae **sanatio in radice** vocatur, cuius hic naturam (c. 1138), condiciones (cc. 1139. 1140) et ius concessionis (c. 1141) trademus.

§ 1. DE NATURA SANATIONIS IN RADICE

455. - 1. « Matrimonii in radice sanatio est eiusdem *convalidatio*, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, *dispensationem* a lege *de renovando consensu*, et *retrotractionem*, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum » (**c. 1138**, § 1).

Quod plerique scriptores docebant, nunc Codex asserit, sc. matrimonium non convalidari *ex tunc* seu a momento contractus nulliter initi, sed *ex nunc*, i. e. a momento concessionis gratiae. Nemo enim facere potest ut contractus qui simpliciter nullus fuerit, ex posteriori gratia tamen validus exstiterit.

2. « Convalidatio fit a momento concessionis gratiae » seu a momento quo Princeps eam elargitur, si forma gratiosa adhibita fuerit; a tempore quo exsecutioni mandatur, si in forma commissoria concessa est. Quare oportet ut momento concessionis gratiae consensus ab utraque parte praestitus perseveret, ut statim dicetur.

3 Effectus canonici qui retrotrahuntur, sc. « ad matrimonii initium, nisi aliud *expresse* caveatur », sunt imprimis legitimatio prolis aliave iura quae matrimonio valide inito niterentur.

Contra plerosque tenet Gasparri, *l. c.* II, 1152, effectus *temporales* legitimationis a R. Pontifice ad tempus initi matrimonii iure proprio retrotrahi non posse, cum non ab Ecclesiae potestate, salva boni communis necessitate, sed

civili potestate pendeant. Altera tamen sententia saltem extrinsece ita probabilis est ut filius ante concessionem sanationis in radice natus ius maioratus conscientia vindicare possit. Iure autem civili plerumque nihil obstabit cum ceteraeque causae nullitatis e iure canonico oriundae a Codicibus civilibus exsulent.

Cum per sanationem in radice perfectam, i. e. sine expressa restrictione, filii tamquam ex legitimo matrimonio nati habeantur, minus recte dicuntur legitimati ; potius legitimi habentur. Quod si legitimis non plene assimilentur, retrotractio vera non est. Quare a prima nostra sententia recedentes, potius dicemus istos filios eligi posse ad officium cardinalis (c. 232, § 2), episcopi (c. 331, § 1, 1°) et Abbatis vel praelati nullius (c. 320).

Non negamus tamen argumentum in contrarium afferri posse quod legislator in candidatis ad haec officia omnem labem ex illegitima conceptione aut nativitate removeri voluerit, quae labes etiam sanatione in radice non plene removetur (1) ; quam sententiam P. VERMEERSCH praefert.

456. - Cum sanatio in radice effectum suum sortiatur vi consensus olim naturaliter valide praestiti, « dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest vel una tantum vel utraque parte inscia » (c 1138, § 3).

A neutra parte consensus exigitur quando matrimonia in globo sanantur, quando utraque pars male disposita videtur ; ab alterutra interdum exigitur quae matrimonium mala fide nulliter contraxit, tunc vero bene est disposita, etc.

§ 2. DE CONDICIONIBUS SANATIONIS IN RADICE

457. - Ad sanationem in radice, requiritur per se et sufficit ut consensus *naturaliter validus* ab initio matrimonii fuerit praestitus et *nunc* perseveret (c 1139, § 1).

Sanatio enim removet tantum impedimenta iuris ecclesiastici, si quae sint, ut sunt impedimenta dirimentia ex inhabilitate partium, defectus formae sollemnis, vel necessitas *renovandi* consensum ; *convalidatio* vero fit momento concessae gratiae.

Ecclesia non sanat matrimonia contracta cum *impedimento* iuris naturalis vel divini, licet id, a tempore sublati impedimenti, facere possit (c. 1139, § 2).

Haec est norma Codicis. Quia tamen sanatio iuri divino non contradicit, R. Pontifex etiam in hoc casu sua potestate uti possit, cum Codice non ligetur.

Defectum vero consensus Ecclesia supplere prorsus nequit.

---

(1) Cf. SANCHEZ, *De matrimonio*, VIII, d. VII, n. 4. — WERNZ, IV, n. 664. — BRAUN, *Arch. f. kath. Kirchenrecht*, t. 43, 3, ss.

Quare : 1° « Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus » (c. **1140**, § 1).

Nota consensum praestitum praesumi perseverare, donec de eius revocatione constiterit (c. 1093). Quare quotiens partes matrimonium suum pro valido habuerunt, de perseverante consensu non est *per se* dubitandum. Immo sola scientia impedimenti etiam dirimentis, defectum consensus non probat ; potuit enim qui impedimentum cognoscebat putare suam voluntatem non omni effectu destitui et velle contrahere quantum poterat. Nec quaerendum quid fecissent, si impedimentum vel nullitatem vinculi cognovissent, sed quid re vera voluerint et nunc velint. Ideo, etiam introducta petitione declarationis nullitatis, coniuges sanatione in radice uniri possunt ; quia usque ad sententiae declarationem, censentur in consensu praestito perseverare.

2° « Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus » (c. **1140**, § 2).

§ 3. DE AUCTORE SANATIONIS IN RADICE

458. - « Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede » (c. **1141**).

Potestas R. Pontificis matrimonia sanandi in radice eruitur ex eius potestate dispensandi ab omni lege ecclesiastica et tollendi omnes effectus non observatae legis. Quia super lege universali Ecclesiae est dispensandum, haec potestas ad S. Sedem unice pertinet.

Petenda est a *S. Officio* vel a S. C. *de Sacramentis*, pro natura impedimenti publici, aut a S. Paenitentiaria, si pro foro tantum interno postulatur.

Ex facultatibus quas S. C. *de P. Fide* concedit, Ordinarii in terris missionum habent potestatem sanandi in radice matrimonia quae nulliter contracta sunt ob impedimentum super quo dispensare possunt. — Praeterea ex formula II et III, licet eis sanare in radice matrimonia mixta attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico. — Ambitus et usus harum facultatum « iuxta regulas in Codice a c. 1133 ad c. 1141 statutas » sunt intelligendi (Cf. *Epitome* I, Appendix II, n. 814, 22-23).

Legati quoque S. Sedis (Cf. *Epitome*, I, n. 813, 31) et Ordinarii locorum (Cf. *Epitome*, I, App. II) facultatem sanandi matrimonia certo ambitu obtinent.

Caput XII. - De secundis nuptiis

459. - Secundae nuptiae dicuntur quae soluto prioris matrimonii vinculo celebrantur. In Ecclesia Orientali, a saec. IV°, secundae nuptiae severius iudicatae sunt, tertiae vel quartae illicitae et irritae declaratae. Qua severitate tamquam remedio utebantur, quia indissolubilitatem prioris matrimonii minus stricte urgebant. In Ecclesia Occidentali, si influxum iuris orientalis in libros Paenitentiales excipias, secundae nuptiae semper validae et licitae, iuxta doctrinam S. Pauli, habitae sunt. Quibusdam enim ut remedium concupiscentiae necessarium esse possunt aut alio honestissimo fine suaderi vel imponi.

Honorabilior est casta viduitas quae unico matrimonio simul perfectiorem refert imaginem unionis Christi cum Ecclesia et maiorem castitatis amorem indicat.

Ad validitatem secundarum nuptiarum requiritur ut vinculum prioris matrimonii vere sit solutum, sive morte coniugis, sive, in matrimonio rato non consummato, professione sollemni compartis vel dispensatione a S. Sede ; ad liceitatem vero, necesse est praeterea ut de hac solutione certo constet (c. **1142**. Cf. c. 1069, § 2).

Iure canonico nullum *tempus* determinatur quod inter prioris matrimonii solutionem et novi celebrationem intercedere debeat. Ius romanum imitatae, non nullae leges civiles hodiernae spatium decem mensium (Cod. gall., a. 228 ; germ., § 1313 ; hisp., a. 45 ; ital., aa. 57. 107 ; helv., a. 103), aliae sex mensium (Cod. austr., § 120) inter prius et sequens matrimonium ab uxore exigunt.

460. - **Benedictio nuptialis** sollemnis, quae in missa pro sponsis habetur, cum personis, non contractui, detur, iterari nequit. Mulier vero cui benedictio numquam fuerit data, si nubat viduo, eam tamen recipere potest « ubi ea viget consuetudo » (Rit. rom. *De sacram. matrim.*). Sed « mulier cui semel benedictio sollemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere » (c. **1143**).

TITULUS VIII

DE SACRAMENTALIBUS

(cc. 1141-1153)

(A. Vermeersch, S. I.)

Scriptores : Suarez, In 3 part. S. Thomae, *De Sacramentis*, d. 15. — Arendt, S. I., *De sacramentalibus disquisitio scholastica-dogmatica*. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, tom. 4, in hos canones. — Leitner, *Die Sakramente*, § 73. — Noldin-Schmitt, S. I., *De Sacramentis*, n. 44-45. — Piscetta, S. S. et Gennaro, S. S. *Elementa theol. mor.* tom. V, n. 122-133. — Prümmer, O. Pr., *Manuale*, q. 350-352.

461. - **Ordo Codicis.** Titulus praesens in duas partes commode dividitur, alteram *generaliorem*, a c. 1144-1150, alteram *propriam rerum benedictarum et exorcismorum*.

In priore agitur successive de sacramentalium notione, institutione, ministro, ritu, et subiecto.

§ 1. PARS PRIOR, GENERALIS

462. - **Notio.** « Sacramentalia sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus, praesertim spirituales » (c. **1144**). Haec

Codicis descriptio varias omittit controversias, ita ut simul explicanda et complenda sit.

Ex quo sacramenta coepta sunt definite sumi pro signis practicis gratiae, in primis sanctificantis, *sacramentalia*, substantive quasi « sacramenta minora » (1) ab iis distincta sunt.

Ipsam vocem *sacramentalia* iam ante medium saec. XII adhibere coeperunt.

Quod sacramentalia aliquo pacto sacramenta imitentur, deficienter tamen, id convenit inter omnes, et Codice sancitur.

Pro vario autem imitationis gradu qui exigitur, *sacramentalia latius vel strictius intellegi possunt.*

Sacramenta enim sunt *res* vel *observationes sacrae, operantes gratiam* quam *significant.*

Qui *prima nota* contentus fuerit, sacramentalia vocabit omnes observantias cultus exterioris, exclusis solis sacramentis et sacrificio, ac praecipue externa sacramentorum adiuncta, quae postea appellata sunt caerimoniae. Sic theologi qui ante Suarez et Bellarminum scripserunt.

Si praeterea addideris *efficaciam* quae non sit mere conaturalis vel ex operante, tunc, exclusis etiam (praeter sacrificium et sacramenta) *meris caerimoniis* (2), sacramentalia sex genere dici poterunt, quae noto versiculo numerantur :

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedictus

Orans designat orationem dominicam et preces Ecclesiae, praesertim publicas.

Tinctus alludit ad aquam benedictam et ad varia olea benedicta vel consecrata.

Edens memorat panem benedictum (eulogias) et cibos benedictos.

Confessus refertur ad recitationem *Confiteor* et alios actus humiliationis.

Dans signat eleemosynam et opera misericordiae.

Benedictus dicitur de rebus benedictis et de benedictione personarum.

Observes benedictiones alias esse *constitutivas* sicut et consecrationes, alias mere *invocativas*. Sic ecclesia, aqua baptismalis vel lustralis, chrisma, permanente benedictione constitutiva ornantur, ita ut iam non sint profana ; dum domus, animalia et plerumque (3) ipsae personae benedictione mere invocativa donantur. Quando benedictio vel consecratio est constitutiva, sacramentale est maxime ipsa res sic benedicta ; dum, quando benedictio est invocativa, sacramentale potius in ipsa benedictione consistit.

Si praeterea postules rationem *signi*, tunc eleemosyna non est ponenda inter sacramentalia proprie talia (Cf. Arendt, *op. cit.* n. 293 ss.).

Ac perinde dicendum est de actionibus *privatis*, v. g. signo crucis, privata invocatione nominis Iesu, privata recitatione orationis dominicae, si *usum Ecclesiae* stricte talem exigas. Tunc enim usus Ecclesiae postulat interventum ministri Ecclesiae. Atque in actione privata, minus formalis est Ecclesiae impetratio, unde Codex efficaciam repetit.

Cum campus tam late pateat variis sentiendi modis, nemo mirabitur multas easque varias tradi sacramentalium definitiones, ita ut Dr Schmid, *Die Sacramentalien der katholischen Kirche, in ihrer Eigenart beleuchtet*, n. 16, non minus quam duodecim definitiones referre potuerit. Nobis autem Codicis descriptioni pressius inhaerendum est.

---

(1) Hugo a S. Victore, *De sacramentis*, L. II, Pars 9, inscriptio.

(2) Non sunt merae caerimoniae, sed vera sacramentalia, exorcismi et unctio chrismatis quae baptismum praecedunt vel sequuntur.

(3) Non tamen semper. Sic benedictio Abbatis constitutiva dicenda est.

463. - Haec descriptio, ut sacramentale habeatur, praeter aliquam sacramentorum imitationem, postulat : *usum habitualem Ecclesiae, effectus praesertim spirituales,* ex *impetratione Ecclesiae* speratos.

Quocirca, cum Codex non urgeat rationem signi, e numero sacramentalium, etsi deficit significatio, non excludit opera misericordiae.

Usus autem *Ecclesiae* intellegitur proprie instrumentalis per eius ministros, sicut habetur in sacramentis. Quare privati usus signi crucis, eleemosynae, humiliationis, etc. *minus proprie* inter sacramentalia, sicut Codex eadem intellegit, ponendi erunt.

Nullatenus autem sacramentalia sunt *indulgentiae*, cum sint largitio quam ex thesauris suis ipsa Ecclesia vel tribuit, vel, si agitur de applicatione defunctis, offert per modum suffragii ; nec *preces privatae* vel *opera bona*, cum valeant ex opere operantis : nec ipsae *deputationes personarum* ad varia munera, cum hae, vel sint sacramenta, vel non fiant instrumentaliter, sed *principaliter*, ab Ecclesia. In ipsa autem ordinatione, sacramentalia intervenire non est dubium.

Efficacia *sacramentalium impetrationi Ecclesiae* in **1144** tribuitur. Ecclesia enim, dum res benedicit, vel quaedam peragit ad obtinendos effectus spirituales, vel dum usum sacramentalium sancit, formaliter vel virtualiter a Deo postulat ut effectus indicati a Deo sponsoque Christo concedantur.

Verum, dum efficaciam istam exprimit, non negat alium fontem efficaciae, si quis probabiliter demonstretur. Iam vero, sive ex ipsa Scriptura, sive ex traditione, constat in Ecclesia esse *imperativam benedictionem* et *imperativam coercitionem daemonis*. Quare ipsa positio signi sacri ab Ecclesia iam effectus quosdam, maxime spirituales, instrumentaliter exigere videtur, cui efficaciae, quae magis stricte est ex opere operato, efficacia orationis Ecclesiae deinde adicitur. Ita fit ut res consecratae et benedictae virtutem spiritualem *inchoative* adipiscantur ; id est, vi benedictionis inducitur in rem benedictam permanens relatio realis ad Deum, omnis auxilii auctorem, qua auxilii collatio a Deo vel exigitur vel imperatur (Cf. Arendt, op. cit., n. 53, ss.).

Effectus autem *numquam est immediate ipsa gratia habitualis, vel formalis remissio peccati etiam venialis* vel, secundum communiorem sententiam, remissio poenae temporalis (Suarez, op. c. disp. 15, s. 4, n. 9). Effectus tamen dicuntur esse praesertim *spirituales*, et sunt : quaedam fuga daemonis et liberatio ab eius infestatione ; quaedam per pias motiones excitatio fidei, spei, paenitentiae, caritatis, unde et remissio poenarum et venialium culparum. Hoc modo, per auxilia actualia, quae tamen numquam, vi sacramentalium, dantur *qua efficacia* (1), sacramentalia vel removent impedimenta vel

(1) Dum id notamus, nihil observamus quod sit proprium sacramentalium, sed tradimus quod praesenti gratiarum actualium oeconomiae commune est. Sic ipsum ius ad gratias actuales, quod sacramenta simul cum gratia habituali conferunt, non praebet gratiam qua efficacem. Sin minus, omnes sacerdotes forent digni, omnia coniugia christianorum felicia.

disponunt ad sanctificationem. Accedunt beneficia *corporalia* vel *temporalia*, quae tamen non dantur qua talia, sed qua utilia ad salutem; et elongatio mali, quae ad liberationem a daemone referenda est, quatenus, in praesenti ordine, omnia mala temporalia quandam cum peccato conexionem habent.

Suntne effectus *infallibiles?*

Scriptores non eodem modo huic quaestioni respondent. Magis tamen verbis quam re dissentiunt. Consecratas et benedictas esse res vel personas quas Ecclesia benedicit vel consecrat, non ambigitur, ita ut res permanenter benedictae constitutiva benedictione, re vera possideant inchoativam istam virtutem supernaturalem de qua hic supra sermo fuit. Constat quoque Ecclesiam, dilectam Christi sponsam, semper audiri, ita ut nulla eius oratio sit frustranea. Cum autem agitur de effectu definito et particulari, nec absolute necessario ad salutem, eius adeptio subordinatur semper ordini divinae Providentiae, quae etiam interdum nos melius exaudit quando, pro bono intento, aliud, nobis magis utile, surrogat. Praeterea in ipso subiecto cui applicatio facienda est, dispositio deficere potest.

Quare ipse exorcismus non habet infallibilem effectum expellendi daemonem; sed is infallibiliter urgetur, praecepto ministeriali, « vel ad discedendum vel saltem ad desistendum ab impugnando, tantum quantum Deo placuerit » (1). Ideo inutilis non est recursus ad ministrum sanctiorem, invocatio Beatae Mariae Virginis, propinquitas imaginis miraculosae; atque intellegitur, charisma extraordinarium expulsionis daemonis, etiam nunc quibusdam opportune concedi posse.

Sacramentalia sunt res et actiones. *Res* sunt aquae benedicta, cereus paschalis, agnus Dei; *actiones*, benedictio personarum vel etiam rerum, et, paulo latius, signum crucis, recitatio privata *Confiteor*, privata invocatio Nominis Iesu. Atque actio cum re coniungi potest: ut in aspersione aquae lustralis, in unctione facta a ministro Ecclesiae.

Ipsa invocatio Nominis Iesu *connaturalem* possidet *efficaciam* ad fugandum daemonem cui suam cladem repraesentat.

464. - Sacramentalium constitutio, mutatio, abrogatio, interpretatio. C. 1145 reservat Ecclesiae et Sedi Apostolicae sacramentalium *constitutionem*, authenticam *interpretationem* (qua eorum vis vel effectus vel condiciones definiuntur), *suppressionem, mutationem.*

Inde sequitur Sacramentalia posse numero variare, et aliter, in constitutione sua, determinari pro voluntate Sedis Apostolicae. Et sic etiam recens, novae benedictiones et rationes exorsismi invectae sunt. Puta exorcismum Leonis XIII, benedictionem machinae aëreo itineri destinatae.

---

(1) Arendt, op. cit., n. 343.

Cave tamen ne inde inferas sacramentalia esse originis *mere ecclesiasticae.* Solus enim Deus effectus supernaturales exsequi eosque cum signo sensibili conectere potest. Solus etiam ipse potestatem dedit Ecclesiae imperative benedicendi aut coercendi daemones.

Sed dum ipse Dominus definite statuit esse et fore in Ecclesia septem fontes gratiarum quae sunt *sacramenta,* constitutioni *sacramentalium,* generaliter facta promissione vel collata potestate providit, ita ut tot et talia essent qualia ea efficeret Ecclesia.

Ipse tamen Christus magis in specie dici potest *auctor* exorcismi, dum voluit ut in nomine Ipsius daemones eicerentur ; *suasor,* exemplo et commendatione promissoria, lotionis pedum seu exercitii humiliationis, et *praeceptor* orationis dominicae. Atque observes hanc non accenseri sacramentalibus ex generali promissione quae omnem orationem honestat ; sed quatenus, saltem ex usu Ecclesiae, ipsa formula verborum tamquam specialiter efficax adhibetur, sicut operibus misericordiae annexa est peculiaris promissio mercedis quae non est omnibus bonis operibus communis.

465. - **Sacramentalium minister.** De ministro Codex haec habet :

1. Legitimus est clericus qui potestatem habet, eamque exercere non est a competente auctoritate prohibitus (c. **1146**). Sic usus potestatis exorcizandi expressam et specialem licentiam Ordinarii requirit (c. 1151, § 1).

2. Nemo *valide* consecrat, nisi vel characterem episcopalem habeat, vel iure aut apostolico indulto id permittatur (c. **1147**, § 1). Sic Cardinales-sacerdotes possunt ex c. 239, § 1, 20° ecclesias, altaria, calices consecrare.

Excommunicatus et *personaliter interdictus prohibentur* sacramentalia ultro conficere et ministrare. Id tamen possunt requisiti, nisi sint vitandi vel sententia condemnatoria aut declaratoria affecti. Ac cessat haec prohibitio si requirens sit in periculo mortis, et desint alii ministri (cf. c. 2261 et 2275, 2°).

3. *Sacerdos* semper *valide* efficit benedictiones, nisi Sedes Apostolica aliud in reservatione expresserit ; sed reservatas S. Pontifici vel episcopis aut aliis dare prohibetur. Observes *indulgentias,* ab iis solis quibus facultas facta est, rebus piis annecti posse. Cf. R. P. Hecht, P. S. M. *Per.* XVI, 17* ss.

4. « *Diaconi* et *lectores* illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse *a iure* permittuntur » (c. 1147, § 4).

Si requiritur **clericus,** numquam mulier sacramentale administrare potest. Quare non est sacramentale, benedictio quam Abbatissa monialibus confert, sed

quaedam benedictio materna, vel, ut ait R. P. Arendt, *op. c.*, n. 362, mera oratio et gratiarum actio.

Lector benedicere potest panem et novos fructus (*Pontificale Rom.*, *De ordinatione lectorum*). Formula ritualis utetur, omisso « *Dominus vobiscum* ». Cf. Hecht, l. c. p. 21*.

Exorcista practice, ex hodierna disciplina, nihil potest, cum exorcismi non sint committendi nisi sacerdotibus.

Diaconus sibi propriam benedictionem habet cerei paschalis. Praeterea, quando deficientem sacerdotem supplet in baptismo sollemni, in dispensanda eucharistia, potest, sicut sacerdos, exorcismos et benedictiones impertire quae pars sunt sacri ritus; salem tamen vel aquam baptismalem benedicere nequit; potest quoque cum pyxide, rediens ab aegroto, benedicere. Atque idem dicendum est de benedictione danda manu post distributam s. communionem (*Rit.* t. IV, c. 2, n. 10). Diaconus etiam *ritum exsequiarum*, non exclusa tumuli benedictione, servare debet quando exsequias peragit « de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, vel in casu necessitatis legitime praesumpta. » (*Rit.* t. 6, c. 3. n. 19.)

Quod ad *sacerdotes*, ipsum Rituale distinguit benedictiones *non reservatas* et benedictiones *reservatas*. Has quidem, nisi clausula ipsum valorem reservet, conferunt tamen valide. Verum aliud est benedictio aliud *communicatio indulgentiarum* : haec supponit concessam facultatem.

Aliae benedictiones reservantur *S. Pontifici* : benedictio pallii, rosae aureae, agnus Dei, gladii principum; aliae *episcopis*, v. g. benedictio abbatum, consecratio virginum, benedictio ss. oleorum, etc.; aliae *parochis* : sollemnis benedictio domorum in sabbato sancto, non autem benedictio mulieris post partum; aliae *religiosis certae familiae* : benedictio viae crucis, Fr. Minoribus; rosariorum, Fr. Praedicatoribus; scapularis Montis Carmeli, PP. Carmelitanis.

Facultates benedicendi, cum non sint delegabiles, communicari cum aliis nequeunt sine expressa, generali vel speciali, S. Sedis concessione.

Clausulae concessionibus additae diligenter dignoscendae sunt, cum possint ad valorem vel tantum ad liceitatem esse observandae. Ipsa clausula *De consensu Ordinarii loci*, post declarationem S. C. *Indulg.* 14 ian. 1901, non est, contra ac scribit R. P. Augustine, in c. 1147, ad valorem, sed ad liceitatem; atque, intra parietes domesticos, satis est religiosis consensu sui Superioris. Consensus autem iste potest esse expressus, tacitus, immo rationabiliter praesumptus. Cf. Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, I, 835.

466. - Ritus accurate servandi sunt. Usus *formulae* ab Ecclesia praescriptae est ad valorem essentialis, sive *constitutivae* sive *invocativae* fuerint benedictiones et consecrationes (**c. 1148**). Atque *aspersio aquae* benedictae seu lustralis, pars est formulae, quando praecipitur.

Etiam ante missam lectam in oratoriis semi-publicis cineres benedici possunt secundum *Memoriale Ben.* XIII, Cf. *S. R. C.*, 6 nov. 1925 ad IV, *Per.* XV, 54. Perinde dicendum est de candelis in Purificatione B. M. V., de palmis in die Palmarum). Dummodo benedicantur feria IV Cinerum, distribui possunt Dominica I Quadrag. in ecclesiis, et, secundum prudens Ordinarii iudicium, in singulis casibus, etiam in aliis oratoriis vel in sacellis ruralibus. Cf. *S. R. C.*, 30 ian. 1922; 1 feb. 1924, *Per.* XI, 122 ; XIII, 71.

467. - Subiectum. Etsi benedictiones sint pro *catholicis* institutae hisque praesertim impertiendae, dari tamen quoque possunt *catechumenis*, et, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, « etiam *acatholicis* ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem » (**c. 1149**).

Ratio est quia non conferunt gratiam per se membris Ecclesiae destinatam, sed ad eam, ac proin ad conversionem disponunt.

Catechumeni igitur, sine restrictione (*S. R. C.*, 8 mart. 1919 Decr. auth. n. 4352), *acatholici*, quatenus natura rei vel prohibitione speciali non excludantur, ac proin solum privatim (1), sacramentalium participes fieri possunt. Cavendum tamen est ab omni superstitione in fine vel modo utendi. Poterunt ergo benedici eorum personae vel domus ; poterunt ipsi recipere candelas, cineres, palmas benedictas. Consecrationum autem sunt incapaces. Positiva prohibitio acatholicos excludit benedictione nuptiali. Ne superstitiose rebus benedictis utantur, docendi sunt, nullum effectum infallibilem contra fulgura vel morbos esse exspectandum.

Post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, *excommunicati* aut personaliter *interdicti* etiam receptione sacramentalium prohibentur (c. 2260. § 1; 2275, 2°).

§ 2. PARS ALTERA, SPECIALIS

468. - I. De rebus benedictis. Praecipitur reverentia erga res consecratas vel benedictas constitutiva benedictione; nec ad usum profanum vel non proprium adhiberi possunt, etiamsi in dominio privatorum sint (**c. 1150**)

Contra ergo ac dicebatur, non licet uti candela benedicta tamquam lumine vulgari, nec bibere aquam benedictam ad sitim exstinguendam. Verum haec nec mortalia sunt nec sacrilegii arguenda, et ex iusta causa facile excusantur.

Sed qui falsam materiam scienter sacramentalibus supponat, gravis sacrilegii reus fuerit.

469. - II. De exorcismis. 1. Exceptis exorcismis qui in baptismo et in consecrationibus vel benedictionibus occurrunt et quorum legitimi ministri sunt qui legitime baptizant sollemniter, consecrant vel benedicunt (**c. 1153**), peculiaris et expressa licentia Ordinarii requiritur ut quis sua exorcizandi potestate legitime *erga obsessos* utatur. Solis probatissimis sacerdotibus, post prudentem casus investigationem, licentia ista danda est. (**c. 1151**).

Ordinarius esse poterit Superior maior religionis clericalis exemptae, si obsessus ad eius familiam pertineat aliquo titulo, c. 514 indicato.

Soli exorcismi qui *in obsessos* proferuntur isti prohibitioni obnoxii sunt (2). Unde exorcismi locorum et agrorum facilius proferri possunt. Atque exorcismus

---

(1) Cf. infra, n. 577, fine, Instr. S. *Officii*, qua vetatur ne in sacris functionibus haec recipiant. — (2) Immo PRUEMMER, q. 352, *Nota*, pro solis exorcismis sollemnibus et publicis licentiam Ordinarii requiri existimat.

dictus a LEONE XIII, qui in Rituali reperitur, tamquam piae orationis formula a fidelibus recitari potest.

Cum c. 1153 omnibus legitimis baptismi ministris solos concedat exorcismos qui *in baptismo* occurrunt, ac benedictio, mixta exorcismis, aquae et salis baptismum *praecedere* soleat, viget adhuc resp. *S. R. C.* 10 feb. 1888. (*Decr. auth.*, 3684) quo diaconus sollemniter baptizans aquam et salem benedicere *vetatur*. (Cf. *Rit.* t. II, c. 2, n. 27 et t. IV, n. 51.)

2. Quod ad *subiectum*, exorcismi aeque in acatholicos et excommunicatos atque in fideles et catechumenos fieri possunt (c. **1152**).

Neque excipiendi videntur ipsi vitandi excommunicati, cum hic agatur de directa liberatione a daemone, cuius infestae artes ipsam vim excommunicationis, poenae medicinalis, impedire possunt.

PARS SECUNDA

DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS

Haec altera libri tertii pars, ex ipsa sua inscriptione, naturaliter in duas sectiones dispertitur, alteram de sacris locis, alteram de temporibus sacris.

SECTIO I - DE LOCIS SACRIS

(cc. 1154-1160)

Scriptores : MANY, *De locis sacris.* — AUGUSTINE, O. S. B., *A commentary*, t. 6, in hos canones. — CLAEYS-SIMENON, *Manuale iur. can.* n. 763-817 ; — DE MEESTER, *Iur. can. Compendium*, n. 1113-1238. — MATTHAEUS A CORONATA, O. M. C. *De locis et temporibus sacris*, Sectio I. — PRÜMMER, O. P. *Manuale*, q. 353. 370. 354.

INTRODUCTIO

Ordo Codicis. Titulis prioris sectionis praeponuntur canones quibus ordine docemur locorum sacrorum *notionem*, *constitutionem*, *demonstrationem* seu *probationem* et *exemptionem*.

470. - I. Notio. « *Loca sacra* ea sunt quae *divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione* quam probati liturgici libri ad hoc praescribunt » (c. **1154**).

Itaque, duplex agnoscitur locorum sacrorum destinatio, cum alia *cultui* divino, alia *sepulturae* ecclesiasticae destinentur. Praeter destinationem, ut locus sit sacer, opus est authentica deputatione quae fit per benedictionem aut consecrationem, ita ut sacella, coemeteria non benedicta locis sacris annumerari nequeant. Ipsa autem benedictio aut consecratio peragenda est modo quem libri liturgici, id est *Pontificale* et *Rituale Romanum*, praescribunt ; idque etiam est essentiale. Excipe tamen supremam potestatem S. Pontificis, qui sola exterius significata voluntate omnia, in universo orbe, benedicere aut consecrare potest, cum ritus sequendus sit institutionis ecclesiasticae, seu legis in qua S. Pontifex dispensare potest. Ista tamen potestate uti non solet, nisi forte ad sananda dubie peractae consecrationis vitia.

Consecratio et *benedictio* communem effectum habent locum *exclu-*

sive deputandi usui sacro (c. 1150); differunt autem *ritu* (1), qui in consecratione continet unctionem et chrismationem, dum in benedictione mere adhibetur aqua lustralis; ac praeterea *firmitate*, cum consecratio sit magis irrevocabilis. Quare sollemnior est deputatio per consecrationem quam per benedictionem.

471. - II. Constitutio. 1. Auctor. Canone **1155** sancitur ius privativum, quod iam ante Codicem habebat *Ordinarius territorii*, ad consecrationes in suo territorio peragendas, modo ipse esset charactere episcopali insignitus. Consecrationes locorum ad ipsum « spectant ». *Vicarius generalis* easdem peragere non potest (etiam si sit episcopus titularis) sine speciali mandato. Atque ecclesiae *regulares*, salvo peculiari privilegio, ius istud Ordinarii territorii non effugiunt. Salvum tamen manet privilegium *Cardinalium*, etiam non episcoporum, consecrandi ecclesiam et altare sui tituli. Ubique autem, ex c. 239, § 1, 20°, possunt Cardinales etiam non episcopi, consentiente Ordinario, consecrare ecclesias et altaria; quod possunt quoque rite benedicti *Abbates* et *Praelati nullius*, ex c. 323, § 2.

Severa ista attributione confirmatur quod t. I, 717 monuimus, exemptionem regularium esse quidem mixtam, loca tamen non esse exempta plene, sed solum ratione Regularium. Ideo, quamvis Praelatus regularis possit esse episcopus, quamvis tunc, ut vidimus (II, 239), suos subditos ordinare permittatur, ad ipsum tamen non spectat consecratio propriae ecclesiae, sed ad Ordinarium territorii. Ratio esse videtur sollemnis et irrevocabilis deputatio quam in illo territorio consecratio per se secum fert.

Ordinarius autem territorii est etiam Abbas *nullius*, etiam si abbatia non constet tribus paroeciis requisitis ut regulae Codicis de Abbatibus *nullius* applicari queant. (Cf. c. 319, § 1 et 2, et Augustine, in h. c.)

Si Ordinarius territorii charactere episcopali careat, ipse quidem (excepto Abbate vel Praelato *nullius*) ecclesiae consecrationem peragere non poterit; ad ipsum tamen, etiam pro ecclesia regulari, spectabit designatio episcopi consecratoris. Quare ipsius licentia indigebit Praelatus regularis qui sit episcopus, ut propriam ecclesiam consecret.

R. P. Augustine, in h. c. adhuc Regularibus concedit usum C. *Dum intra*, Leonis X, 19 dec. 1516, quae § 12 permittit ut advocetur episcopus extraneus, si Ordinarius loci, bis aut ter cum debita reverentia et urbanitate requisitus, consecrationem recusaverit. Sed absoluta verba quibus Tridentinum prohibet episcopis alienis usum Pontificalium sine licentia Ordinarii loci (Trid. s. VI,

---

(1) Consecratio ecclesiae consistit *essentialiter* in ungendis sacro chrismate duodecim crucibus, quae pictae aut sculptae sunt in pariete, cum prolatione verborum: « Sanctificetur », etc. in Pontificali Romano praescriptorum. Ritus vero *essentialis* benedictionis est aspersio parietum in parte superiore et inferiore cum aqua benedicta, simul prolatis precibus in Rituali Romano praescriptis (Wernz, III, n. 436).

Ref. c. 5 et s. XIV, c. 2) non sinunt ut sanctionem istam vigere existimemus. Hodie via in huiusmodi casu ineunda, est recursus ad S. Sedem. Verum, ex c. 337, § 1, consensus rationabiliter praesumptus episcopi loci sufficere videtur.

Ordinarius autem loci, etiam si charactere episcopali careat, « potest cuilibet *eiusdem ritus* episcopo licentiam dare consecrationes peragendi in suo territorio » (c. 1155, § 2). Ab episcopo alieni ritus peracta, consecratio valida quidem erit, sed illicita. Ritus autem considerandus, esse videtur *loci consecrandi*. Quare, si ecclesia graeca consecranda sit in dioecesi latina, Ordinarius loci, etsi fuerit episcopus, consecrationem istam peragere non poterit, sed episcopum graecum deputare debebit, aut indultum habere S. Sedis.

Ius tamen Superioris religiosi exempti in ecclesias suas protegitur **c. 1157**, quo postulatur consensus Ordinarii ut *locus* consecrari vel benedici legitime possit. Ipse ergo Ordinarius territorii, consentiente tantum Superiore maiore religionis exemptae, templum istius religionis consecrare licite poterit.

Quod ad *benedictionem*, ius benedicendi sollemniter locum sacrum reservatur *Ordinario territorii*, nisi locus sacer pertineat ad religionem clericalem exemptam; tunc enim benedictio spectat ad *Superiorem maiorem*, qui non minus quam Ordinarius territorii pro aliis locis sacris, alium sacerdotem ad id deputare poterit (**c. 1156**).

Cum in c. 1156 non repetatur clausula c. 1155, qua *Vicarius generalis* excluditur, et agatur de re minus sollemni, dicemus Vicarium generalem mandato speciali non indigere ad benedicendum locum sacrum.

R. P. Augustine iterum huc introducit Guardianos et Conventuales Priores ut habentes auctoritatem quasi-provincialium; quod admitti non posse, iam diximus in t. I, n. 577.

Porro, ex c. 1157, « Non obstante quolibet privilegio, *nemo potest locum sacrum consecrare vel benedicere sine Ordinarii consensu.* »

Itaque ne Cardinalis quidem poterit, sine licentia Ordinarii sive territorii, sive regularis (pro vario casu), aliam ecclesiam atque ecclesiam proprii tituli consecrare. Cf. ceterum c. 239, § 1, 20o. Atque Ordinario regulari optio permittitur curandi per se benedictionem, aut per Ordinarium territorii consecrationem propriae ecclesiae.

472. - III. **Demonstratio** seu **probatio peractae consecrationis vel benedictionis.** C. **1158** vult ut de peracta consecratione vel benedictione redigatur documentum « cuius alterum exemplar in Curia episcopali, alterum in ecclesiae archivo servetur ».

Si tamen benedicta fuerit ecclesia religionis clericalis exemptae, putamus alterum documentum potius servandum esse in archivo Superioris maioris : Codex curiam episcopalem nominavit, quia omnis consecratio et pleraeque benedictiones spectant ad Ordinarium territorii. Ita etiam Matthaeus a Coronata, n. 6, et De Meester, n. 1116, nota 4. Immo, ni fallimur, in quasi-dioecesi, cui non praeest episcopus, documenta erunt in curia quasi-dioecesis servanda, minime autem in curia Episcopi consecratoris. Id ratio legis postulare videtur.

Si autem res, ut plerumque, nemini sit damnosa, consecratio vel enedictio satis iam probatur per unum testem omni exceptione naiorem (**c. 1159**, § 1). Contentiosa fieri potest quaestio, si agatur le addictione aedificii usui profano.

Huiusmodi testimonium valere potest, etiamsi signa peractae consecrationis, eu cruces non appareant, saltem si ex vetustate vel refectione ecclesiae rationabilis explicatio detur cur sint absentes. Cf. casum solutum 27 nov. 1785 *Decr. auth. S. R. C.* n. 2174).

473. - Cum perpetuae sint per se cum consecratio, tum ipsa benelictio, prohibetur earum iteratio, si de alterutra legitime constet. In lubio autem « peragatur ad cautelam », i. e. iteratio permittitur c. 1159, § 2).

Observes aliud per se significari iteratione *condicionata*, aliud iteratione *ad cautelam* simpliciter concessa : haec est absoluta, sed propter ustam rationem permissa.

474. - IV. Exemptio loci. Canone **1160** vindicatur loco sacro exemptio ab auctoritate civili et ius Ecclesiae ibidem libere exercendi suam iurisdictionem. Applicatio istius principii deprehenditur in c. 1179 de *iure asyli*, de quo infra.

TITULUS IX

DE ECCLESIIS

(c. 1161-1187)

Scriptores : Van de Burght, *De ecclesiis.* — Gasparri, Card., *Tractatus canonicus de SS. Eucharistia*, I, 122-186. — Many, *Praelectiones de locis sacris.* — Wernz, *Ius Decretalium*, t. III, nn. 427-448. — Augustine, O. S. B. *A Commentary*, in hos canones. — Claeys-simenon, *Manuale*, nn. 768-786. — De Meester, *Compendium*, nn. 1119-1144. — Matthaeus a Coronata, O. M. C. *De locis et temporibus sacris*, nn. 10-18. — Prümmer, O. P. *Manuale*, q. 355-365

Ordo Codicis. Praeposita, c. 1161, notione ecclesiae, Codex agit de aedificatione ecclesiae materiali eiusque formali constitutione per consecrationem vel benedictionem ; cui parti accedunt canones de campanis et de exsecratione ecclesiae (c. 1162-1170). Deinde indicat quaenam in ecclesia fieri debeant, possint, vel non liceant ; atque ibi explicat ecclesiae violationem et reconciliationem (c. 1171-1180). Tum administrationem temporalem et nominationem officialium aggreditur (c. 1181-1185), ut demum regulis de refectione vel reductione ad usum profanum (c. 1186. 1187) titulum de ecclesiis concludat. Quare sex articulos huic titulo ascribemus.

Art. I. - Ecclesiarum notio

475. - Ecclesia, a voce graeca quae *coetum*, congregationem significat, dum *aedificium* seu locus congregationis dicebatur ἐκκλησιασ-

κήριον (1), dicitur etiam nunc societas fidelium, sive universa sive particularis (ecclesia belgica, gallica, florentina, pisana). Sumpta pro ipsis aedibus sacris, ecclesia a Codice sic describitur : « *Ecclesiae nomine intellegitur aedes sacra divino cultui dedicata eum potissimum in finem ut omnibus Christifidelibus usui sit ad divinum cultum publice exercendum* » **(c. 1161)**.

In hac definitione traditur nota *communis* omni oratorio : *dedicatio cultui divino*, et nota *specifica*, desumpta *ex fine*. Ecclesiae propter publicum cultum a Christifidelibus exercendum praecipue dedicatae sunt ; prima intentione conduntur propter fideles, dum oratoria vel non omnes Christifideles admittunt, vel, quamvis omnes admittant, diversa tamen intentione sunt erecta : v. g. ad honorandam imaginem sanctam, propter confraternitatis commoditatem.

Similem Codicis definitionem dabat MANY, *op. c.* p. 11 : « Ecclesia est aedes publica, cultui divino dicata, quae eo potissimum fine dedicata est, ut publico populi fidelis usui inserviat ». Atque istis definitionibus iam non semel praeluserat *S. Rituum Congr.* v. g. in *Decr. gen.* 5 iun. 1899 *(Decr. auth.* n. 4025).

Usu *vulgari* non raro, hodie, ad solam amplitudinem loci attenditur, et ecclesiae dicuntur aedes maiores, dum minoribus nomen oratoriorum vel cappellarum tribuitur.

476. - *Varia ecclesiarum nomina.* Iuvat, pro intellectu decretorum et librorum, potissima nomina recensere quae, pro varia earum qualitate vel usu, ecclesias designant.

Basilicae (domus regia, aedificium usibus publicis, v. g. iuri dicendo destinatum) vocantur quattuor nobiliora templa Romana : S. Ioannis Lateranensis, S. Petri, S. Pauli, S. Mariae Maioris, quae sunt quoque basilicae *maiores* (2), dum aliae illustres ecclesiae honorifico basilicae nomine et paucis privilegiis annexis sine titulo praecedentiae, decorari consueverunt.

Cathedrales dicuntur ecclesiae in quibus thronus episcopalis est erectus; *metropolitanae* ubi sedet archiepiscopus metropolita. *Quasi-cathedrales* sunt ecclesiae quae caput sunt Abbatiae vel Praelaturae *nullius ;* immo *abbatiales*, post cathedrales, reliquas praecedunt.

Collegiatae habent collegium, sibi ascriptum, clericorum vel canonicorum, quo Capitulum constituitur. Quaedam, hac qualitate decoratae, dicuntur *insignes* vel *perinsignes*.

Curatae sunt ecclesiae quibus annexa est cura animarum.

Parochialis est ecclesia curata quae congregat, cum proprio rectore, sub Episcopo, definitum populum. Definitio generatim fit territorio. Cf. c. 216. 451.

Baptismalis ex possesso fonte baptismali dignoscitur.

Succursalis parochiali annectitur quo necessitatibus vel utilitati spirituali populi melius provideatur. (In Gallia et in Belgio, dicebantur succursales, post Concordatum 1801, parochiae quas gubernium non ut tales agnoverat et quasi succursales addixerat parochiae primae vel secundae classis.)

---

(1) Lingua flandrica vocatur *Kerk ;* anglica, *Church;* germanica, *Kirche :* quae nomina, pro origine habent vocem graecam κυριακόν = Dominicum. (Cf. PAUL SCHANZ, *Kirchenlexicon*, Herder, v. *Kirche.*)

(2) Teste MATT. A CORONATA, *o. c.* n. 50, maiores quoque sunt, extra Urbem, Assisienses basilicae S. Francisci et S. Mariae Angelorum.

Regularis seu *religiosa* est quae, vel ab initio vel postea, instituto religioso legitime est plene addicta. Haec non est confundenda cum ecclesia quae ad usum precarium, sive indefinite, sive ad certum tempus, sive modo transitorie, communitati religiosae addicitur.

Recepticia dicitur ecclesia cuius clerus non est *numeratus*, seu numero definitus, sed, pro redituum augmento vel imminutione, frequentior vel rarior admittitur.

In Belgio, cum non exstent beneficia simplicia, hac distinctione non utimur. Cum tamen lege vel decreto cuique ecclesiae parochiali suus assignetur numerus cooperatorum qui subsidiis gubernii fruantur, nostrae ecclesiae parochiales potius numeratae dicendae sunt. Quod ad *cathedrales*, Brugense capitulum decem canonicis titularibus et decem honorariis constans, certo est *numeratum* ; dum ad *recepticia* ascribi potius debent capitula, qualia Mechliniense et Namurcense, quae tamquam titulares conservant canonicos qui obtinuerunt pensionem.

Matrix dicitur ecclesia territorii cuius pars avulsa in novam parochiam erecta est : haec dicitur *filialis*. Strictius autem habetur *matrix* et *filialis*, si propter istam originem prior alteri saltem quodam honore superior esse cernitur. Cfr De Meester, 1120, 2°.

Art. II. - Ecclesiae aedificatio, constitutio, exsecratio, campanae

§ 1. ECCLESIAE AEDIFICATIO

477. - 1. Omnis ecclesiae aedificatio praerequirit *expressum* et *scriptis* datum consensum Ordinarii territorii, quem, sine mandato *speciali*, Vicarius Generalis concedere *nequit* (c. 1162, § 1).

Itaque, licentia Vicarii generalis, sine speciali mandato data, iuridice inefficax foret. Expressus et scriptus consensus ad *liceitatem*, non ad validitatem formae refertur ; et peccatum, per se, est solius concedentis.

Consensus autem iste *prudenter* dandus est. Quocirca :

a) Oportet ut praevideantur *sufficientes opes* ecclesiae exstruendae, conservandae, alendis ministris, ordinando cultui (c. 1162, § 2). Regulae canonicae hic attendendae sunt, v. g. quae ordinant modum dividendi beneficia et subsidia quae matrix ecclesia filiali tribuere debet. Haec postea in hoc libro tertio explicabuntur.

b) Audiendi sunt vicinarum ecclesiarum *rectores*, quorum intersit. Atque hi efficaciter obicere possunt materiale seu temporale ecclesiae suae detrimentum, nisi spirituali fidelium utilitate, iudice antistite, sit compensatum.

Integrum quoque est iis quorum refert, agere in iure actione quae dicitur « *novi operis nuntiatio* », qua scilicet opus novum ut damnosum nuntiatur iudici ut istud prohibeat.

Mota lite, opus per se interrumpendum est, nisi iudex sinat ut periculo aedificantis continuetur donec de iure sit statutum (c. 1162, § 3 et 1676).

478. - 2. Expressa § 4 eiusdem canonis dispositione statuitur ipsos *religiosos*, — licet consensum constituendae domus in dioecesi vel

civitate ab Ordinario rettulerint, qui consensus continet pro religionibus clericalibus facultatem habendi oratorium publicum annexum, — indigere positiva licentia eiusdem Ordinarii, ut ecclesia vel oratorium publicum in certo ac definito loco aperiatur.

Generalis enim utilitas conventus non impedit quin ipse locus selectus possit esse parum opportunus. Quare, post licentiam datam pro dioecesi, attendendum est ad selectam civitatem vel oppidum ; post licentiam datam pro civitate, ipsa civitatis regio consideranda venit ; post concessam aedificationem in tali civitatis regione, refert nihilo minus scire quanam domus parte, seu quanam via aperiatur ecclesia.

479. - 3. Dum licentiam concedit, Ordinarius non prohibetur rationabiles quasdam condiciones apponere. Sic possit, concessa licentia pro conventu, excludere oratorium publicum ; vel in ipso concesso oratorio, quasdam functiones sacras. Quae vero iuri communi sint contrariae condiciones, Ordinarius frustra apposuerit, v. g. quod in oratorio publico vel semi-publico non satisfiat praecepto Ecclesiae de missa audienda. (Cf. Wernz, III, n. 430, Matthaeus a Coronata, n. 14, 6°.)

480. - Quod ad ecclesiae *formam*, praecipitur Ordinario cura, « audito etiam, si opus fuerit, peritorum consilio, ut in ecclesiarum aedificatione vel refectione serventur formae a traditione christiana receptae et artis sacrae leges » (**c. 1164**, § 1).

Commendandum videtur, in satis ampla dioecesi, ut stabilis quidam coetus peritorum de hac re constituatur.

Praeterea, « In ecclesia nullus aperiatur aditus vel fenestra ad laicorum domus ; locaque, si adsint, subter ecclesiae pavimentum aut supra ecclesiam, ad usum mere profanum ne adhibeantur » (c. 1164, § 2). Itaque, sine indulto pontificio, patronus seu benefactor nequit sibi stipulari ius habendi huiusmodi fenestellam vel aditum : nec ipsi religiosi possint sibi, supra ecclesiam, exstruere cubicula ad habitandum die ac nocte (Cf. Wernz, II, n. 431). Bibliotheca autem monasterii res profana esse non censetur. (Matthaeus a Coronata, n. 18, 1° e.)

§ 2. ECCLESIAE CONSTITUTIO

481. - 1. Ecclesiae constitutio *inchoatur* benedictione et impositione primarii lapidis, quae spectat ad Ordinarium territorii vel ad Superiorem maiorem religionis clericalis exemptae vel ad sacerdotem ab alterutro, pro casu, delegatum (**c. 1163** et 1156).

In caerimonia, quae initio alterius partis Pontificalis describitur, iam praeparatur ecclesiae dedicatio, oratione in qua nominatur sanctus vel sancta in cuius honorem ac nomen ecclesia fundabitur.

482. - 2. *Perficitur* vero eadem constitutio dedicatione ecclesiae.

a) Haec est, in genere, ritus sacer, ab Ecclesia institutus, quo locus profanus fit sacer et a legitimo ministro deputatur ad cultum divinum. (Cf. Wernz, III, n. 436, qui inserit verba *in perpetuum.*)

Deputatio ista fit potissimum et modo irrevocabili per sollemnem *consecrationem*, quae proin est dedicatio stricto sensu ; fit etiam, et, per se, in perpetuum, *benedictione* quae dicitur ecclesiae vel *oratorii publici*. Plerumque ecclesia prius benedicitur et deinde consecratur.

b) Quia, ante huiusmodi benedictionem, ecclesia non est constituta, in ea, quam diu non est saltem benedicta, celebrari vetantur divina officia, ac proin, ait Wernz, ipsum missae sacrificium (c. 1165, § 1 et Wernz, III, n. 436).

Severior igitur est disciplina pro ecclesiis et oratoriis publicis quam pro semi-publicis vel privatis, in quibus, etiam sine ulla benedictione, sacra fieri possunt, ex c. 1196, § 2.

Ut ergo in ecclesia nondum benedicta missa dici possit, oportet ut vi indulti vel adiunctorum, missa in loco profano dici queat. Many tamen, n. 19, putat missam ab Ordinario interea ibi permitti posse. Fas est saltem ibi permittere missam per modum actus, ex c. 822 et 1194. Generatim admittunt in ecclesia « provisoria » non benedicta officia et missam permitti posse dum *definitiva* exstruitur (De Meester, n. 1125, nota 2).

Peracta dedicatione ecclesia fit *persona iuridica*, capax acquirendi bona. Cf. Gillet, *La personnalité juridique en droit canonique*, p. 243 ; Vromant, *Per.*, XVIII, 19*.

c) Quia ecclesiae dedicatio, etiam per benedictionem, perpetua esse debet, si prudenter praevideatur ecclesiam conversum iri ad usus profanos, « Ordinarius consensum eius aedificationi ne praebeat, aut saltem, si forte aedificata fuerit, eam ne consecret neve benedicat » (c. 1165, § 4).

d) Ecclesia ex *ligno* vel *metallo* benedici potest (et debet), non autem consecrari (c. 1165, § 4) ; consecrari potest ecclesia *ex caemento armato*, dummodo ex lapide sint duodecim crucium loca, et postes ianuae principalis (*S. R. C.* 12 nov. 1909, *Decr. auth.* 4240).

e) Ecclesiae *cathedrales* consecrari omnino debent ; oportet etiam, quantum fieri potest, ut consecrentur ecclesiae collegiatae, conventuales, paroeciales (c. 1165, § 3).

f) « *Altare* consecrari potest etiam sine ecclesiae consecratione ; sed una simul cum ecclesia debet saltem altare maius consecrari aut altare secundarium, si maius sit iam consecratum » (c. 1165, § 5).

Si plura altaria consecranda sunt, necesse non est ut omnia ab Episcopo qui ecclesiam consecrat consecrentur ; sed, praeter altare quod consecrator Ecclesiae sibi reservat, alia possunt singula a singulis diversis episcopis consecrari. Id habet usus omnino, etiam in Urbe, probatus. Immo Matthaeus a Coronata, op. c. n. 22, nota 3, admittit partes consecrationis ipsius ecclesiae inter plures

episcopos dividi posse, ita ut unus v. g. parietes externas, alter vero internas aspergat. Qui, cum sint tunc plures ipsius ecclesiae consecratores, videntur nobis omnes ieiunio, pridie consecrationem, astringi, *S. R. C.* tamen negavit consecrationem Ecclesiae fieri posse a duobus Episcopis quorum unus ecclesiam, alter altare consecret. (Ita 3 mart. 1866 ad 2, *Decr. auth.* n. 8142.)

483. - 3. **Consecrationis modus** *a*) *Tempus.* « Ecclesiarum consecratio, quamvis quolibet die fieri possit, decentius tamen ***diebus dominicis aliisve festis de praecepto*** peragitur » (c. 1166, § 1).

b) *Praeparatio per ieiunium.* « Episcopus consecrans et qui petunt ecclesiam sibi consecrari, per eum diem qui consecrationem praecedit, ieiunent » (c. 1166, § 2).

Ieiunium istud a *R. S. C.*, 29 iul. 1780 ad 1 et 12 sept. 1840, declaratum est strictae obligationis (*Decr. auth.* n. 2519 et 2822 ; Wernz, III, n. 439). Verbum igitur *ieiunent* intellegemus de vero praecepto obligante sub gravi, et cum veluti pars sit ritus sacri, ab eo dispensare posse non videntur qui facultate pollent dispensandi in lege ieiunii ecclesiastici. Et quia liturgia anticipat vigilias, ieiunium istud *liturgicum* servandum putamus in pervigilio festi post quod immediate fiat dedicatio. Quod ad *formam* autem ieiunii seu quantitatem et qualitatem ciborum, stari potest Codici : resp. C. I. C. 20 iul. 1929 ad 3, illud moderandum dicit secundum communem legem ieiunii ecclesiastici. AAS. XXI, 573. Cfr *Per.*, XVIII, 249 et annot. P. Cappello, 253.

Praeter episcopum consecrantem, ii soli qui consecrationem petunt hoc ieiunio tenentur. Itaque, nisi petat, laicus fundator ieiunio non tenetur ; petitio tamen capitularis obligabit eos etiam qui suffragium negativum dederunt et pertinent ad Capitulum. Solus autem tenebitur Superior religiosus qui propria auctoritate consecrationem petierit : si ergo solus Provincialis petierit, solus ieiunare debebit ; si simul petierit Superior localis, ambo obligabuntur ieiunio ; ex resp. *S. C. Conc.* 3 iul. 1909, tenetur parochus saltem designatus qui consecrationem saltem implicite petat (AAS. I, 623 ss).

Card. Gasparri, de *SS. Eucharistia*, n. 163 (ante Codicem), quem, post Codicem, sequitur Matthaeus a Coronata, op. c. n. 23, 3° a, obligationem ieiunii ad omnes ecclesiae clericos extendit. Nititur *Pontificali Romano* indicente ieiunium cleri et populi. Si autem Pontificali derogatum esse fatendum est cum agitur de ieiunio *populi*, nos fugit cur, cum agitur de clero, a verbis Codicis recederemus.

c) *Vigiliae* ante reliquias martyrum quae in altare consecrandum includentur, persolvendae sunt cum Matutino trium Nocturnorum et Laudibus de communi plurimorum martyrum, sub ritu duplici cum oratione de III loco, *Deus qui nos*, omisso verbo *annua*, et nominibus reticitis. (*S.R.C.* 18 aug. 1913, *Decr. auth.* n. 4306.)

d) Liquet *praescriptiones librorum liturgicorum* esse accurate servandas.

e) *Indulgentia* concedenda est. « Cum consecratur ecclesia vel altare, episcopus consecrator, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die ; in die vero anniversaria, quinquaginta dierum, si sit episcopus ; centum si archiepiscopus ; bis centum, si S. R. E. Cardinalis » (c. 1166, § 3).

Indulgentia ista, quamvis lege communi imperetur, debet tamen a onsecrante formaliter concedi ut habeatur.

484. - Consecrationis dies, non autem benedictionis certa dies, est ollemniter commemoranda ritu duplici primae classis, cum Octava ommuni, nisi episcopus in actu consecrationis aliam diem fixam, per ubricas non exceptam, pro ista celebratione designaverit ; vel indulto postolico permittatur, in definita die, communis commemoratio dedi- ationis omnium ecclesiarum cuiusdam regni, Ordinis religiosi, etc. Cf. c. 1167).

485. - Ecclesiae titulus. Quaevis ecclesia consecrata vel benedicta uum titulum habere debet (c. 1168, § 1). *Titulus* designat ipsam eccle- iam, ut cum quaeritur de titulo cardinalicio ; designat quoque mys- erium vel sanctum a quo ecclesia postea nominabitur. « Ecclesiae enim, quamvis principaliter dedicentur Deo, tamen, v. g. ex specialibus nysteriis vel sanctis in quorum memoriam et honorem sunt fundatae, itulum obtinent » (WERNZ, III, n. 439).

Ecclesiae nequeunt mere Beatis dedicari sine Sedis Apostolicae ndulto (c. 1168, § 3). Quando titulus est, non mysterium, sed sanctus, seu persona creata, dicitur quoque *patronus*.

Qui patronus non est confundendus cum patrono loci.

Sive sit sanctus sive mysterium, festum tituli quoque celebrandum est ritu duplici primae classis cum octava ; ac si duo sint tituli aeque principales, utriusque festum est hoc modo commemorandum (c. 1168, § 2). Ac celebrandum est festum tituli etiam ecclesiae *mere benedictae*.

Peracta ecclesiae dedicatione, *mutari nequit* ecclesiae *titulus* (c. 1168, § 1). Ex interpretatione quae ante Codicem recepta erat, dedicatio haec *stricte* intellegenda est de dedicatione per consecratio- nem (1). *Ante* peractam *consecrationem*, in potestate erit Ordinarii consecratoris titulum mutare in ipsa consecratione. Optandum tamen per se est ut idem titulus servetur.

Ex apostolico indulto, titulus mutari quidem potest : mavult tamen S. Sedes concedere ut alius titulus adiungatur quam prior supprima- tur. Cf. Responsum *S. R. C.* in Brugensi, 18 febr. 1843, ad 2 (*Decr. auth.* n. 2853). Quando ecclesiae parochiali alia, nova, sufficitur, titulus antiquus retinendus est et ad novam ecclesiam transferendus, sed alter titulus addi potest (*S. R. C.* in Brugensi, 14 nov. 1733 et 9 ian. 1734).

Post Concordatum, Card. CAPRARA permisit generaliter episcopis ut titulos

(1) MATTHAEUS A CORONATA, *op. c.* n. 24, 8°, severius id traducit etiam ad dedica- tionem per benedictionem, sed argumentum desideratur. Cf. ipsam regulam quam cla- rissimus auctor ponit in scholio, 27, n. 26 fine.

St. Albert's College Library

ecclesiarum innovarent. Novos titulos electos esse immutabiles constat ex eadem modo citata causa Brugensi, a. 1843.

De tituli *mutatione* cf. in *Decr. auth.* t. IV, § 340, suffragium seu annotationes super decreto in Tarvisina, 6 sept. 1834 (n. 2719).

§ 3. ECCLESIARUM EXSECRATIO

486. - Satis diu invaluit sententia opinantium consecrationem ecclesiae adhaerere parietibus, benedictionem vero pavimento, ita ut ecclesia exsecraretur si tota vel maior pars externa parietum vel tota simul incrustatio destructa esset ; dum permaneret benedictio, etiam parietibus destructis, nisi tota ecclesia, sine ulla spe restitutionis, fuisset auctoritate Superioris eversa. Quod tenebat v. g. Card. D'ANNIBALE, *Summula*, III, n. 9. Recentiora autem responsa *S. R. C.* diversam induxerunt exsecrationis rationem, quae Codice recepta est et omnino sequenda, cum omnis haec res pendeat a voluntate S. Sedis.

Itaque, omissa distinctione inter consecrationem et benedictionem, Codex sic statuit : « Consecrationem vel benedictionem ecclesia non amittit, *nisi tota destructa fuerit*, vel *maior parietum pars corruerit*, vel *in usus profanos* ab Ordinario loci *redacta sit* ad normam c. 1187 » (**c. 1170**).

Quare tam consecratio quam benedictio dicenda est inhaerere parietibus. Si ergo solum tectum innovetur, aut modica murorum pars corruerit, aut tota etiam incrustatio simul perierit, aut altare etiam maius exsecretur, non ideo exsecratur ecclesia.

Exsecrata ecclesia denuo consecranda vel benedicenda est ut cultui divino restituatur. Quo casu, ut liquet, per se licebit novum titulum ecclesiae dare. Cf. tamen dicta n. 485, versus finem.

§ 4. ECCLESIARUM CAMPANAE

487. - 1. **Campanarum necessitas.** Non est stricte praeceptum ut ecclesia habeat campanas, sed res est conveniens, ut fideles ad divina officia et religionis actus, more consueto invitari possint (**c. 1169**, § 1).

2. **Campanarum dedicatio.** Campanae ecclesiarum debent benedici vel consecrari secundum probatos libros liturgicos. Ad quos autem spectat *ecclesiarum* consecratio vel benedictio, ad eosdem spectat *campanarum* consecratio vel benedictio.

Consecratio campanae describitur in *Pontificali* Romano sub titulo *De benedictione signi vel campanae* ; *benedictio* autem ordinatur in *Rituali* Romano, ubi distinguitur campana quae ad usum Ecclesiae vel sacelli inserviat et campana ad alios usus destinata.

3. **Campanarum usus.** Vindicatur in primis exclusiva potestas ecclesiasticae auctoritatis definiendi usum campanarum sacrarum. Deinde, usus mere profani per se excluduntur. Admitti tamen possunt ex *licentia Ordinarii*, qui probare quoque potest condiciones appositas a donatore ; deinde ex *causa necessitatis* ; denique ex *legitima consuetudine*.

Art. III. — Ecclesiarum cultus atque usus liciti vel prohibiti

488. - I. Actiones sacrae (c. **1171**). Postquam ecclesia valide dedicata est, iam *omnes sacri ritus per se* in ea celebrari possunt. Probanda igitur erit exceptio ab eo qui contendat definitum ritum non licere.

Triplex porro fons exceptionis indicatur : *a) iura paroecialia* : v. g. per se, ius habendi fontes baptismales ; — *b) privilegia* quae possunt uni ecclesiae reservari, v. g. ius exsequiarum ; — *c) legitimae consuetudines*. Et quia non omnis ecclesia est subiectum capax consuetudinis proprie dictae, hoc nomine hic saepe intellegenda erunt iura legitime usu praescripta. Cf. c. 63, § 1, ubi legitima consuetudo et praescriptio aequiperantur.

Quia omnis ecclesia non exempta subiacet Ordinario loci, is potest ordinem sacrarum functionum, praesertim quod ad horas celebrationis, praefinire. Id non potest quidem in ecclesia religionis exemptae. Hic tamen servat ius iudicandi utrum necne divina officia noceant catecheticae instructioni vel evangelicae explanationi (c. 609, § 3). Bifariam autem nocumentum vitari potest, vel suppressione officiorum, vel suppleta, in ecclesia exempta, instructione catechetica aut explanatione evangelii.

489. - II. Ecclesiarum violatio (c. **1172**). 1. Violatio loci sacri dicit impietatem seu peccatum quod, iudice auctoritate ecclesiastica, ita ipsum locum afficere censetur, ut, quamvis sacer maneat, decenti sacrarum functionum celebrationi ante expiationem aptus non existimetur.

Actus esse qui natura sua sanctitati loci repugnent, id omnes sentimus. Quinam autem actus ipsum locum violent, id declarare spectat ad eandem auctoritatem quae locum sacrum constituit et pro certis functionibus exigit.

Porro liquet violari tantum posse locum qui iam sit sacer, ita ut violari nequeat ecclesia nondum benedicta vel oratorium quod non benedicatur.

Locus violatus permanet sacer, sed est *pollutus*. Quare non est iterum dedicandus, sed *reconciliandus*.

2. *Violationis casus*. Codicis numeratione, ut ipse c. 1172 expresse habet, alii casus excluduntur.

Praeterea, ut ecclesiam violent, oportet ut actus sint *certi*, ita ut dubium probabile, iuris vel facti, violationem impediat ; *notorii*, notorietate *iuris*, quae supponit sententiam definitivam vel confessionem in iudicio, vel notorietate *facti*, i. e. publice noti et in talibus adiunctis commissi ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit (Cf. c. 2197, 3°).

Cum violatio nullatenus poenae rationem habeat, ignoratio talis violationis pollutionem minime impedit. *Non requiritur* ut *actus* ponatur *formaliter tamquam loco sacro iniuriosus* (salva tamen nota 1, hic infra, de falso cultu).

Actus committi debent *in ipsa ecclesia* : non est satis ut commissi sint in tecto, turri, sacristia. In crypta commissus actus violans violabit ipsam ecclesiam, si, quia in ipsa ecclesia crypta aperta est, censetur vera pars ecclesiae. Alius fuerit casus si crypta non habeat ingressum nisi extra ecclesiam, distincta ianua (Cf. GASPARRI, *De eucharistia*, n. 250).

Actus autem sunt :

a) *Delictum homicidii.* Oportet ut sit plene imputabile, ita ut excludamus istud quod ex aliquo metu vel excedendo moderamen inculpatae tutelae sit commissum (Cf. c. 2205, §§ 2-4).

Per se, nomine homicidii stricte non venit *suicidium.* Sed quia ita ferebat superior Codicis interpretatio, ex c. 6 hic, quod ad effectum violationis, homicidio assimulandum est.

b) *Iniuriosa et gravis sanguinis effusio.* Iniuriosa, i. e. iniusta, ita ut non videatur comprehendi vulnus quod quispiam attentato suicidio sibi inflixerit. Gravis autem requiritur, tum ratione copiae sanguinis effusi, tum ratione culpae gravis commissae. Itaque, si quis aliquo instrumento, v. g. globulo, vulnus grave (non letale tamen) infligat sine notabili sanguinis effusione, locus non videtur violatus.

Executio capitalis sententiae nequit haberi pro *delicto* homicidii. Ergo, contra atque existimat R. P. AUGUSTINE, actio ista *non ratione homicidii* locum sacrum iam violabit.

Censetur autem in ecclesia commissum homicidium, si victima in ecclesia letaliter feriatur, etiam si telum vel globulus ab extra sit in ecclesiam immissus, aut si letaliter vulneratus moriatur extra ecclesiam. Non autem est in ecclesia commissum homicidium, si quis ab interiore parte ecclesiae aliquem extra ecclesiam consistentem occiderit. Cum lex sit stricte interpretanda, contra atque habet C. GASPARRI, *De SS. Eucharistia*, n. 251, non existimamus violari ecclesiam si mere causa effusionis sanguinis intra ecclesiam posita sit.

c) *Impii vel sordidi usus, quibus ecclesia addicta fuerit* (c. 1172, § 1, 3°).

Observes requiri ut *ipsius ecclesiae* factus sit usus. Quare furtum sacrilegum, contra atque existimat R. P. AUGUSTINE, non violabit ecclesiam, quia ipsa ecclesia non fuit ideo usui impio addicta. Verum usus potest esse impius sive in se, sive ratione loci. Quare, ex hoc capite, exsecutio capitalis sententiae in ecclesia, hanc violabit. Magis eam violabit cultus superstitiosus, qualis est omnium haereticorum ; ita ut ecclesia quae a secta dicta veterum catholicorum fuerit usurpata, reconciliatione indigeat antequam catholici eadem iterum uti possint ad suos sacros ritus (1). *Sordidus* usus est qui ecclesiam veluti mate-

(1) Si tamen usurpatio non fuerit facta in contemptum religionis catholicae, cum intentio formaliter impia desit, et res sit strictae interpretationis, de violatione et necessaria reconciliatione minus constare videtur.

liter inquinat sordibus, ut si convertatur in stabulum vel in locum quarundam ndinarum. Nullo autem modo sordidus censeri potest usus, etiam illicitus, clesiae ad res politicas tractandas (Contra AUGUSTINE, *l. c.*).

d) *Sepultura infidelis vel excommunicati* post sententiam declaratoam vel condemnatoriam (c. 1172, § 1, 4°).

Sepultura, quamvis de se complectatur etiam ex c. 1204 translatioem cadaveris in ecclesiam et exsequias, nihilo minus hic intellegenda t ipsa *tumulatio* : quod ex c. 1175 et 1205 colligimus, et confirmaus resp. *S.R.C.* 23 april. 1875 (*Decr. auth.* n. 3344), quod supponit mulationem.

Infidelis est quivis qui voluntarie vivit non baptizatus. Ergo talis non st haereticus baptizatus, nec catechumenus, nec infans non baptizatus, altem si ortus sit a parentibus fidelibus. (Cf. MANY, *Praelectiones de ocis sacris,* n. 34.)

Attento textu, quis colliget iam non opus esse ut *excommunicatus* it *vitandus,* sed sufficere ut sententia declaratoria vel condemnatoria it poena excommunicationis affectus.

Attamen MATTHAEUS A CORONATA, p. 29 nota 1, non improbabiliter existimat gi de excommunicato quem sententia simul pronuntiaverit esse vitandum. Il nim, ut ipse ratiocinatur, canonum concordia exigitur, cum c. 1242 solius vitandi raecipiat exhumationem ; nec veri simile est severiorem nunc factam esse discilinam quam sub iure anteriore, quo vigente, sola vitandi excommunicati sepultura cclesia violabatur.

Quid ergo si quis (quod absit) S. Pontificem notorie percusserit ? Is enim, citra omnem declarationem, iam ipso iure est vitandus. Innixi canone 1242, qui vult ut excommunicatus vitandus exhumetur, respondemus eius sepultura quae contra canonum sanctionem sit facta, ecclesiam violari. Ea nobis videtur esse clara Legislatoris mens, ad quam magis quam ad verba recurrendum est.

Denique, contra atque ante Codicem tradebatur, « violata ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censetur, et vice versa » (c. 1172, § 2).

3. *Violationis effectus* (c.1173). *a*) Antequam ecclesia reconcilietur, nefas est ibi divina celebrare officia, sacramenta ministrare, mortuos sepelire.

Sacramenta intellegas quae in loco sacro administranda sunt. Quare, non censemus prohiberi ut quis in tali ecclesia, saltem extra confessionale, sacramentalem absolutionem viro impertiat. Aliis verbis, ministratio prohibetur quae significet usum sacrum ecclesiae.

Sepultura autem iam hic est ipsa *celebratio exsequiarum.* Namque ad violationem ecclesiae requiritur quidem sepultura completa ; sed prohibitio sepulturae prohibet etiam sepulturae inchoationem. Funus praeterea inter divina officia computandum videtur.

Ob gravem tamen causam, si reconciliatio statim fieri nequeat, maxime si populus die festo iam in ecclesiam convenerit, permittunt ut Missa in violata ecclesia celebretur. Si fieri potest, Ordinarius interpellandus erit (Cf. S. ALPH. L. 6, n. 361 et

allegatos ab ipso doctores). Verum cavendum quoque est a scandalo quod plures pati possint, si post atrox delictum, ut homicidium, sacra functio fiat. Tunc monendus est populus de mere dilata reconciliatione, de causa cur missa celebrari permittatur ; immo quaedam preces paenitentiales, aspersio aquae lustralis interponendae videntur.

b) « Si violatio accidat tempore divinorum officiorum, haec statim cessent ; si ante missae canonem vel post communionem, missa dimittatur ; secus sacerdos missam prosequatur usque ad communionem » (c. **1173**, § 2).

490. - III. Ecclesiae reconciliatio. 1. « Si dubitetur num ecclesia sit violata, reconciliari potest ad cautelam » (c. **1174**, § 2). Reconciliari tamen non debet, cum in dubio censenda sit non violata.

2. Quam citissime reconcilianda est, non tamen antequam cadaver cuius sepultura causa fuerit violationis ecclesiae, inde extrahatur, nisi haec remotio gravi incommodo excusetur (c. 1174, § 1 et **1175**).

3. Reconciliationis *auctor* et *modus*. *a*) Ipse ecclesiae rector, immo quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris, ecclesiam *mere benedictam* reconciliare potest (c. **1176**, § 1).

Ecclesiae autem *consecratae* reconciliatio spectat ad Ordinarium territorii vel ad Superiorem maiorem religionis clericalis exemptae, vel ad sacerdotem ab alterutro delegatum. Atque haec competentia est *ad validitatem* requisita. Si tamen urgeat gravis necessitas usus sacri ecclesiae, et Ordinarius (vel Superior competens) adiri nequeat, rectori ecclesiae fas est eam reconciliare, certiore facto postea Ordinario (vel Superiore competente) (Cf. c. 1176, § 2 et 3).

Et quod tribuitur rectori, videtur etiam permitti sacerdoti quem ipse in hunc finem delegaverit, vel cui, modo generali, suas facultates communicaverit.

Praeterea, si compares § 2 cum 1, c. 1176, colliges competentiam specialem requiri ad reconciliandam ecclesiam consecratam, non autem ad reconciliandam ecclesiam mere benedictam, ita ut sacerdos qui sine omni consensu reconciliaverit ecclesiam mere benedictam, id valide quamvis illicite perficeret. (Cf. quoque principium c. 1147, § 3.)

b) Quod ad *modum* attinet, Codex monet *aquam lustralem* communem sufficere reconciliandae ecclesiae mere *benedictae*, dum reconciliatio ecclesiae *consecratae* postulat *aquam ad id benedictam* ; hanc tamen possunt benedicere quoque sacerdotes qui ecclesiam reconciliant. (c. **1177**).

491. - IV. Ecclesiarum decor et usus liciti. 1. *Gratuitas usus sacri*. « *Ingressus* in ecclesiam ad sacros ritus sit *omnino gratuitus*, reprobata qualibet contraria consuetudine » (c. **1181**).

Observes hanc laudabiliter praeceptam gratuitatem circumscribi *ipso ingressu*, ita ut sedilia vel scamna locari possint (1) ; et *usu sacro*, ita ut pro ingressu ad

(1) *Seat or pew rent.*

ius profanos, sed honestos, v. g. ad concentum organorum audiendum, pretium ostulari possit. Verum si habeatur contio sacra, etiam ad fovendum pium opus, hil pro ipso ingressu videtur postulari posse. Ac reprobatur contraria conetudo, qualis in quibusdam partibus Americae septemtrionalis exsistebat.

2. *Ecclesiae decor.* Cura *munditiae*, quae domum Dei decet, canone 1178, ab iis ad quos pertinet curanda praecipitur. Quod iure potissimo e supellectili altarium servandum est. Ad munditiem referre quoque ossumus curam ut *personae sint decenter*, pro sua condicione at haxime modeste, *vestitae*, atque omni gestu vel actione incongruis bstineant.

3. *Usus profani* excludendi. Actus tamen, sunt qui, quamvis non nt sacri, publicae tamen utilitati, etiam religiosae, prodesse possunt, ec, natura sua, locum sacrum dedecent. Ili ergo non sunt per se rohibiti, sed de iis adeunda est lex canonica.

Porro, lege generali c. 1178, arcentur *negotiationes* et *nundinae* « quamquam ad finem pium habitae ; et generatim quidquid a sanctiate loci absonum sit ».

Peculiaris ratio excludendi negotiationes, etiam ad finem pium (quales dicta *fancy-fair)* habetur in exemplo Christi expellentis e templo venditores rerum quae ad sacrificium offerendum destinabantur. Interdum tamen toleratur, ex consuetudine et difficultate reperiendi alium locum magis aptum, ut, prope ianuam, paucae res piae, cerei potissimum, valde quiete vendantur.

Inter *absona* recenseri debent *iudicia* saecularia, etiam civilia : sic enim ferebat ius praecedens.

Wernz, III, 447, haec alia numerat : Profanos ludos theatrales, publicos conventus societatum profanarum, convivia, seditiosas conclamationes et profanas confabulationes, lascivam et profanam musicam ; profanum usum pro habitatione vel asservatione supellectilis, nisi necessitas excuset ; munitionem ecclesiae per modum castri ad alios offendendos (non ergo ad loci defensionem).

Recedens a severiore disciplina quam 14 iul. 1887 exposuerat, *S. R. C.* 26 mart. 1924 evulgavit Instructionem 15 dec. 1922, quae sinit ut in ecclesias admittantur *insignia* seu *vexilla*, etiam non benedicta, « quando non pertineant ad societates religioni catholicae manifeste contrarias, neque ipsa insignia seu vexilla aliquod emblema de se vetitum ac reprobatum prae se ferant. » (AAS, XVI, 1924, 171 ; *Per.* XIII, 114.)

Per se, ex *lege generali*, servato decore ac proin remoto Sanctissimo sacramento, non prohibentur concentus religiosi, congressus catholici, academiae religiosi argumenti, distributiones praemiorum.

Verum considerandum praeterea est quid ferant iura peculiaria et consuetudines, quae certo possunt plura magis severe excludere. Usus quoque epikeiae non prohibetur. Sic, quod vexillum *nationale* (1), quamvis non benedictum,

(1) Cf. *de vexillis* optimam lucubrationem quae, nondum vigente Codice, vulgata est in *Revue d'organisation et de défense religieuse*, 1913, 590. Cf. *Ami du clergé*, 14 août 1913.

afferretur in ecclesiam in functionibus sacris quarum milites sunt participes, id nemo indigne ferebat vel vetabat.

Simultaneus usus ecclesiae a catholicis et acatholicis valde repugnat menti Ecclesiae, quamvis, in quibusdam partibus Germaniae ad tempus, et in ipsa ecclesia sancti sepulchri, Hierosolymis, toleretur. Quare, 12 mart. 1873, Pius IX, simpliciter vetuit omnem cultum catholicum in ecclesiis quas nova secta veterum-catholicorum usurpaverat.

4. *Ius asyli*, aequitati consentaneum atque olim valde utile ad impediendas iniustas vexationes et temerarias damnationes, ex iure canonico, ad decorem ecclesiarum vindicatur. Verum, propter imminutam eius utilitatem, valde temperate in **c. 1179** proponitur. In hoc est « ut rei, qui ad illam confugerint, inde non sint extrahendi, nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii, vel saltem rectoris ecclesiae ».

5 *Legitima privilegia* ad decorem ecclesiarum non parum conferunt. **C. 1180** duplicem fontem indicat unde repetantur : apostolicam concessionem aut immemorabilem consuetudinem ; atque alterutram originem necessariam dicit ut ecclesia titulo basilicae decoretur.

Art. IV. - Temporalis ecclesiarum administratio

492. - I. Generalia. 1. In primis observandi sunt canones 1519-1528 de administratione superiore quae competit Ordinariis et de modo eandem ordinandi.

2. « Administratio bonorum quae destinata sunt reparandae decorandaeque ecclesiae divinoque in eadem cultui exercendo, pertinet, nisi aliud ex speciali titulo vel legitima consuetudine constet, *ad episcopum cum capitulo*, si de ecclesia cathedrali agatur ; *ad capitulum* ecclesiae collegiatae, si de collegiata ; *ad rectorem*, si de alia ecclesia » **(c. 1182, § 1).**

Specialis titulus possit esse natura *regularis*, quae, secundum constitutiones, tribuat administrationem Superioribus. *Consuetudo* possit hic excludere interventum capituli.

Quid in dioecesibus ubi, sicut in America Septemtrionali, desiderantur capitula cathedralia ?

Cum coetus consultorum, de quo c. 427, capitulum non suppleant nisi in iis rebus quae ad dioecesis gubernationem spectant, hi nullatenus intervenire debent. Omisso capitulo, quod abest, restat igitur ut administrationem sinamus esse penes episcopum, observatis praescriptis generalibus cc. 1519-1528. (Cf. Augustine, in h. c.)

3. Oblationes aliae fiunt personae *parochi* vel rectoris, aliae in commodum *ecclesiae*, vel, si sit paroecialis vel missionis, etiam in commodum *paroeciae* vel *missionis*. De his agens, c. 1182, § 2 ita statuit : « Etiam oblationes factas in commodum paroeciae aut missionis aut

ecclesiae sitae intra paroeciae vel missionis fines, *administrat parochus vel missionarius*, nisi agatur de ecclesia propriam administrationem habente, distinctam ab administratione paroeciae vel missionis, aut nisi aliud ferat ius peculiare, aut legitima consuetudo ».

Nulla est ecclesia quae, in nostris saltem partibus, non cadat sub aliquem ex casibus hic praevisis. Etiam ecclesiae *religionis clericalis exemptae* sunt intra fines cuiuspiam paroeciae. Verum hae habent natura sua propriam administrationem. Ac si sunt paroeciales, attendendus est canon 630, § 1, qui vult ut eleemosynas datas pro ipsa ecclesia paroeciali accipere, retinere apud se, colligere aut administrare pertineat ad Superiorem, si ecclesia sit communitatis religiosae, secus ad loci Ordinarium.

R. P. AUGUSTINE, in c. 1182, existimat c. 630 esse observatu impossibilem propter necessitatem reddendi rationem Ordinario (ex c. 535, § 3, 2° collato cum c. 533, § 4°). Quare putat administrationem pertinere ad parochum cum iure directionis penes Superiores. Verum, cum c. 535, § 3, mere tribuat Ordinario ius cognoscendi, quo iure cum discretione uti poterit, non videmus quid obstat quin Superior quoque exemptus de aliqua administratione rationem reddat Ordinario loci. Ceterum, nihil prohibet quin, ex licentia Superioris, parochus religiosus administrationem exsequatur, mandato semper revocabili a Superiore.

« Parochus, missionarius, rector saecularis ecclesiae, sive saecularis is sit sive religiosus, debet huiusmodi oblationes administrare ad normam sacrorum canonum, deque eis rationem reddere ad normam can. 1525 » (c. 1182, § 3).

In canone isto praecipitur annua rationis redditio.

Observes, quod ad obligationem reddendae rationis, distinctionem ecclesiae saecularis a non saeculari valere tantum de ecclesiis quae non sint paroeciales vel missionis. Namque, ut modo dicebamus, de paroecia etiam regulari, potest Ordinarius loci rationes exigere.

493. - II. De Fabricis ecclesiae. 1. *Notio.* Fit ut alii quoque, sive clerici sive laici, in administrationem bonorum alicuius ecclesiae cooptentur. Tunc iidem omnes, cum administratore ecclesiastico de quo in c. 1182 (hic statim supra explicato) constituunt Consilium fabricae ecclesiae (**c. 1183**, § 1) (1).

« Huius Consilii sodales, nisi aliter legitime constitutum fuerit, nominantur ab Ordinario eiusve delegato et ab eodem possunt ob gravem causam removeri » (c. 1183, § 2).

In Belgio, constitutio specialis fabricae ecclesiarum paroecialium debetur decreto 1809 potestatis civilis (Napoleonis), quod tamen ex longo usu quem episcopi admiserunt obtinuit quandam canonicam legitimitatem (Cf. VAN COLLIE-DE MEESTER, *La sépulture*, etc., 1924, n. 67, ss.).

Secundum istud decretum, distinguuntur duo consiliarii nati : parochus et burgimagister ; alii, maiore parte nominantur ab episcopo, minore parte a

---

(1) De hac materia cf. praeclarum opus : C. VAN COILLIE — A. DE MEESTER, *La sépulture et les fabriques d'églises en droit civil-ecclésiastique belge*, 2ᵉ ed., 1924.

potestate civili (gubernatore provinciae); ac deinceps ipsum consilium suae perpetuitati, interna cooptatione prospicit.

Pauca quae magis odiosa erant in competentia consilii, exciderunt propter Constitutionem Belgicam, quae maiorem libertatem Ecclesiae restituit.

Fabricae *cathedrales* magis in arbitrio manent episcopi.

Verum, ut ex ipso c. 1183 colligitur, Ecclesia minime repudiat consilia laicorum in temporali administratione bonorum suorum.

2. *Quid fabricis mandatum et vitandum sit.* Consilium fabricae sibi mandatam habet rectam administrationem bonorum Ecclesiae, praestando iuramentum et observando regulas c. 1522 et 1523; cavere autem debet ne se ingerat in ea omnia quae ad spirituale munus pertinent, praesertim :

« 1° in exercitium cultus in ecclesia; — 2° in modum et tempus pulsandi campanas et in curam tuendi ordinem in ecclesia atque in coemeterio; — 3° in definiendam rationem qua collectae, denuntiationes aliique actus ad divinum cultum ornatumque ecclesiae quoque modo spectantes in ecclesia fieri possint; — 4° in dispositionem materialem altarium, mensae pro distributione ss. eucharistiae, cathedrae sive suggestus e quo ad populum verba fiunt, organorum, loci cantoribus assignati, sedilium, scamnorum, capsularum oblationibus recipiendis, aliarumque rerum quae ad exercitium religiosi cultus spectant; — 5° in admissionem vel reiectionem sacrorum utensilium aliarumque rerum quae sive ad usum, sive ad cultum, sive ad ornatum in ecclesia vel sacrario destinentur; — 6° in scriptionem, dispositionem, custodiam librorum paroecialium aliorumque documentorum quae ad archivum paroeciale pertineant » (**c. 1184**).

Art. V. - Officialium nominationes

494. - « Sacrista, cantores, organorum moderator, pueri chorales, campanae pulsator, sepulcrorum fossores, ceterique inservientes, *a solo ecclesiae rectore,* salvis legitimis consuetudinibus et conventionibus et Ordinarii auctoritate, *nominantur, pendent, dimittuntur* » (**c. 1185**).

In nostris regionibus, praescriptum istud facile observatur, si excipias sepulcrorum fossores, propter contentiones de dominio coemeteriorum, quae saepe nunc sunt municipalia. « *Sepulcrorum fossores,* ait MATTHAEUS A CORONATA, *op. c.* n. 61, generatim nunc a lege civili dependent et a Statu mercedem accipiunt apud nos. » De *campanarum* pulsatore, quaestio quoque moveri potest, ubi campanae pertinere dicuntur ad municipium vel ad Statum.

Art. VI. - Ecclesiae refectio et reductio ad usus profanos

495. - WERNZ, III, 434, principalem vocabat difficultatem dignoscendi quisnam, ex iure canonico, ad solvendas expensas restaurationis ecclesiarum sit obligatus. Valde igitur opportune Codex rem satis perspicue **c. 1186** definit.

In primis, cum maxime varient usus et leges quoque civiles de hac re, salvas vult peculiares legitimasque consuetudines et conventiones,

firmam obligationem quae ad aliquem spectet etiam ex constituto legis civilis.

Etsi enim leges istae saepe hodie formalem contineant usurpationem iuris spectantis ad Ecclesiam, cum argumentum istud volvant quasi rem propriae suae competentiae administrent, Ecclesia tamen ratam habet obligationem quam huiusmodi leges interdum imponunt, v. g. municipiis, prospiciendi refectioni ecclesiarum quae sufficientibus reditibus careant.

Dein « 1° Onus reficiendi ecclesiam *cathedralem* incumbit ordine qui sequitur : bonis fabricae, salva ea parte quae necessaria est ad cultum divinum celebrandum et ad ordinariam ecclesiae administrationem ; — episcopo et canonicis, pro rata proventuum, detractis necessariis ad honestam sustentationem ; — dioecesanis, quos tamen Ordinarius loci suasione magis quam coactione inducat ad sumptus necessarios, pro eorum viribus praestandos ;

« 2° Onus reficiendi ecclesiam *paroecialem* incumbit ordine qui sequitur : bonis fabricae ecclesiae, ut supra ; — patrono ; — iis qui fructus aliquos ex ecclesia provenientes percipiunt, secundum taxam pro rata redituum ab Ordinario statuendam ; — paroecianis, quos tamen Ordinarius loci, ut supra, magis hortetur quam cogat ;

« 3° Haec, cum debita proportione serventur etiam quod attinet ad *alias ecclesias* ».

Mens ergo legis haec est, ut primo recurratur ad bona ipsius ecclesiae, ita tamen ut magis actu necessaria consideretur celebratio cotidiana functionum sacrarum ; — ut deinde interpelletur patronus, quatenus id ipsi incumbat secundum c. 1469, § 1 ; — quo deficiente, ut suppleant ii qui ex reditibus ecclesiae aluntur, ita tamen ut honestae eorum sustentationi parcatur ; — ac tandem necessitati providere rogentur ii quibus functiones prosunt, i. e. dioecesani vel paroeciani. Quamvis autem sit eorum officium, et Ordinarius potestatem habeat ipsos cogendi, suadet tamen Codex ut magis hortatione quam coactione utatur.

Regulae ante Codicem traditae satis similes erant, nisi quod non obligabant patronum nisi post beneficiatos et rectorem ecclesiae.

Wernz, III, 434, observat, easdem normas, servata proportione, sequendas esse cum agitur *de domo paroeciali, de aliis aedificiis ecclesiasticis, utensilibus ecclesiae, coemeteriis.*

Inter ista aedificia ecclesiastica, maxime dignae sunt hodie consideratione, *scholae catholica caritate erectae,* ut salva sit christiana institutio puerorum et adolescentium.

496. - Fieri potest ut ecclesia iam *nullo modo possit actu ad cultum divinum adhiberi ; ac nulla spes* sit *restaurationis.*

Si haec duo concurrant, Codex, **c. 1187**, permittit ut Ordinarius eam redigat in usum profanum non sordidum « et onera cum reditibus titulusque paroeciae, si ecclesia sit paroecialis, in aliam ecclesiam ab Ordinario transferantur ».

Ante Codicem permittebant tantum ut ecclesia destrueretur, et ligna, lapides aliaeque materiae ad usum profanum non sordidum darentur, erecta cruce in loco ubi fuerat ecclesia. Codex iam permittit ut aedificium integrum alii destinationi non sordidae deputetur.

Volebant quoque, ante Codicem, ut in ecclesia cui bona addicebantur, erigerentur altaria seu cappellae sub iisdem invocationibus quae erant in pristina ecclesia ; vel ut in iam erecta altaria vel cappellas transferrentur beneficia cum omnibus emolumentis et oneribus anteriori ecclesiae impositis (Cf. WERNZ. III, 435.). Modus iste agendi, naturae rerum consentaneus, etiam nunc, pro qualitate beneficiorum vel redituum, observandus videtur.

TITULUS X

DE ORATORIIS

(c. 1188-1196)

Scriptores : GASPARRI, Tr. *De SS. Eucharistia*, I, 187-236. — GATTICUS, *De oratoriis domesticis.* — MANY, *Praelectiones de locis sacris*, n. 65-107. — VAN GAMEREN, *De oratoriis.* — WERNZ, *Ius Decretalium*, III, n. 449-461. — AUGUSTINE, O. S. B., *A commentary*, t. 6, in hos canones. — CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, nn. 787-792. — DE MEESTER, *Compendium*, nn. 1145-1150. — MATTHAEUS A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, 69-97. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, q. 366.

Ordo Codicis. Codex ordine tradit notionem et divisionem oratoriorum ; deinde explicat regulas iuris cuique generi utendas ; demum definit quo pacto sint benedicenda vel reservanda divino cultui.

Art. I. - Notio et divisio

497. - I. Notio. « *Oratorium est locus divino cultui destinatus, non tamen eo potissimum fine ut universo fidelium populo usui sit ad religionem publice colendam* » (c. **1188**, § 1).

Codex igitur indicat oratorii notam positivam, qua differt a loco profano : deputationem divino cultui ; et notam negativam, qua differt ab ecclesia : non est universi fidelium populi usui prima intentione addictum.

498. - Divisio. Oratorium distinguitur *publicum, semi-publicum, privatum* seu *domesticum.*

1° « *Publicum,* si praecipue erectum sit in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi » (c. 1188, § 2, 1°).

Descriptio Codicis nos docet, finem erectionis neglegi posse ; ad rationem autem publici oratorii id unum, praeter deputationem divino cultui, spectare, ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit oratorium istud adeundi.

Omnis interpretationis difficultas est in explicatione vocis *ius*. Vox ista stricte intellegitur a C. GASPARRI, *De Eucharistia*, I, nn. 188. 190, ita ut inde colligat oratorium publicum non posse esse in privato alicuius dominio, ea saltem ratione qua dominus possit fidelibus accessum et recessum iure impedire. Consonat responsum *S. C. C.* in Tusculana, 13 nov. 1636, allegatum a C. GASPARRI, I, 192, quod postulavit instrumentum quo Cardinalis se obligaret ad permittendum liberum ingressum in perpetuum. Atque huic severitati favet ipse Codex, dum postulat ius *legitime comprobatum*.

Ius tamen istud populi esse non debet respectu auctoritatis ecclesiasticae : huic enim integrum est etiam ecclesiam claudere populo.

Publicum praeterea declaratum est oratorium quod locum fixum habeat in navi [*S. R. C.* 4 mart. 1901, n. 4069, ad 5 (1)]. Per se tamen in potestate est societatis quae navim possidet, cappellam istam navigantibus claudere.

Inde ad hanc conclusionem pervenire videmur, per se quidem requiri ut non sit in potestate *privati viri* oratorium aperire vel claudere ; ad publicam vero cappellae rationem certo sufficere ut oratorium fidelibus aperiri solitum pertineat ad personam moralem ecclesiasticam, quae nihil poterit sine interventu auctoritatis ecclesiasticae ; immo sufficere posse ut ratione adiunctorum possessionis collectivae, erectionis, perpetua appareat licentia facta indiscriminatim fidelibus adeundi tale oratorium. (Cf. c. 1188, § 2, 2º, ubi semi-publicum dicitur si non est *liberum cuique* illud adire.) Sic etiam CLAEYS-SIMENON, n. 787. Dici etiam potest satis esse ut, quando aperitur, omnibus pateat.

Qua ratione etiam explicari potest cur, in agro romano, non paucae cappellae annexae villis, et ad quas non pervenitur nisi per praedium privatum, passim existimentur et tractentur ut publica oratoria.

Hinc colligimus publica dici posse oratoria quae in cubiculo ubi sanctus natus vel mortuus est erecta sunt, si pertineant ad fabricam ecclesiae vel ad communitatem religiosam, et accessus fere cotidianus omnibus permittatur. Ita, v. g. cappella erecta Diesthemii in cubiculo natali S. Ioannis Berchmans.

Ceterum, nisi ea oratoria admiseris esse publica, non erit unde eadem alii generi accenseas, ut statim apparebit ex notione oratorii semipublici et privati.

In opere suo allegato, n. 89, MANY haec signa dat publicitatis oratorii :
1. Publicus ingressus ; — 2. titulus beneficii annexus ; — 3. campanile cum campana ; — 4. *altare fixum* seu immobile ; fixa enim altaria non consueverunt erigi in oratoriis domesticis, quae facile convertuntur in usus profanos ; — 5. *dos* assignata oratorio : id supponit perpetuam dedicationem cultui divino ; — 6. *titularis* assignatus oratorio cuius festum celebretur quotannis ; item festum *dedicationis* celebrari solitum, et alia quae demonstrant oratorium fuisse consecratum.

Haec quidem signa sunt quibus distinguitur oratorium non privatum ; non autem sufficiunt omnia ad distinguenda oratoria semi-publica a stricte publicis. Sufficiunt publicus ingressus (non sufficit autem ingressus in via publica, qui ceterum nec est necessarius), titulus beneficii ; cetera nec necessaria nec sufficientia sunt, sed *iuvant* ad demonstrandam publicitatem oratorii. Minus autem probat titularis quam festum dedicationis, cum etiam oratoria semi-publica habeant vel habere possint titularem celebrandum, ut statim dicetur.

(1) Cur MATTHAEUS A CORONATA, *op. c.* n. 77 ea tantum pro semi-publicis habeat, nescimus. Allegatum responsum *S. R. C.* ea simpliciter *publica* appellat.

2° « *Semi-publicum* (est oratorium) *si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium* erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire » (c. 1188, § 2).

Observes non requiri ut communitas ista sit religiosa vel domus sit pia. Sic in quibuslibet gymnasiis et praesidiis militum erecta oratoria ad usum militum, adolescentium, sunt semi-publica, ut constat ex ipso c. 1192, § 4.

Hinc, in ipsis granciis seu villis religiosorum, ubi residere solebat frater laicus et interdum sacerdos ad missam dicendam, cappella ibi erecta, cum inserviat saltem parti communitatis religiosae, atque etiam variis famulis, iam dici hodie potest semi-publica. Cf. Augustine, in c. 1192.

Nec requiritur *communitas* : sufficit ut eo conveniat coetus fidelium.

In § ista 2, canon exigere videtur ut ipsa erectio sit facta in gratiam communitatis vel coetus fidelium. Semi-publicam tamen dicemus cappellam quae, prius privata, postea huiusmodi communitati destinata est. Decretum generale 23 ian. 1899, unde canon noster desumptus est, mere postulat ut commodo alicuius communitatis vel personarum coetus inserviat. (Cf. *Decr. auth.* n. 4007 vel nostrum *De religiosis*, etc. II, p. 573.)

Atque ex responso 18 oct. 1901, coetus fidelium intellegi potest « de quibuscumque fidelibus qui, assentiente domino loci et Ordinarii auctoritate interveniente, accedant ad praedicta oratoria pro audienda missa etiam ad adimplementum praecepti festivi » (1).

3° « *Privatum* seu *domesticum*, si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit » (c. 1188, § 2, 3°).

Itaque familia quaedam privata, cum famulis suis, non sufficit ut constituat coetum cui oratorium semi-publicum addici potest.

499. - Applicationes. Ipse Codex c. 1189 et 1190, instar corollarii, declarat privata esse cum *oratoria S. R. E. Cardinalium et Episcoporum* sive residentialium sive titularium ; tum *aediculas in coemeterio* a familiis seu personis privatis ad suam sepulturam erectas.

Simul tamen oratoriis Cardinalium et episcoporum tribuit omnia iura et privilegia oratoriorum semi-publicorum. Ex venia autem Pontificis, sacellum Nuntii vel Legati Pontificis habetur ut *publicum*, et asservat Sanctissimum (Facult. c. 6. n. 52).

Habemus hic in c. 1189 exemplum privilegiorum quae pars sunt iuris communis. Quod v. g. in oratoriis semi-publicis satisfiat praecepto audiendi missam die dominica, hoc est privilegium, cum per se requiratur ecclesia seu oratorium publicum.

In pluribus coemeteriis Italiae conspiciuntur inter loculos qui sepulturae familiae, destinati sunt altaria erecta : de his aediculis agit Codex.

Quid autem si huiusmodi altare sit in sepulcreto communi conventus seu familiae religiosae ? Cum Codex non dicat privata nisi oratoria sepulcreti personarum vel familiarum privatarum, ex analogia iuris dicenda videntur *semi-publica* oratoria ista quae pertinent ad communitatem religiosam. Sic etiam De Meester, III, n. 1150, p. 57, nota 1.

---

(1) De vi istius responsi, cf. *Revue Théologique française*, 1902, 201. De requisito coetu, cf. Matthaeum a Coronata, *op. c.* n. 76.

Art. II. - Oratoriorum regimen

500. De oratoriis publicis. « *Oratoria publica eodem iure quo ecclesiae reguntur* » (c. 1191, § 1).

Ista iuris similitudo intelligenda est dum *de erectione*, quae prius postulat consensum Ordinarii territorii, etiam quod ad loci determinationem (c. 1162) ;

Tum quod *ad constitutionem*, per benedictionem vel consecrationem antequam divina officia in eo celebrari possint (c. 1165) : quod ceterum inculcatur ipso c. 1101, § 2 ; *et capacitatem acquirendi bona* ;

Tum quod *ad exclusionem usus profani*, infra et supra oratorium ;

Tum quod *ad privilegia*, ita ut ius asyli etiam tali oratorio competat ;

Tum quod *ad functiones sacras* : « in oratorio publico... omnes sacrae functiones celebrari possunt, salvo contrario rubricarum praescripto » (c. 1191, § 2) ; sic rubricae obstant quo minus in sacello ubi ss. Eucharistia non perpetuo asservatur, fiant sollemnes functiones hebdomadae sanctae.

Liquet reservari quoque *functiones paroeciales*. Many, autem, n. 74, has solas enumerat : benedictionem fontis baptismalis, aspersionem domorum (1), processiones per territorium parochiae ducendas, missam sollemnem feria V in coena Domini (quod de sola missa intellegimus quae sit separata a functionibus tridui sacri). Addas, ex c. 462, 7°. benedictiones cum pompa ac sollemnitate extra Ecclesiam, « nisi agatur de ecclesia capitulari, et capitulum has functiones peragat ».

De necessaria *benedictione* haec notabilia addit Many, n. 72, quae adhuc valere arbitramur : « 1. Sicubi exsistat consuetudo non benedicendi oratoria publica, praesertim minoris momenti... haec consuetudo non videtur illegitima ; — 2. In omni casu, ut dictum est supra de ecclesiis, episcopus ad tempus, donec exspectetur opportunitas benedictionis, in his oratoriis permittere potest missae celebrationem ».

Et cum Codex loquatur de sacris functionibus, non repugnamus interpretationi quae contendat his verbis non comprehendi simplicem missae celebrationem in parvis oratoriis quae, quamvis notam publicitatis habeant, vix tamen idonea sollemni benedictioni videntur.

Impositionem et benedictionem primarii lapidis requiri non demonstratur. Sic Matthaeus a Coronata, op. c. n. 73, 3°.

Cum ipse Codex c. 1188, § 2, 1° memoret publica oratoria in commodum privatorum erecta, nihil stricte obstare videtur quin sint in *dominio privatorum*, qui tamen canonica statuta de regimine et de destructione istorum oratoriorum observare debebunt. Cf. Matthaeus a Coronata, *op. c.* n. 75.

501. - II. De oratoriis semi-publicis. 1. « *Oratoria semi-publica erigi nequeunt sine Ordinarii licentia.* — Ordinarius hanc licentiam ne concedat, nisi prius per se vel per alium ecclesiasticum virum oratorium visitaverit et decenter instructum repererit » (c. 1192, § 1 et 2).

Ordinarius de quo hic agitur est etiam, pro religione clericali exempta, Superior maior. Nec Vicarius generalis hic opus habet man-

(1) Intellegas « sabbato sancto vel alia die pro locorum consuetudine ». (c. 462, 6°).

dato speciali ad permittendum huiusmodi oratorium. Visitatio autem licentiae praemittenda fieri potest per alium virum, saltem clericum.

2. « Data autem licentia, *oratorium ad usus profanos converti nequit sine eiusdem Ordinarii auctoritate* » (c. **1192**, § 3).

Quamvis ergo per se deceat ut dedicatio cultui divino sit perpetua, non debent tamen oratoria eadem firmitate constitui qua ecclesiae. Et si iusta causa accedat, Ordinarius poterit oratorium ad usus profanos redigere.

3. Oratoria semi-publica non debent benedici benedictione oratorii publici. Talem tamen benedictionem, immo ipsam consecrationem per se recipere possunt. Quod indirecte colligitur ex ipso c. 1196, qui sola excludit oratoria privata. Si tamen prospicitur oratorium non futurum esse diuturnum, imprudenter tali benedictione donaretur. Tunc satius erit adhibere benedictionem communem domus vel loci vel oratorii privati. Nulla autem benedictio necessaria est ut sacra ibi fieri possint.

4. Omnino autem requiritur ut *divino tantum cultui sint reservata*, et libera sint ab omnibus domesticis usibus (c. **1196**, § 2).

Vetant quoque scriptores ne supra oratoria sint cubicula in quibus pernoctatur (1). Verum id intellegi potest de cubiculis quae sint immediate superiora, ita ut interpositio alterius tabulati seu duplex camera, rem licitam reddat.

5. Quod ad *numerum* oratoriorum, c. 1192, § 4, potestas fit Ordinario (quae particularibus responsis ante Codicem ipsi fuit negata) permittendi in collegiis, gymnasiis, etc. praeter oratorium principale, alia minora, si tamen necessitas aut magna utilitas id exigat.

In enumeratione institutorum non nominantur domus *religiosae*. Modo autem quo c. 1192, § 4, per se excludit plura oratoria in collegiis, nisi Ordinarius eadem arbitretur necessaria aut utilia, videtur eandem pluralitatem facilius permittere in domibus religiosis.

Si vero quaeras de qualitate istorum oratoriorum, dicenda sunt omnia *semi-*

---

(1) Desideratur tamen textus. Is qui affertur ex *S. Rit. Cong.* 11 maii 1641 (*Decr. auth.* n. 756), respicit tantum cappellas in navi ecclesiae aedificatas. Magis constat cubicula non posse immediate superiora esse altari ubi servatur Sanctissimum. Attamen obstaculum istud iam removetur interposito baldachino vel conopaeo.

Die 28 sept. 1779, *S. C. de P. F.*, ad sacerdotem Dalmatiae respondit : « Non è decente che si dorma sopra la stanza ove si trova l'altare del suo oratorio ; non è però proibito il servirsene ad altro uso » (*Collect.* P. F. n. 782), i. e. non decet ut dormiatur supra cubiculum ubi habetur altare tui oratorii ; alius tamen loci usus non prohibetur.

Ipsa autem *S. R. C.*, 12 sept, 1840, episcopo flagitanti ut in sacello militaris domus S. Missae sacrificium ut antea celebrari posset « quamvis super sacello lectuli militum ex necessitate reperiantur, constructa tamen super ipso duplici concameratione » respondendum censuit : « Committatur episcopo ut, veris exsistentibus narratis, adhibitisque praescriptis cautelis, pro suo arbitrio et prudentia indulgeat iuxta preces » (*Decr. auth.* n. 1812).

blica, quamvis definitio (c. 1198, § 2, 2°) iisdem non stricte conveniat. Verum e canon in quo de istis minoribus oratoriis agitur iam demonstrat eadem ni-publicis assimulari. Canon enim est totus de istis oratoriis. Nec ceterum is oratoriis definitio oratorii privati applicari potest, cum non sint in domibus ivatis.

Restat igitur ut, praeter oratoria stricte publica et stricte semi-publica, admittimus *oratoria quae latiore quodam usu dicenda sunt publica et semi-publica*, ibus regimen utriusque generis prudenter applicari potest. Sic quoque MATTHAEUS CORONATA, n. 81.

6. « In oratoriis semi-publicis, legitime erectis, *omnia divina officia* unctionesve ecclesiasticae *celebrari possunt*, nisi obstent rubricae, aut rdinarius aliqua exceperit » (c. 1193).

Hic ergo, praeter obstaculum quod, pro loci natura, ipsae rubricae afferre possint, magis directe permittitur Ordinario ut quaedam, non solum in ipsa erectione ratorii, sed etiam postea excipiat. Ordinarius autem is est ad quem spectabat oratorium permittere.

Observes, non minus quam in publicis, in semi-publicis oratoriis alendarium loci sequendum esse ab extraneo celebrante, etiam si it regularis exemptus. Ubi autem desideretur proprium, calendarium oci est calendarium dioecesis. Apud Sorores tertii Ordinis S. Francisci sive Fratrum Minorum, sive Minorum Capuccinorum), calendarium Seraphicum ex privilegio adhibetur, quamvis Sorores chorum non habeant, nec divinum Officium recitent. Diebus tamen quibus loci calendario missae votivae permittuntur, extraneus sacerdos missam sui officii dicere potest.

De missa ista haec fusius dicta a R. P. IOSEPHO PAUWELS, S. I. mutuamur.

a) Si sacerdos officium recitaverit de feria vel vigilia de qua in officio ecclesiae, n qua celebrat, facta est commemoratio, missam proprii officii celebrare poterit quotiescumque officium ipsius ecclesiae non sit duplex 1 aut 2 classis aut octava privilegiata 2 ordinis.

b) Si officium recitaverit de aliquo festo quod in officio ecclesiae commemoratur tamquam duplex maius vel minus aut semiduplex, missam officii proprii celebrare poterit et quidem ritu festivo cum *Gloria*, dummodo officium ecclesiae ne sit duplex 1 vel 2 classis, dominica quaevis, licet anticipata, vel quod ad officium reposita, octava 1 vel 2 ordinis aut dies octava 3 ordinis, aut tandem feria aut vigilia privilegiata.

c) Si officium recitaverit de festo quod in officio ecclesiae tamquam simplex commemoratur, aut de mysterio, sancto vel beato cuius mentio illa die fiat in Martyrologio, vel in eius appendice pro hac ecclesia approbata, missam *lectam* officii proprii celebrare poterit ritu festivo quotiescumque officium ecclesiae non fuerit duplex, aut de dominica quavis, etiam anticipata, vel, licet quod ad solam missam, primo reposita, et dummodo ne occurrat octava privilegiata, feria Quadragesimae a die Cinerum, Passionis, Quattuor Temporum, et secunda Rogationum, aut quaelibet vigilia ; missam vero cantatam, dummodo officium ecclesiae ne sit duplex aut dominica quaevis, licet anticipata, vel, etiam quod ad officium reposita, aut ne recurrat aliqua ex feriis, vigiliis aut octavis privilegiatis.

In his missis semper facienda est primo loco commemoratio de officio ecclesiae, deinde, omissa utique commemoratione de qua dicitur missa, addendae sunt omnes

commemorationes praescriptae iuxta kalendarium ecclesiae aut oratorii publici vel semipublici in quo missa celebratur.

502. - III. De oratoriis privatis. 1. Unicuique privato fideli fas est partem quandam domus suae pietati exercendae deputare et sic erigere oratorium privatum. *Ut* autem *ibi missa celebretur*, requiritur per se *indultum Apostolicum*, quod conceditur per S. C. *de Sacramentis*. (1).

Plerumque haec S. Congregatio vult ut gratia pro oratorio, ab ipsa concessa, expediatur per breve, ita ut Secretaria brevium intervenire et taxas suas percipere debeat. Fit tamen etiam ut, propter iustam causam, concessio detur absque ulla brevis expeditione, ita ut multo minores sint expensae. Preces vero commendandae sunt ab Ordinario. Gratia conceditur in forma commissoria ; exsecutio committitur Ordinario qui, per se vel per alium ecclesiasticum virum, oratorium visitare et approbare prius debet.

Indulto isto regulariter unica missa, eaque lecta, coram indultario, permittitur exceptis festis sollemnioribus (haec indicantur in indulto) (c. 1195, § 1).

Possunt autem clausulae benigniores inseri, v. g. ut soli excipiantur dies Paschatis et Nativitatis Dominicae ; ut, pro uno indultario cuius praesentia vel vita requiratur, ponantur plures (qui singuli nominandi sunt et domum habitare debent). Quo magis autem a regulis communibus receditur, eo maior taxa solvenda est.

Ob causas autem iustas et rationabiles, ac *diversas* ab iis propter quas indultum concessum fuit, potest *Ordinarius* etiam sollemnioribus diebus, *per modum actus* (ergo non habitualiter quamvis aliquoties, subsistente causa) missae celebrationem permittere (c. 1195, § 2).

Idem Ordinarius potest etiam in oratoriis pro quibus nullum indultum apostolicum est petitum, dummodo, per se vel per alium virum ecclesiasticum, oratorium visitaverit, concedere unius tantum missae celebrationem, per modum actus, in casu aliquo extraordinario, iusta et rationabili de causa (c. 1194).

Ipsa adhibita verba demonstrant facultatem istam potius stricte esse intellegendam, sicut in casu simili de celebratione in altari portatili, respondit Commissio Codici interpretando, 16 oct. 1919, ad 12 (*Per.* X, 101).

Maior tamen facultas competit Ordinario loci quod ad privata oratoria *coemeteriorum*, cum ibi possit etiam plures missas habitualiter concedere (c. 1194) (2).

Notandum est pluribus religiosis prodesse privilegium celebrandi in oratoriis privatis absque praeiudicio indultarii, i. e. ut altera missa nihilo minus ibi celebrari queat.

(1) Normae concessionis exhibentur ab *Ephemerides liturgicae*, t. 24, 1910, 132. Cf. quoque MATTHAEUM A CORONATA, n. 88-91.

(2) Vi c. 1149, omnes ibi praecepto Missae audiendae satisfacere possunt.

2. Per missam ibi auditam *ii soli audientes satisfaciunt praecepto* dominicali qui in indulto nominantur. Excipe sacerdotem celebrantem, atque, ex benigna interpretatione (1), etiam inservientem, qui praecepto satisfaciunt. In indulto autem, *consanguinei* et *affines* intelleguntur intra gradus impedimentorum matrimonii ; *hospites* sunt quotquot recipiuntur in domum saltem ad unum diem : immo ipsi commensales, si non sunt de eodem loco.

Praeter missam et nunc etiam dispensationem s. communionis, *nulla alia functio sacra* in istis oratoriis *permittitur*. Excluduntur ergo benedictio cinerum, palmarum, candelarum, benedictio mulieris post partum (Cf. GATTICUS, c. 28, n. 18. 19).

3. Oratoria domestica nec consecrari nec benedici possunt more ecclesiarum (c. 1196, § 1). Sola benedictio quam ante Codicem recipere poterant erat benedictio communis loci ; nec benedictio ista requiritur (c. 1196, § 2) nisi ex decentia (CLAEYS-SIMENON, n. 792).

Nunc, in novo Rituali, Appendix de benedictionibus, n. 16, reperitur brevis formula benedictionis oratorii privati seu domestici.

Ex clausulis indulti colligendum erit utrum necne cubicula supra cappellam tolerari possint.

De *clausulis S. C. de Sacramentis*, MANY, op. c. n. 96, monet easdem non esse ex obligatione introducendas in concessionem quam Ordinarius vi indulti generalis fecerit, nisi huiusmodi obligatio in ipso indulto memoretur.

503. - Oratoria quaelibet distinguenda sunt ab altari portatili. Omnia enim supponunt locum quendam cultui divino exclusive deputatum ; quare magna arca seu armarium quod, reliquo tempore clausum, per missam aperiatur, pro huiusmodi oratorio per se adhiberi non potest. Quamquam id in quibusdam locis toleratur. Dum altare portatile de quo in c. 822, missam permittit in omni loco decenti. Quocirca a *S. R. C.* 3 mart. 1901 ad 5. (ASS. XXXIII, 679), sapienter est responsum altaria in navi quae non habent locum fixum, neque publica neque privata esse oratoria, sed habenda esse uti altaria portatilia.

(1) Soli excluduntur audientes. Iam vero qui ministrat non mere audit missam, et est celebranti necessarius.

TITULUS XI

DE ALTARIBUS

(c. 1197-1202)

Scriptores : C. Gasparri, *De SS. Eucharistia*, I, 281-355; II, 766-787. — Many, *Praelectiones de locis sacris*, nn. 108-136. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, nn. 461-465. — Augustine, O. S. B. t. 6, in hos canones. — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 793-798. — De Meester, *Compendium*, nn. 1152-1166. — Matthaeus a Coronata, O. M. C. *De locis et temporibus sacris ;* n. 98-124. — Prümmer O. P., *Manuale*, q. 367.

Ordo Codicis. Codex agit successive de altarium distinctione, de eorum constitutione tum materiali tum formali, atque ibi de titulo altaris ; ac demum decori et reverentiae altaris consulit.

504. - I. Notio et divisio (**c. 1197**, § 1). *Altare* proprie dicit mensam vel, ut nunc semper, *petram supra quam sacrificium Deo offertur.*

Distinguitur autem *immobile* seu *fixum* et *mobile* seu *portatile.* Quae distinctio habet sensum *vulgarem* et *liturgicum.* Sensu *vulgari*, immobile est altare, si tota eius structura difficile mobilis apparet, ita ut altare ligneum cui sacra petra est inserta, hoc modo fixum dici possit, dum mobile dicetur altare quod transitorie, occasione alicuius sollemnitatis intra vel extra ecclesiam, erigitur. Mobile est quoque ipsa petra avulsa ab altari.

Sensu vero *liturgico*, « intellegitur : 1° Nomine altaris *immobilis* seu *fixi*, mensa superior una cum stipitibus per modum unius cum eadem consecratis ;

« 2° Nomine altaris *mobilis* seu *portatilis*, petra, ut plurimum parva, quae sola consecratur quaeque dicitur etiam *ara portatilis* seu *petra sacra ;* vel eadem petra cum stipite qui tamen non fuit una cum eadem consecratus. » (c. 1197, § 1).

Stipes autem idem est ac basis, et potest consistere in massa solida vel etiam in columnis.

Distinguitur quoque altare *maius* seu principale, cui opponuntur altaria *minora* eiusdem oratorii.

« In ecclesia *consecrata* saltem *unum altare*, praesertim maius, *debet esse immobile ;* in ecclesia autem *benedicta*, *omnia* altaria *possunt esse mobilia* » (c. 1197, § 2).

505. - II. Constitutio materialis (**c. 1198**). 1. *De altari immobili.* « Tum mensa altaris immobilis tum petra sacra ex unico constent lapide naturali, integro et non friabili. — In altari immobili tabula seu mensa lapidea ad integrum altare protendi debet, et apte cum stipite

cohaerere ; stipes autem sit lapideus vel saltem latera seu columnellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide » (**c. 1198**, § 1 et 2).

Itaque requiritur materia *dura*, excluso proin lapide puniceo vel gypso ; *unicitas* lapidis : non potest ergo constare variis lapidibus caementatis, ita ut haec consecratio esset dubia ; et *integritas* unius lapidis : non potest esse enormiter fractus. Praeterea, si ad integrum altare protendi debet, illicite ponitur in structura lignea maiore. *S. R. C.* reprobavit coronam seu zonam marmoream seu ligneam qua undique erat circumdatus lapis altaris (1).

Nec stipes seu basis constare potest lateribus, nisi simul columnellae ex lapide verum stipitem, apte cum mensa cohaerentem, constituant vel lateres mere spatium vacuum impleant. Immediata cohaesio non caementata stricte sufficere videtur. Cf. GASPARRI, l. c. n. 239 ; MATTHAEUS A CORONATA, op. c. n. 102, a.

Non requiritur ut altare adhaereat pavimento (cf. MATTHAEUM A CORONATA, citantem DE ANGELIS et GASPARRI).

In altari autem debet esse sepulcrum, lapide clausum et continens reliquias sanctorum (c. 1198, § 4).

2. *De petra sacra.* Petra sacra, ut modo ex Codice exscripsimus, debet ipsa constare unico lapide naturali, integro et non friabili. In ea quoque debet esse sepulcrum, continens reliquias sanctorum, lapide clausum (c. 1198, § 1. 3 et 4). Satis ampla esse debet ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capiat. Loculus reliquiarum in media parte superiore poni debet, quamvis in petris iam consecratis toleretur ut sit in parte anteriore(*S. R. C.* 31 mart. 1887. *Decr. auth.*, n. 3671).

506. - III. Constitutio formalis (**c. 1199**). 1. « Ut missae sacrificium super illud celebrari possit, *altare debet esse, secundum liturgicas leges, consecratum ;* idest vel totum, si agatur de immobili, vel ara tantum portatilis, si de mobili » (c. 1199, § 1).

Cum totum altare immobile sit consecratum, celebrans in huiusmodi altari nullam debet gerere sollicitudinem de ponenda hostia in lapide consecrato.

Liturgicae leges reperiuntur in *Pontificali Romano.*

2. *Omnes episcopi*, tam titulares quam residentiales, *aras portatiles consecrare possunt.* C. 1199, § 2 addit « salvis peculiaribus privilegiis ». Privilegia ista permittunt consecrationem arae portatilis *Cardinalibus, Vicariis* et *Praefectis Apostolicis iisque qui*, vacante munere, *Vicariatum vel Praefecturam administrant ; abbatibus* et *Praelatis nullius* (Cf. c. 239, § 2, 20°. 294. 323, § 2). Qui vero charactere episcopali carent, uti debent oleis ab episcopo benedictis.

Consecratio altaris immobilis spectat ad Ordinarium loci, si sit episcopus. Si non sit episcopus, ad ipsum spectat delegare episcopum pro ista consecratione. Ex privilegio, altaria etiam immobilia, cum oleis

(1) 29 aug. 1885 et 23 april. 1893 *(Decr. auth.* n. 3640 et 3797).

ab episcopo benedictis, consecrare possunt *Cardinales* quamvis non sint episcopi, et *abbates* vel *Praelati nullius* rite benedicti (Cf. c. 239, 20° et 323, § 2). Episcopus autem semper *valide* consecrat altaria, etiam contra leges.

3. Etiam separata consecratio altaris immobilis fit magis convenienter die dominico vel festo de praecepto ; omni tamen die fieri potest.

507. - Exsecratio. 1. « *Altare immobile* amittit consecrationem, si *tabula* seu mensa a stipite, etiam per temporis momentum, *separetur ;* quo in casu Ordinarius potest permittere ut presbyter altaris consecrationem iterum perficiat ritu formulaque breviore » **(c. 1200, § 1).**

Potestas hic Codice data nova est. Sinit ut ipse Ordinarius regularis, seu Superior maior religionis clericalis exemptae, sic per se vel per alium sacerdotem provideat novae consecrationi altaris quod mere *propter separationem* mensae a stipite amiserit consecrationem. Formula autem brevior confecta est a *S. R. C.*, 9 sept. 1920 (*Per.* X, 234), et reperitur nunc in *Rit. Rom. Appendix* de Consecratione altarium exsecr. I.

Si a duabus tantum ex quattuor columnellis separatio facta sit, altare non videtur exsecratum (MATTHAEUS A CORONATA, op. c. n. 113, e.)

2. « Tum altare *immobile* tum *petra sacra* amittunt *consecrationem :*

« 1° Si *frangantur* enormiter sive ratione quantitatis fracturae, sive ratione loci unctionis ;

« 2° Si *amoveantur reliquiae* aut *frangatur* vel amoveatur *sepulcri operculum,* excepto casu quo ipse episcopus vel eius delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum, vel ad visitandas reliquias » (c. 1200, § 2).

Fractura enormis *ratione quantitatis* habetur, si tabula ita fracta est ut non possit usum tabulae talis altaris habere, vel si ara sacra iam in aliqua parte sua non possit capere hostiam et maiorem partem calicis. *Ratione* autem *partis inunctae*, erit fractura enormis, si a tabula vel a petra sacra separetur angulus in quo facta est unctio. Codex enim verbis « ratione loci inuncti », videtur approbasse sententiam GARDELLINI et instructionis *S. R. C.* 6 oct. 1837. Benignius dicit MATTHAEUS A CORONATA, op. c. n. 114. *Formula* brevior consecrandi altare quod consecrationem amisit, habetur *Rit.* l. c. II.

Observes solam fractionem sigilli quo clauditur sepulcrum, non sufficere ad exsecrationem ; observes quoque delegationem episcopi, v. g. ad reparandum dari posse etiam perito non clerico.

« *Levis fractio operculi* non inducit exsecrationem, et quilibet sacerdos potest rimulam cemento firmare » (c. 1200, § 3).

Translatio altaris immobilis non est causa exsecrationis. Altare autem quod propter amotionem stipitis a mensa est exsecratum, ne pro ara quidem portatili haberi potest, cum sit totum *exsecratum* (MANY, n. 121).

« Exsecratio ecclesiae non secum fert exsecrationem altarium sive immobilium sive mobilium ; et vice versa » (c. 1200, § 4).

Quid ergo, si ecclesia exsecretur cuius omnia altaria sint consecrata, nullum autem simul cum ecclesia sit exsecratum ? Cum ex c. 1165, § 5 non liceat ecclesiam consecrare sine alicuius altaris consecratione, vel altare addendum erit, vel petenda est dispensatio, vel utendum erit epikeia ad omittendam istam consecrationem.

508. - IV. De altaris titulo. C. **1201** haec continet : 1. Omne altare suum titulum habere *potest ;* altare immobile titulum habere *debet.*

2. Titulus *primarius* altaris maioris idem debet esse ac titulus ecclesiae. Licet tamen alterum titulum tamquam secundarium addere.

3. « De *Ordinarii licentia mutari* quidem *potest altaris mobilis*, non autem altaris immobilis *titulus* ».

4. Altaria *Beatis* etiam in ecclesiis et oratoriis quibus eorum officium et missa concessa sunt, dedicari nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto.

Quaeres quid faciendum sit si altare maius iam habeat titulum diversum a titulo ecclesiae ? Si altare non sit consecratum, Ordinarius uti debebit sua potestate convertendi titulum altaris mobilis in titulum qualis debet esse titulus, ex c. 1201. Si autem sit consecratum, nihil erit faciendum, nisi forte recurras ad S. Sedem pro mutatione tituli.

509. - V. Altaris decor. C. **1202** vult ut altare tum immobile tum mobile *sit divinis tantum officiis reservatum*, praesertim celebrationi missae « quolibet profano usu excluso ».

« § 2. Subtus altare nullum sit reconditum cadaver ; cadavera autem quae prope altare sepulta forte sunt, distent ab eo saltem spatio unius metri ; secus missam in altari celebrare non licet, donec cadaver removeatur ».

Norma ista, quam Codex mutuatur a decretis *S. R. C.*, secundum responsa eiusdem Congregationis intellegenda est et intellegi potest. Quare, ex resp. 12 ian. 1897 ad II (*Decr. auth.* n. 3944), colligimus metrum posse sumi moraliter ita ut pauca centimetra neglegi possint. Dixit enim requiri distantiam trium cubitorum qui sunt *fere* unum metrum longitudinis. Atque ex resp. 12 ian. 1897 ad II, (n. 3947) sufficit haec distantia ab *altari*. Non requiritur ut sumatur a predella, dummodo omnis directio attendatur, ut vult AUGUSTINE in h. c. Separatio corporum per cameram lapideam sufficit, attentis responsis 27 iul. 1878 (*Decr. auth.* n. 3460) et 18 iul. 1902 ad V (*Decr. auth.* n. 4100). Denique, 2 april. 1875 (*Decr. auth.* n. 3339), in casu ubi remotio corporum locum dare poterat offensioni, *S. R. C.* respondit : « Corpora iam condita... removeantur si id commode fieri potest ». Ipsa ergo non exclusit usum epikeiae.

Collocatio imaginis tituli supra altare non praecipitur. Sed imago diversa a tituli imagine (*sottoquadro*) altari imponi non potest, relicta aut despecta imagine tituli. Opus proin est ut tunc loco honorato imago tituli tamquam principalis ponatur vel servetur. Cf. *S. R. C.* 27 aug. 1836, et 10 nov. 1906, *Decr. auth.* n. 2752 et 4191.

TITULUS XII

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

(cc. 1203-1242)

(I. CREUSEN, S. I.)

Scriptores: MANY, *Praelectiones de locis sacris*, n. 137, ss. — WERNZ, *Ius Decretalium*, III, n. 466, ss. — BLAT, O. P., *Commentarium textus*, III, II, in h. cc. — COCCHI, *Commentarium*, t. 5, in h. cc. — MATTH. A CORONATA O. M. C., *De locis et temporibus sacris*, sect. I, tit. IV. — LEITNER, *Handbuch des k. KR.*, 5te Lief. — H. TONDINI, *De ecclesia funerante ad normam novi Codicis i. c.*, Valbonesi, 1927. — C. E. v. *Burial, cemetery.* — D. A. v. *Incinération.* — D. ARCH. Lit. v. *Cimetière.* — D. TH. v. *Crémation.* — C. S. *De crematione corporis humani*, *Per.*, XVIII, 63* ss.

510. - **Ordo Codicis**: Post brevem de natura sepulturae fidelium introductionem (cc. 1203. 1204), hic titulus continet tria capita, quibus praescripta traduntur de *locis* sepulturae aptis (cc. 1205-1214) ; de *iuribus* fidelium et pastorum quod ad locum et ritus sepulturae (cc. 1215-1238) ; de concedenda vel neganda *sepultura ecclesiastica* (cc. 1239-1242).

INTRODUCTIO. - PRAENOTIONES

511. - 1. *De defunctis humandis.*

In ordinariis rerum adiunctis « fidelium defunctorum corpora sepelienda sunt, reprobata eorundem crematione » (**c. 1203**, § 1).

His verbis praecipitur ut corpora fidelium sive terrae pie committantur, sive in loculis seu columbariis (non tamen combusta) reponantur. Qui loculi iam in altiori loco *extra* ecclesias reponi non vetantur, nam *in* ecclesia solum R. Pontificis cadaver in conditorio elevato reponi potest, aliorum vero cadavera subter terram iacere debent.

Mores Iudaeorum secuti, qui moribus multorum aliorum populorum erant conformes, primi Christiani corpora defunctorum sepeliebant. Istud insinuant verba S. Pauli « corpus seminatur » (1), clare testantur Minutius Felix (2) et Tertullianus (3). Nullae urnae in coemeteriis christianis reperiuntur, quae ipso

(1) I *Cor.* XV, 36. — (2) *Octavius*, XI. — (3) *De anima*, c. 51.

coemeterii nomine sepeliendi morem connotant. Barbaris ad fidem conversis hanc legem impositam videmus (1).

Cum medio saec. XIX° societates praesertim medicorum cremationem inducere conatae essent, haec pluribus S. Officii decretis damnata est (2), poenis in violatores statutis.

In adiunctis tamen extraordinariis, v. g. in lue pestifera, post stragem bellicam, crematio non prohibetur. Officium enim pietatis erga mortuos et praesertim lex ecclesiastica cum tanto incommodo non obligant ; deest quoque tunc intentio impia, quae una e praecipuis motivis damnationum fuit. Durante tamen bello 1914-1918, non est adhibita, saltem palam, et sensui militum repugnare dicebatur.

2. Ob gravem Ecclesiae prohibitionem, illicitum est exsequi voluntatem illius qui ut suum corpus cremetur mandaverit ; quae clausula cuilibet actui addita, pro non adiecta habenda est (**c. 1203** § 2).

Si cuius corpus ex legis civilis praescripto, frustra renitente familia, comburendum est, licebit sacerdoti super defuncto ritus sacros exsequi ; illum vero ad locum cremationis ducere est prorsus prohibitum (3).

A lege servanda excusantur et censuras non incurrunt officiales publici qui *vi muneris* iubent cremationem defuncti, qui eam elegerit, exsecutioni mandari ; item opifices qui ex quadam necessitate operas suas cremandis corporibus locant.

In responso 3 aug. 1897 (4), S. Officium declaravit membra recisa fidelium, nisi obstarent graves difficultates, in parvo terrae spatio benedicto esse sepelienda ; licere tamen, prudenti dissimulatione, oboedire medicis qui combustionem iusserint. De his omnibus cf. *Per.*, XVIII, 62*, ss.

512. - *De notione sepulturae ecclesiasticae.*

« Sepultura ecclesiastica consistit in cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis » (**c. 1204**).

Triplici sepulturae ecclesiasticae elemento triplex ius respondet : ius *associandi*, sc. corpus a domo ad ecclesiam ; ius *funerandi*, seu exsequias celebrandi ; ius *tumulandi* seu humandi corpus in proprio coemeterio.

Notabile est vocem « sepultura » in canonibus qui sequuntur strictiori sensu pro actu sepeliendi, inhumandi adhiberi (cf. can. 1203, 1205, 1213, 1228, 1229, etc.) ; et latiori sensu, pro toto processu sepulturae ecclesiasticae. At in hoc posteriore casu Codex dicit « sepultura *ecclesiastica* » (cf. cc. 1204, 1239, 1240, 1241, 2339, etc.) (5).

Caput I. - De coemeteriis

513. - Cum corpora fidelium, paucis exceptis, in coemeterio benedicto sint condenda (c. 1205), ius habendi coemeterium proprium cuinam competat definitur in genere (cc. 1206, 1207) et in specie (c. 1208). Dein normae de divisione coemeterii eiusque dispositione et usu proponuntur (cc. 1209-1212). Tandem vetita praematura humatione (c. 1213), quonam iure exhumatio liceat docemur (c. 1214).

(1) Capit. Saxon. n. 479, cap. 7. — (2) Decret. *S. O.*, 19 maii 1886. — 15 dec. 1886. — 27 iul. 1892. — Instr 19 iun. 1926. — Cf. *D. A.*, v° Incinération. — (3) Litt. S. C. *de P. F.* 26 ian. 1911. *Period.* VI, 9. ; et XV, 120. Instr. *S. O.*, 19 iun. 1926. AAS, XVIII, 1926, 282. — *N. R. Th.*, 1926, 616. — (4) *Coll. P. F.* II, n. 1975. — (5) Cf. H. TONDINI, *De ecclesia funerante*, p. 11.

§ 1. DE LOCO SEPULTURAE

514. - Hodierno iure cadavera fidelium in *coemeterio* rite benedicto sunt condenda, non autem in ecclesiis, « nisi agatur de cadaveribus episcoporum residentialium, Abbatum vel Praelatorum *nullius* in propria ecclesia sepeliendis, vel Romani Pontificis, regalium personarum aut S. R. E. Cardinalium » (c. 1205).

Quod erat in votis Ecclesiae a pluribus saeculis (1), id novo iure severius urgetur, sc. ne fideles, immo neque sacerdotes, in ecclesiis sepeliantur. Haud levi enim incommodo invaluerat mos, iam s. IV° ortus posteaque magis extensus, sepeliendi episcopos, dein clericos et laicos in ecclesiis, non longe a corporibus Sanctorum. Ceterum plerisque legibus civilibus sepultura intra urbes, nedum intra loci sacri parietes, prohibetur.

Ex resp. *SCC.*, 10 dec. 1927, ipsa defunctorum ossa aut etiam cor solum in loco sacro servare aut sepelire non licet (2).

Consuetudo tamen contraria cum non reprobetur, ubi centenaria vel immemorialis est et prudenter removeri nequit, ab Ordinariis tolerari poterit.

Obligatio sepeliendi episcopos residentiales aut Praelatos *nullius* in sua ecclesia non imponitur, sed eorum ius ad talem sepulturam agnoscitur. Quare nihil obstat quin in sepulcro maiorum sepeliantur (3).

Cadavera eorum qui in ecclesiis sepeliuntur uno metro ab altaribus distare debent (4) nec sub altare recondi (c. 1202), nisi ab eo camera lapidea separentur (5). Metrum intelligitur inter sepulcrum et ipsum altare, non autem eius scabellum seu bradellam, iuxta recentiora *S.R.C.* responsa. (Cf. ASS., XXXI, 316.) Operimentum tumuli cum solo ecclesiae est aequandum, nisi de RR. Pontificibus agatur. Non vetatur tamen monumentum exstrui super pavimento vel ad parietes ecclesiae.

Coemeterium in quo fideles sepeliendi sunt benedicendum est. Triplex benedictio in libris liturgicis invenitur, sc., benedictio sollemnis (*Pont.Rom.* p. II) aut simplex (*Rit. Rom.* VIII, c. 29) totius coemeterii et benedictio simplex tumuli (*Rit. Rom*,, VI, c. 3, n. 12). Ius benedicendi coemeterium pertinet privative ad Ordinarium loci, nisi de coemeteriis religionis clericalis exemptae agatur, quae ab Ordinario proprio eiusve delegato benedici possunt. — Sepulcra gentilicia aut simplicem tumuli benedictionem accipiunt aut ad instar coemeterii (cf. c. 1208).

§ 2. DE IURE POSSIDENDI COEMETERIA

515. - « Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria » (c. 1206, § 1).

---

(1) *Rit. Rom.*, t. VI, c. 1, n. 22.

(2) Cf. *AAS.*, XX, 1928, 261. — *N. R. Th.*, 1928, 697. — *Per.*, XVII, 191. *AAS.*, XX, 1928, 261.

(3) MATTH. A CORONATA, *De locis sacris*, n. 138, b.

(4) *S. R. C.*, 12 ian. 1897, ad II. — 30 aug. 1901, ad II, nn. 3944, 4082. Cf. Resp. *Comm. I. C.*, 16 oct. 1919 ad XIV. XV. — AAS, X, 1918, 478. 479.

(5) S. Rit. *Rit.* in *Senonen.*, 27 iul. 1878, ad 2 — in *una de Queretaro*, 18 iul. 1902, ad 3. — *Decr. auth.* n. 3460. — ASS., XXXV, 109.

Ecclesia, cum sit societas perfecta, ius habet ea possidendi quae ad exercitium ltus sunt necessaria. Iamvero sepultura apud plerosque, ne dicamus omnes pulos, tamquam actus religiosus habita est; in Ecclesia vero, omnes sepulrae ritus communionem inter defunctum et fideles vivos supponunt. — Quod ob constitutionem societatis civilis istud ius Ecclesiae servari nequit, libertas ligionis, quam omnes adeo extollunt, violatur, nisi societas civilis partem ecialem proprii coemeterii Ecclesiae concedat (1).

Quia sepultura ecclesiastica simul communionem cum membris Ecclesiae militantis et triumphantis significat honoremque religiosum defuncto praestat, et Superiores ecclesiasticos exclusive pertinet iudicare quisnam hanc communionem servaverit istoque honore dignus sit, personae privatae, etiam e familia, officiales civiles, quod ad usum iuris humationis in coemeterio catholico prorsus competentes sunt.

516. - « Sicubi hoc Ecclesiae ius violetur nec spes sit ut violatio paretur », Ecclesia ius suum partim saltem obtinere vel exercere natur.

1° Si qui in coemeterio societatis civilis proprio condi solent, sint aiore ex parte catholici, Ordinarii locorum debent curare ut totum oemeterium benedicatur (c. 1206, § 2).

Ex constanti Ecclesiae disciplina, non licet acatholicos in coemeterio benedicto epelire. At videtur Codex tolerantiam istius mali separationi coemeterii in arias partes praeferre, ubi cives maiore ex parte sunt catholici. Benedictione nim totius coemeterii ius Ecclesiae melius agnoscitur et significatur, quam si ars tantum ei assignetur.

2° Si non admittatur benedictio totius coemeterii, quae non est etenda ubi catholici maiorem partem non constituunt, conandum est Ordinariis ut in coemeterio civili spatium speciale, idque benedictum, catholicis reservetur (c. 1206, § 2).

Hoc ius Ecclesiae conceditur in regionibus quibusdam acatholicis, ut sunt plures Status Foederati Americae septemtrionalis (Cf. C. E., v° *Burial*). Pars separatur fossa, saepe, muro.

3° Si non conceditur coemeterium separatum catholicis ubi acatholici maiori numero exsistunt, « toties quoties benedicantur, secundum ritus in probatis liturgicis libris traditos, singuli tumuli » (c. 1206, § 3).

In coemeterio benedicto, benedicuntur tantum sepulcra ex lateribus vel petris exstructa. Ritus benedictionis tumuli reperiuntur in *Rit. Rom.* t. VI, cap. 3, n. 12.

517. - « Quae de interdicto, violatione, reconciliatione ecclesiarum canones praescribunt, etiam coemeteriis applicentur » (c. 1207).

---

(1) Cf. Moulart, *La question des cimetières en Belgique*. — C. Van Coillie. A. De Meester, *La sépulture et les fabriques d'églises en droit civil-ecclesiastique belge* (2e éd.). 1924, n. 30.

Quia coemeterium locus est *sacer*, interdicto affici, violari et reconciliari potest. Si interdictum fuerit *locale generale*, per se permittuntur in ecclesia cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel ecclesia quae est unica in oppido, exsequiae mortuorum, sed sine cantu, pompa et sonitu campanarum vel organorum (c. 2271). In coemeterio specialiter (interdicto *particulari)* interdicto, fidelium cadavera sepeliri possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu (c. 2272). — De violatione coemeterii, cf. supra n. 489, 2, d.

518. - Coemeterium proprium habere singulae paroeciae debent, religiosi exempti proprio iure possunt. Sepulcrum proprium et benedictum, extra coemeterium commune, personae morales vel familiae privatae de licentia Ordinarii loci habere possunt (c. 1208).

Nomine paroeciae hic veniunt quoque quasi-paroeciae, immo, iuxta veteris iuris interpretationem, omnis circumscriptio ecclesiastica in qua sacerdos non vice alterius, sed nomine proprio fidelibus sacramenta administrat, ut puta missiones, stationes independentes, etc., ubi paroeciae vel quasi-paroeciae rite institui nequeunt.

Facultas habendi coemeterium proprium, quae ante Codicem, sive privilegio sive, quod erat probabilius, iure communi, Regularibus concedebatur, nunc omnibus religiosis exemptis tribuitur. Haec facultas competit quoque Monialibus in Gallia et Belgio; etsi enim exemptae non sunt, sua tamen privilegia non amiserunt.

Si religiosi exempti iure suo propter leges civiles intra muros uti nequeant, in coemeterio communi partem sibi reservatam acquirere possunt, et oratorium, si quod ibi erexerint, semi-publicum et exemptum erit. Id e nonnullis S. Sedis responsis eruitur, quae iura et privilegia Regularium circa sepulturam propter impedimenta a potestate civili opposita haudquaquam tolli aut minui declaravit (1).

Ordinarius loci potest ius sepulcri specialis cum restrictione vel condicionibus concedere, v. g. ut non admittantur nisi membra confraternitatis, piae unionis vel familiae privatae, etc.

Ius proprii sepulcri tum praescriptione, tum legitima consuetudine acquiri potest.

§ 3. DE CONCESSIONE LOCI AD SEPULTURAM IN COEMETERIO

519. - Fideles possunt sibi suisque exstruere sepulcra particularia de licentia *scripta* Superioris competentis (c. 1209, § 1) :

a) in coemeterio paroeciali, de licentia Ordinarii loci eiusve delegati ;

b) in omni alio coemeterio, de licentia Superioris.

Hoc sepulcrum de licentia eiusdem Superioris alienari potest.

Non requiritur ut licentia *alienandi* scripto concedatur. Acquisitio sepulcri privati in coemeterio communi iura parochorum non mutat neque praesumptionem facit electae ecclesiae coemeterii ad funus celebrandum Cf. *S. C. C.*, Resp. 12 nov. 1927. — *AAS*, 1928, 142. — *N. R. Th.*, 1928, 537.

(1) MATTHEUS A CORONATA, *o. c.*, n. 139, b.

Ex doctrina fere communi constat hanc concessionem vel alienationem pretio mporali fieri posse, modo pretium ratione benedictionis non augeatur. Duo feruntur argumenta : 1° Hoc pacto non alienatur dominium terrae sanctae, sed us usus qui *privative* ab emptore acquiritur ; 2° obiectum contractus non est cultas sepeliendi in loco sacro, sed locus sepulturae honorabilior et commodior ; uae duo sane sunt pretio temporali aestimabilia nec quicquam sacri continent.
Ubi de concedenda facultate alienandi sepulcri agitur, nominantur tantum rdinarii et Superiores, non vero delegatus Ordinarii cuius mentio fit quando de oncessione agitur ; sed id parvi refert, ni fallimur. Etsi enim haec alienatio ominium Ecclesiae magis quam prima concessio minuit, si solus Ordinarius ompetens esset, istud claris verbis diceretur. — Iam ante Codicem canonistae ermittebant Ordinariis huiusmodi concessiones largiri, quia alienatur bonum inoris momenti (MANY. *o. c.*, n. 153).

520. - Quantum fieri potest, sepulcra sacerdotum et reliquorum lericorum, in honestiore loco posita, a sepulcris laicorum separentur c. 1209, § 2) ; immo etiam infantium, ante septennium completum, orpuscula loculis separatis condi convenit (c. 1209, § 3).

E verbis Codicis, distinctio quae clericos a laicis separat, maioris quam aliae distinctiones momenti est ; aliae enim servari debent « ubi d commodum fuerit », « quatenus commode fieri potest ».

§ 4. DE CURA COEMETERII

521. - 1. Ut a loco sepulturae removeantur quae eius decentiam vel sanctitatem dedecent, « quodlibet coemeterium sit undique apte clausum et caute custoditum » (c. 1210).

2. Cum aedificatio fidelium, tum scandalum incredulorum vitandum imponit competenti coemeterii Superiori, sc. Ordinario, parocho, Superiori religioso obligationem cavendi « ne in coemeteriis epitaphia, laudationes funebres ornatusque monumentorum quidquam prae se ferant a catholica religione ac pietate absonum » (c. 1211).

Prudenter curandum erit ne illa doloris testimonia appenantur quae perpetuam separationem insinuent vel laudationes quae ab humilitate christiana abhorreant.

522. - Ut leges canonicae de neganda sepultura ecclesiastica servari possint, « praeter coemeterium benedictum alius, si haberi queat, sit locus, clausus item et custoditus, ubi ii humentur quibus sepultura ecclesiastica non conceditur » (c. 1212).

Quorum enim corpora a terra sancta excludit, Ecclesia ab omni honore et humanitate non vult privari. Nota locum, in quo baptizati indigni sepeliuntur, etsi non benedictum, posse tamen esse ecclesiasticum.

§ 5. DE TEMPORE SEPULTURAE

523. - Ad legem civilem spectat definire post quodnam temporis spatium mortui terrae mandari possint. Si nihil praescribat, Supe-

rioris ecclesiastici erit vitare ne praematura sepultura periculum vivos sepeliendi incurratur. Sciant igitur quibusnam signis mors vera a mera eius specie distinguatur. De his adiri possunt qui de medicina pastorali scripserunt. Hanc iuris naturalis obligationem commemorat **c. 1213.**

§ 6. DE EXHUMATIONE

524. - 1. Necessitas vel opportunitas exhumandi cadaver iam perpetuae sepulturae traditum oriri potest sive ex lege vel praecepto civili, v. g. ut signa criminis detegantur vel ut locus novis corporibus concedatur; sive ex lege vel praecepto ecclesiastico v. g. ad honores reliquiis Servi Dei tribuendos. Cum sepultura per se sit perpetua, tolerari non potest consuetudo qua fideles ossa sua post certum tempus exhumanda et in locum sacrum transferenda esse testamento decernerent (1).

2. « Nullum cadaver perpetuae sepulturae ecclesiasticae ubivis traditum exhumare licet, nisi de licentia Ordinarii » (c. 1214, § 1).

Quia sepultura fidelium est per se res sacra, officiales civiles licentiam exhumandi fidelem petere debent, quae rationabiliter petita vix negari potest.

Si cuius corpus in determinato loco sepulturae mandatum fuerit donec commode in alium asportari possit, exhumandi licentia ab Ordinario non est petenda. Qui casus est v. g. corporum militum statim post aciem in coemeterio depositorum, facultate facta parentibus ea reclamandi.

3. « Ordinarius licentiam numquam concedat, si cadaver ab aliis corporibus certo discerni nequeat » (c. 1214, § 2).

Caput II. - De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione

525. - Postquam obligationem ritus sacri renovavit (c. 1215), Codex, in hoc capite exponit ius commune de ecclesia funerante (cc. 1216 - 1222), dein ius electionis sive ecclesiae funeris sive coemeterii sepulturae (cc. 1223-1228), postea ius sepulcri gentilicii (c. 1229). His accedunt can. 1230-1233, quibus definitur quisnam sacerdos iure exsequendi sepulturam ecclesiasticam potiatur et quousque hoc ius pertingat. Tandem *iura temporalia* quae occasione sepulturae solvi debent vel possunt (cc. 1234-1237) et de libro mortuorum (c. 1238).

§ 1. - DE OBLIGATIONE RITUS SACRI

526. - « Nisi gravis causa obstet, cadavera fidelium, antequam tumulentur, transferenda sunt e loco in quo reperiuntur, in ecclesiam, ubi funus, id est totus ordo exsequiarum quae in probatis liturgicis libris describuntur, persolvatur » **(c. 1215).**

Totus exsequiarum ordo ad normam *tituli* VI *Rit. Rom.* tribus constat : delatione defuncti a loco ubi reperitur in ecclesiam funeris ; officio defunctorum, Missa exsequiali aut saltem precibus absolutionis ; deductione defuncti ab ecclesia funeris ad locum sepulturae. Contra in can. 1215 exsequiae designant caerimonias et preces liturgicas quae *in ecclesia* peraguntur, antequam cadaver ad tumulum de-

(1) *S. C. C.*, Resp. 10 dec. 1927. — *N. R. Th.*, 1928, 697. — *Per.*, XVII, 191, s.

ducatur. Ceterum hoc sensu *Rit. Rom.*, tit. VI, cap. V loquitur de exsequiis, absente corpore. — Obligatio sepulturae ecclesiasticae per se sub gravi imponitur, non tamen eadem vi quod ad omnes exsequiarum partes. Delatio corporis defuncti in ecclesiam, recitatio absolutionis et deductio ad locum sepulturae magis urgent quam celebratio missae et officii defunctorum.

Gravitas igitur causae quae a deductione in ecclesiam et ab absolutione excuset maior sit oportet quam pro ultimis, neque periculum offensionis (*malumore*) fidelium aut cleri qui ob localem consuetudinem nolint cadaver ad ecclesiam deduci gravis causa habendum est (1). Frequentia funerum, uti in nosocomiis habetur, aut numerus eorum qui impensis solvendis impares sint, graves causae sunt omittendi officium, immo et missam. Quo facilius tamen etiam pauperibus missa concedi possit, licet pro ipsis Missam de requie sine cantu loco Missae exsequialis cum cantu celebrare (*S. R. C.*, 9 maii 1899).

Huic Ecclesiae voto non obsecundant qui funus sine Missa inter paucissimos familiares sine iusta causa fieri volunt (2).

§ 2. DE ECCLESIA FUNERANTE

527. - Ius commune est ut fideles ecclesiasticam sepulturam in sua paroecia accipiant, nisi aliam voluntatem legitime manifestarint aut in sepulcro maiorum tumulandi sint. Clerici multi et religiosi iure speciali reguntur.

Quare Codex primo de ecclesia paroeciali fidelium et propria religiosorum aut quorundam clericorum agit (cc. 1216-1222), dein de electione ecclesiae funeris aut coemeterii sepulturae (cc. 1223-1228), tandem de sepulcro gentilicio (c. 1229).

Notandum est in cc. 1216-1230 non de ecclesia funerante tantum agi sed pluries de loco sepulturae, dum cc. 1231 et 1232 de sola inhumatione loquuntur.

Attente legenti can. 1216-1230 patet Codicem funus seu exsequias ab inhumatione seu sepultura clare distinguere, immo ius funeris a iure tumuli prorsus separare. Qua distinctione posita, inquirendum est num principium veteris iuris « *Ubi tumulus, ibi funus* » nova lege confirmetur. Affirmative respondent plerique commentatores, quibus in priore editione consentiebamus (3). Sed re ad maturius examen revocata, Codicem illud principium deseruisse admittimus, immo contrarium principium statuisse (4). Prout quis ius vetus confirmari aut tolli censet, applicationes nonnullae can. 1216, 1223 et 1229 diverso modo proponet.

I. IUS ORDINARIUM

528. - 1. « Ecclesia in quam cadaver pro funere transferri debet, ex iure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae, nisi defunctus aliam funeris ecclesiam legitime elegerit » (c. 1216, § 1).

---

(1) Cf. Resp. *Comm. I. C.*, 29 oct. 1919, ad 15. — AAS, XI, 1919, 478. — *Per.*, X, 102. — *S. Rit. C.* Resp. 26 febr. 1920. — AAS, XII, 1920, 128. — *Per.*, X, 214.

(2) Cf. CLAEYS-SIMENON, *Manuale iuris can.*, n. 803.

(3) MATTH. A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, nn. 186, 202, c. — CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, *l. c.*, n. 807. — DE MEESTER, *Compendium*, III, n. 1200, c. — P. VERMEERSCH ne sub veteri quidem iure principium illud viguisse contendit *Per.*, XVI, p. 57* ss.

(4) Hanc sententiam primus scripto proposuit H. TONDINI, *De ecclesia funerante ad normam novi Codicis l. c.*, Forolivii, 1927. Eam docebat, ut ait, iam Romae, MAROTO et, ut scimus, Lovanii D. KÖRPERICH, prof. in Univ. Cath.

Paroeciam propriam quisque obtinet domicilio vel quasi-domicilio. Notandum est tamen esse quasdam paroecias locales simul et personales quae ritu, natione, officio, aut mere personales quae domo seu familia determinantur.

Quia plures simul e domicilio et quasi-domicilio paroeciae haberi possunt, in quanam earum funus persolvendum sit, dirimitur ipso *mortis* loco.

« Si defunctus plures habuerit paroecias proprias, ecclesia funeris est ecclesia paroeciae in cuius territorio decessit » (ibid. § 2).

Can. 1216 agit de sepultura quae mortem immediate sequitur, non de ea quae post exhumationem e voluntate parentum, etc. ordinatur. Quare si quis exhumetur et novum funus persolvatur, in ea ecclesia locum habebit quam parentes, heredes aliive exhumationis et funeris auctores elegerint (1).

2. Hoc ius paroeciale, scriptum in lege, favore legis gaudet, ita ut exceptio probanda sit, v. g. electio sepulturae, et, in dubio, ius paroeciae propriae semper praevaleat (**c. 1217**). Decet enim ut ille post mortem iusta funebria celebret qui per vitam fideli sacramenta verbumque divinum ministraverit (c. 2, *de sepulturis*, III, 12 in VI°).

529. - 1. Sola exceptio communis est defuncti in territorio paroeciae non propriae mortui, a quo in propriam ecclesiam *commode pedestri itinere* asportari nequeat. Tunc in paroecia in qua decessit exsequiae fiant (**c. 1218**). Secus in paroeciam propriam, et quidem viciniorem, si plures habebat, ad funus est transferendus.

a) Iuxta decretalem BONIFACII VIII (c. 3, *de sepulturis*, III, 12 in VI°), defunctus ad propriam paroeciam non erat deferendus « quando non potest absque periculo ad illud coemeterium deportari ». Alii aestimabant *periculum* adesse quoties requirebatur ad defunctum deferendum saltem iter pedestre unius diei ; alii rem ex singulis adiunctis dirimendam censebant. Quibus favet Codex praesertim cum in § 2 dicit Ordinarii esse : « distantiam *aliaque adiuncta* designare, quae translationem incommodam reddant... ». Nota Codicem loqui tantum de itinere pedestri, dum quidam scriptores (2), freti responsis S. C. *Concilii*, rationem habendam putabant maioris opportunitatis quam viae ferreae offerunt. Cum translatio per viam ferream raro sine magnis impensis fieri possit, vix imponi poterit.

b) Ordinariorum est definire distantiam et incommoda quibus a translatione excusantur et attenditur semper designatio Ordinarii loci in quo defunctus supremum diem obiit (c. 1218, § 2). (3)

c) Parentibus, haeredibus aliisque quorum interest ius semper integrum est, translationem, etiam incommodam, suis expensis perficere (**c. 1218**, § 3).

(1) *S. C. C.*, Sancti Severi, *Funerum*, 12 ian. 1924. — AAS., XVI, 1924, 188. — *NRTh.*, 1924, 500. — *Per.*, XIII, 131.
(2) MANY, *o. c.* n. 171.
(3) *Conc. Mechlinien.*, 1920, a. 216, distantiam 5 kil. tamquam limitem necessariae asportationis ad ecclesiam paroecialem definivit.

2. Qui *in hospitali* moriuntur, si sepulturam non elegerint et sepulcro maiorum careant, in suam paroeciam funeris causa transferendi sunt, nisi in loco hospitalis saltem quasi-domicilium habeant vel translatio incommoda sit. Ita ius commune, cui derogare possunt ius particulare et privilegium (c. 1222).

Hospitali ius funerandi et sepulturae acquiri potest Apostolica concessione, statutis dioecesanis, contractu, consuetudine et praescriptione. Ius istud particulare a capellano probandum est, cum iuri proprii parochi praeiudicium afferat (1).

3. In cc. 1216-1218, nulla consuetudo reprobatur; quare si qua centenaria aut immemorabilis fuerit neque sine incommodo removeri posse ab Ordinario aestimata fuerit, servari poterit.

II. IUS SPECIALE CLERICORUM ET RELIGIOSORUM

530. - 1. R. Pontifex, si moriatur in Urbe, sepelitur in Basilica Vaticana, quae semper ecclesia funerans est nisi aliam sepulturam elegerit. Ita Pius IX, s. m. in Basilica S. Laurentii extra muros, iuxta votum suum sepelitur et Leo XIII Basilicam Lateranensem elegit.

2. Cardinalis, qui episcopus residentialis non est, si in Urbe decesserit, *funus* celebratur in ecclesia quam Romanus Pontifex designaverit; si extra Urbem, in ecclesia insigniori civitatis seu loci ubi mors accidit, nisi in utroque casu Cardinalis aliam elegerit (c. 1219, § 1).

Quod ad dignitatem, hic est ordo ecclesiarum: basilicae maiores, ecclesiae cathedrales, ecclesia paroecialis foranei vicariatus, aliae ecclesiae paroeciales.

Sepelietur autem Cardinalis in ecclesia vel coemeterio, quae elegerit, vel in sepulcro maiorum, vel in ecclesia tituli, cui tamen priora praeferuntur (2).

3. Episcopi *residentiales*, etiam cardinalicia dignitate aucti, Abbates et Praelati nullius, nisi ecclesiam funeris sibi elegerint, ad ecclesiam suam cathedralem, abbatialem vel praelaticiam *funeris* causa sunt deferendi; quod si commode fieri non poterit, in ecclesiam insigniorem loci ubi decesserunt (c. 1219, § 2).

Sepeliri possunt in ecclesia cathedrali, abbatiali aut praelaticia. Pro sepultura episcopi ecclesia cathedralis sepulcro maiorum praefertur; de ecclesia Abbatis et Praelati idem satis constat, cum sint religiosi.

4. Episcopi titulares iure aliorum fidelium reguntur.

5. « Beneficiarii residentiales ad ecclesiam sui beneficii transferendi sunt, nisi aliam sibi elegerint ecclesiam funeris » (c. 1220).

Agitur hic praesertim de canonicis titularibus et de parochis. Canon ius vetus mutare videtur. Etenim sub iure veteri *funus* canonicorum in ecclesia beneficii

(1) Cf. Causam Bergomen. *Iuris funerandi, S. Rota Rom.* 29 mar. 1919. — AAS, XII, 1920, 129. — *Per.* X, 248.
(2) Cf. ASS, XV, 553-558.

erat faciendum, si haec ecclesia coemeterium speciale pro canonicis habebat ; in ea enim sepeliebatur ; secus funus in ecclesia paroeciali erat celebrandum (1). Iam vero in canone haec distinctio prorsus omittitur.

Canonicus *sepeliendus* est in sepultura electa ; si nullam elegerit, in coemeterio particulari canonicis reservato, si tale exsistat : istud enim sepulcro maiorum praetulisse censetur ; si ecclesia collegialis tale coemeterium non habeat, in sepulcro maiorum ; quo deficiente, in coemeterio paroeciali.

Si canonici in seminario lectores sunt, quod ad *funeralia* Rectori seminarii non subduntur (c. 1368) ; quia c. 1220 *specialiter* definit ius eorum circa funeralia. Iam vero canoni generali per specialem restrictio imponitur (2).

Parochi funus in eius ecclesia fiet, in cuius coemeterio sepeliendus est, salva contraria electione.

6. Clerici non beneficiales iure communi utuntur.

7. Professi, etiam votorum simplicium et temporaneorum, funus in ecclesia vel oratorio suae domus vel saltem suae religionis obtinent, nisi remote ab illis moriantur, neque Superiores expensas translationis assumere velint. Quo in casu funerantur in paroecia loci in quo decesserunt (**c. 1221**).

Superioris religiosi ius est semper, per se vel per alium, levandi corpus et deducendi ad ecclesiam funerantem.

Moniales *exemptae*, sive intra sive extra domum obierint, in ecclesiam sui monasterii deferendae sunt, modo id commode fieri possit aut Superiorissa incommoda translationis ferre velit. — *Aliae* omnes *religiosae*, si potestati parochi subductae fuerint, eodem iure atque Moniales exemptae fruuntur ; secus deferendae sunt, funeris causa, ad ecclesiam paroecialem ex praescripto c. 1230, §§ 1 et 5 (3). Id non prohibet quin in oratorio sororum officium funebre a quolibet sacerdote celebretur, antequam defuncta ad ecclesiam paroecialem deferatur.

8. Novicii funerandi sunt in ecclesia electa ; secus in ecclesia suae domus religiosae. Si extra domum moriuntur, transferendi sunt, ubi id commode fieri potest vel Superiores expensas suscipiunt, in domum viciniorem suae religionis ; secus in ecclesiam paroeciae, in qua decesserunt.

Noviciae quae ad domum a parochi potestate non exemptam pertinent, sicut religiosae professae in ecclesia paroeciali funerantur, nisi ecclesiam funeris elegerint.

Postulantes non meliore iure utuntur quam ii qui in domo religiosa hospitii vel educationis causa diu noctuque degunt.

---

(1) Cf. MANY, *o. c.*, n. 177.
(2) Cf. *Monit. eccles.*, 1924, 179.
(3) Cf. CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, n. 805.

Hanc interpretationem contra sententiam plerorumque canonistarum dedit *Comm. pont. int.*, resp. 20 iul. 1929 (1). Immo MATTH. A CORONATA extendebat ius noviciorum ad « *alumnos postulantes* » et *oblatos*. Priores sunt qui in « scholis apostolicis » instituuntur ut, studiis peractis, religioni nomen dent. Haec opinio, quam iam improbabilem habebamus, responso S. S. citato, quod ad alumnos scholarum apostolicarum explicite excluditur; quod ad oblatos, saltem ex analogia. Sane interpretatio, quod ad postulantes, dubia erat, cum in enumeratione tam completa omitterentur. Quare vi c. 1217 ius paroeciae praevalebat.

9. Famuli « actu servientes et intra domus saepta stabiliter commorantes », si in domo religiosa decedant, eodem iure ac novicii reguntur ; si extra illam, iure communi laicorum (c. 1221, § 3).

Ius speciale seu exemptionem non participant personae quae hospitii, valetudinis vel educationis causa diu noctuque apud religiosos degunt, salvo iure particulari loci aut privilegio (c. 1222).

Quid de *ancillis* aliisve mulieribus servitio religiosarum addictis ?

Funus earum in ecclesia aut oratorio religiosarum habebitur, si istae fuerint parochi potestati subductae. Id ex analogia, immo e textu c. 1221, § 2 sequitur.

MATTH. A CORONATA eas iure omnium laicorum regi asserit, nixus c. 1225 (*o. c.*, n. 179, f). Argumentum autem rem non evincit ; ancilla enim quae omnino vult apud Moniales funerari, earum ecclesiam eligat. Si enim extra earum domum obierit, hoc erit solum efficax medium obtinendi intentum.

His Codicis praescriptionibus non una solvitur controversia ; membra congregationum religiosarum Regularibus assimilantur, ius parochorum quod ad hospites religiosorum confirmatur.

531. - Qui in seminario sunt, si in eodem moriuntur, in eius ecclesia vel oratorio funerantur ; erga quos Rector omnia iura parochi exercebit (cc. 1222. 1368).

Quae regula servanda est relate ad omnes qui in Seminario modo stabili vivunt eique addicuntur, ut Rector, lectores, alumni, Sorores, famuli; praeterea ad omnes qui etiam per paucissimos dies in Seminario die noctuque ratione hospitii degunt, v. g. parentes ex alia civitate suos filios invisentes. Quod non valet de iis qui in Seminario fortuito moriuntur, domicilium in loco ubi exstat Seminarium habentes (2).

§ 3. DE SEPULTURAE ELECTIONE

532. - Principium generale. Cuilibet fideli, exceptis impuberibus et religiosis professis, licet eligere ecclesiam sui funeris aut coemeterium sepulturae (cc. 1223. 1224).

Quod ad hanc electionem, « uxor et filii puberes prorsus immunes sunt a maritali vel patria potestate » (c. 1223, § 2).

(1) *AAS.*, XXI. 1929, 573. — *N. R. Th.*, 1929, 756. — *Per.*, XVIII, 249, s.
(2) Cf. MATTH. A CORONATA, *o. c.*, n. 185

Ius sepulturae electivae duo continet iura distincta et in pluribus canonibus verbis distinctis expressa, sc. ius eligendi ecclesiam funerantem et ius eligendi coemeterium sepulturae. Contra atque priore editione dicebamus, ecclesia coemeterii quod quis elegerit ius funerandi inde non acquirit. Quod sic demonstratur : Codex electionem unius ab electione alterius clare distinguit ; c. 1231 statuit principium « ubi funus, ibi tumulus » ; et in c. 1216 aperte dicit ecclesiam paroecialem defuncti esse ecclesiam funerantem « nisi defunctus aliam *funeris ecclesiam* elegerit » (1). Ius eligendi ecclesiam funeris aut coemeterium sepulturae ad solum defunctum, non ad heredes pertinet, salva legitima consuetudine.

Ius eligendi *coemeterium* sepulturae non extenditur ad sepulcra privata, v. g. ad sepulcrum maiorum alius familiae. Verum coemeterium esse videtur pars coemeterii publici concessa paroeciae vel religiosis.

533. - Exceptiones.

1. *De impuberibus.*

Pater vel, eo deficiente, mater, et, utroque mortuo, tutor possunt facere hanc electionem pro filio vel filia impubere, etiam post mortem eorum (c. 1224, 1°).

Haec facultas sub iure anteriore exerceri tantum poterat ubi consuetudine vigebat ; disputabant autem num parentes electionem facere possent, mortuo filio vel filia ; Codex affirmativam sententiam confirmat contra plura SS. Congregationum responsa.

2. *De religiosis professis.*

Religiosi professi, cuiuscumque sint gradus aut dignitatis, episcopali excepta, hanc electionem facere vetantur. Nec iam inter professos votorum sollemnium vel simplicium, immo nec inter vota temporanea vel perpetua distinctio ulla facienda est (c. 1224, 2°).

Quid si ante professionem sepulturam elegerint ? Electio professione irritatur. Veteri iure religioso qui procul a domo sui Ordinis moriebatur, eligere sepulturam licebat (2). Haec exceptio novi iuris silentio tollitur (3).

Superiores permittere possunt ut defunctus religiosus, v. g. petente familia, in alio ac suae domus coemeterio sepeliatur.

534. - De adiunctis electionis.

1. *De ecclesia funeris et coemeterio.*

Ut electio ecclesiae funeris valeat, cadat necesse est in ecclesiam iure funerandi praeditam (c. 1225).

Ecclesiae quae ius funerandi obtinent, sunt :

a) ecclesia stricte paroecialis ;

b) ecclesia virorum regularium, non autem Congregationis clericalis exemptae ;

---

(1) Huic iuri conforme est *Conc. Mechlinien.* (1920) decernens a. 216, 5° ex *sola* coemeterii electione ius in exsequias ecclesiae tumulanti non conferri.

(2) c. 5, *de Sepulturis*, in VI°.

(3) Ita quoque MATTH. A CORONATA, *o. c.*, n. 191, b.

Ita non paucae controversiae solvuntur. Regularium id ius commune nunc est aut, si malueris, privilegium ex lege; cui renuntiare non possunt facto privato.

c) ecclesia Monialium, « si agatur de mulieribus quae famulatus, educationis, infirmitatis aut hospitii causa inter clausuram eiusdem monasterii non precario commorabantur »;

Hoc ius competit quoque Monialibus quae ex speciali S. Sedis praescripto vota tantum simplicia emittunt. — *Non precario* idem est atque stabiliter.

d) ecclesia iuris patronatus, sed tantum « si agatur de patrono », aliis exclusis;

e) quaelibet ecclesia iure funerandi praedita ex concessione S. Sedis aut Ordinarii.

Quod ius potest cum variis restrictionibus concedi.

2. Electio *probanda est* quia est factum (1) et quia iuri parochi detrahit, sed quilibet legitimus probationis modus admittitur, sive actu publico, sive duobus testibus, sive testimonio parochi, cui electio non faveat, etc. **(c. 1226).**

3. Electio fieri potest pro alio legitime mandante, etiam post eius mortem (ibid.).

Haec iam erat sententia fere communis.

4. Electio semper revocari potest, quia consideratur ut pars testamenti.

5. Ut *libertas* electionis *muniatur*, « religiosi et clerici saeculares districte vetantur ne quos ad vovendum, iurandum vel fide interposita seu aliter promittendum inducant ut apud ipsorum ecclesias funus aut in ipsorum coemeterio sepulturam eligant, vel factam electionem non immutent; quod si contra factum fuerit, electio sit **nulla** » **(c. 1227).**

Iure animadvertit MATTH. A CORONATA, non vetari religiosos et clericos saeculares inducere alios ad sepulturam apud se eligendam, sed prohiberi inducere ad vovendum, etc. Quare si quis eorum consilio, precibus, etc. adductus sine promissione aut iuramento huiusmodi electionem libere fecerit, haec minime nulla erit. Quae prohibitio etiam parochum proprium afficit. Recte notant CLAEYS-SIMENON, *o. c.*, n. 806 a legis mente absonum esse omnem conatum ut fideles ita sepulturam eligant.

6. Qui elegit sepulturam in coemeterio diverso a coemeterio propriae paroeciae, ibi sepeliri *debet* « dummodo nihil obstet ex parte eorum a quibus coemeterium pendet » **(c. 1228, § 1).**

Si vero coemeterium sit religiosorum, requiritur et sufficit licentia eorum Superioris, ad normam Constitutionum (ibid. § 2).

(1) *S. C. C.*, Dianen. *Iuris funerandi*, 9 iul. 1921. — AAS, XIII, 1921, 534.

§ 4. DE SEPULCRO MAIORUM

535. - 1. Sepulcrum maiorum illud est in quo alicuius maiores requiescunt.

Potest fieri ut quis sepulcrum constituat omnibus et solis familiaribus (*familiare*), vel solis heredibus (*hereditarium*), vel familiaribus et heredibus etiam extraneis (*mixtum*); itaque voluntas fundatoris erit quod ad usum sepulcri respicienda.

Matth. a Coronata, *o. c.*, nn. 196. 197 quartam speciem sepulcri maiorum Codice institui asserit, sc. sepulcrum personae moralis, quod *sociale* vel *proprium* vocari poterit. Sed minus placet extensio vocis « sepulcrum maiorum » ad illa sepulcra, neque commodum huius denominationis percipimus (1).

2. Fideles, non electa sepultura, in sepulcro maiorum sunt sepeliendi dummodo commode ad illud asportari possint vel, si res est incommoda, familiares vel heredes impensas translationis suscipiant (c. 1229).

Etiam pueri, non obstante c. 1209, § 3, in sepulcro maiorum sunt sepeliendi; id enim e variis SS. Congregationum documentis eruitur. Filius naturalis qui fuerit a patre recognitus vel cuius pater est notorius, in sepulcro patris; incestuosus vel adulterinus vel sacrilegus in sepulcro matris, nisi haec illustris sit, sepelitur.

Ascendentes et consanguinei in linea collaterali non fruuntur hoc iure relate ad sepulcrum descendentium aut collateralium, nisi ipsi heredes sint et sepulcrum sit hereditarium aut mixtum.

3. Quid de Cardinali, episcopo, beneficiario, qui procul ab ecclesia sua defuncti sunt et non elegerunt sepulturam? Praevalet sepulcrum maiorum ecclesiae nobiliori vel paroeciali loci in quo decesserunt quia praesumptio electionis in eius favorem militat.

4. *Exceptio pro uxore.* « Pro uxore attenditur sepulcrum viri, et, si plures habuerit, sepulcrum ultimi » (c. 1229, § 2). Haec, supposito defectu electionis. — Quae tamen fuerit a marito in perpetuum separata cum ipso sepelienda non est. Deficit enim ipsa legis ratio.

Uxor in sepulcro ultimi viri sepelienda est, etiamsi post eius mortem habitationem mutaverit et maritus sepulcrum ratione tantum domicilii in certa paroecia habeat. Causa datur a Many, *o. c.*, n. 168, 4°, quia uxor *honorem*, non domicilium mariti retinet.

Virum non esse in sepulcro uxoris sepeliendum inde eruitur quod exceptio a iure paroeciae probanda est. Quae autem iuri aliorum detrahunt ad correlativa non videntur extendenda.

5. « Plura si sint maiorum aut viri sepulcra, defuncti familia aut heredes locum sepulturae deligant » (c. 1229, § 3).

---

(1) Cf. *Monit. eccles.*, 1921, 162, n. 12.

Veteres canonistae difficultatem aliter solvebant ; dicebant enim praeferendum esse sepulcrum familiare hereditario, sepulcrum ascendentium paternorum sui familiari, sepulcrum ascendentis masculini propinquioris sepulcro remotioris (Cf. Many, *o. c.*, n. 167, 3°. 4°).

§ 5. DE IURE SACERDOTIS FUNERANTIS AUT SEPELIENTIS

536. - 1. Codex primo agit de sacerdote cui incumbit ius cadaver levandi et funus celebrandi (c. 1230) et defunctum ad locum sepulturae comitandi (c. 1231). Dein definit alia iura quae cum illo iure conectuntur, sc. ingrediendi fines alius territorii (c. 1232) et associationem funeris ordinandi (c. 1233).

Quod ad ius funerum, distinguuntur varii casus prout defunctus iuri communi subditur (c. 1230, §§ 1. 2) aut speciali fruitur (§§ 3-7).

2. Duo principia generalia huic materiae praeponi possunt, sed quae suas exceptiones patiuntur. Quare *generatim* tantum dici potest : *a*) Rector ecclesiae funerantis est minister funerum ; *b*) qui ius ad funera facienda habet, obligatione quoque ea faciendi tenetur.

In quibusdam casibus, ministri funerum plures sunt, ita ut ab uno cadaver ad ecclesiam deducatur, ab alio exsequiae celebrentur et cadaver ad coemeterium deducatur.

« Notandum est in nulla forsan materia tot haberi exceptiones quibus ex conventione, indultis, privilegiis, consuetudinibus derogatur iuri communi. » (De Brabandere-De Meester, I (8 edit.), n. 476). Consuetudines tamen Codice tolluntur, nisi Ordinarii eas quae centenariae vel immemoriales sunt sine gravi incommodo non posse removeri censuerint.

I. DE IURE SEPULTURAE

537. - Varii *casus* proponi possunt, qui sequuntur :

1. Defunctus *obiit et sepelitur in propria paroecia.* « Proprius defuncti parochus non solum ius sed etiam officium habet, excepto gravis necessitatis casu, levandi per se vel per alium cadaver, illud comitandi ad suam ecclesiam paroecialem ibique exsequias persolvendi... » (c. 1230, § 1).

Inter plures proprios parochos, illi ius et officium competunt in cuius paroecia defunctus obiit (c. 1216, § 2). Exsequiae sollemnem missam comprehendunt, iuxta plures decisiones S. C. *Concilii* (cf. c. 1237, § 2 ; infra n. 544).

Si parochus per alium ius suum exerceat, isti consuetum tantum stipendium tradere debet, reliqua omnia sibi retinere potest quippe quae dentur non pro labore sed ex grato animo et ad sustentandum illum a quo defunctus tot bona spiritualia accepit.

Gravi de causa, Ordinarius vel parochus permittere poterit ut a diacono perficiantur ritus exsequiarum. In casu necessitatis, licentia praesumitur (1).

2. Defunctus *obiit in aliena, sepelitur in propria* paroecia.

Si defunctus commode in suam ecclesiam asportari potest, omnia

(1) *Rit. Rom.*, tit. VI, cap. III, n. 19.

praedicta iura ad proprium parochum pertinent quae exercebit « praemonito parocho loci » (c. 1230, § 2).

Quid si cadaver cum vero incommodo e sola parentum vel heredum voluntate ad paroeciam suam deferatur? — Codex casum directe non solvit, sed proprio parocho ita favet ut huic etiam tunc totum ius funerum tribuendum sit. Attamen ex analogia can. 1232, § 2 non inepte quis crediderit levationem corporis faciendam esse a parocho loci mortis cum deductione usque ad fines paroeciae vel civitatis propriae; parocho proprio non esse nisi ius et obligationem cadaver levandi ad fines suae paroeciae vel civitatis. Scriptores alii in alias partes abeunt (1).

3. Funus habetur *in ecclesia exempta* a parocho. — Parochus levat corpus sub cruce ecclesiae funerantis et deducit ad ecclesiam; rector ecclesiae exsequias celebrat (c. 1230, § 3). — Si Capitulum quoddam adsit, eius quoque crux elevatur.

4. Defunctus funeratur in ecclesia *non exempta suae paroeciae*. — Parocho omnia iura spiritualia, etiam celebratio exsequiarum, competunt, nisi defunctus sit exemptus.

5. Defunctus *obiit* in *sua paroecia* sed *funus habet* in ecclesia *non exempta* paroeciae *non suae*. — Parochus proprius levat corpus, exsequias celebrat in sua ecclesia et deducit cadaver ad coemeterium, ad normam cc. 1231. 1232.

6. Defunctus obiit et sepelitur *in paroecia non sua*. — Parochus *loci* omnia iura spiritualia exercet: proprio parocho portionem paroecialem solvet; excipe si defunctus in propriam paroeciam commode asportari non poterat (c. 1236, § 1).

7. In funere *religiosarum et noviciarum* haec sunt observanda.

a) Sacerdos non potest ingredi in clausuram, ad cuius limen religiosae defunctam deferunt;

b) Si religiosae iurisdictioni parochi sunt subductae, cappellanus exsequias peragit; secus ipse parochus.

c) Ubi religiosa extra domum moritur, duplex casus distinguendus est:

1° si in suam domum asportari queat aut ex voluntate Superiorissae asportetur, funus ad cappellanum aut ad proprium parochum pertinebit, prout domus est parochi potestati subducta aut subiecta (ibid. § 5).

2° si in domum suam asportari nequeat, funus obibit parochus loci in quo defuncta supremum diem obiit (cf. cc. 1218. 1221).

8. Si *Cardinalis* vel *episcopus* extra Urbem in civitate episcopali decesserint, utriusque funebria persolvunt dignitates et canonici ecclesiae cathedralis secundum ordinem praecedentiae (c. 1230, § 6; cf. c. 397, n. 3).

(1) Cf. MATTH. A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, n. 207.

9. « Si cadaver mittatur ad locum ubi nec defunctus propriam paroeciam habebat, nec ecclesia funeris legitime fuerat electa, ius levandi cadaver, peragendi exsequias, si peragendae sint, et cadaver ad sepulturam deducendi, pertinet ad ecclesiam cathedralem loci ; quae si desit, ad ecclesiam paroeciae in qua coemeterium situm sit, nisi aliud ferant loci consuetudo aut dioecesana statuta (c. 1230, § 7).

In hoc casu, exsequiae raro celebrandae erunt, quia plerumque in ecclesia paroeciali persolutae erunt, v. g. in casu illius qui sepulcrum maiorum satis longe a territorio paroeciae habeat (cf. c. 1232, § 2). Tunc Codex providet iuri levandi corpus, v. g. in aedificio rhedae ferreae et deducendi ad coemeterium. *Si exsequiae peragendae sint*, sacerdos cui incumbit eas persolvere hoc canone designatur. Fac v. g. cadaver hominis christiani satis longe a sua patria ad litus proici et parentes defuncti exsequias pro ipso postulare. Cf. *S.C.C.*, *Apuana*, Funerum, 12 nov. 1927 (1).

538. - 1. Cadaver, expletis exsequiis, tumulandum est in coemeterio ecclesiae funeris (**c. 1231**, § 1). Excipe hos casus : *a*) si Superior competens huius coemeterii ob iustam causam obstet ; *b*) si defunctus diversas ecclesias pro funere et tumulatione elegerit (cf. supra, n. 532) ; *c*) si defunctus ad sepulcrum maiorum mittendus sit.

Hic aperte statuitur principium « Ubi funus, ibi tumulus ».

2. Ad deducendum cadaver, sacerdos saltem stola indutus sit oportet, ubi superpelliceí usus consuetudine non viget.

3. Deductio ad coemeterium simul ius est et officium sacerdotis qui exsequias celebravit (c. 1231, § 2). Attamen « si cadaver tumulandum sit in coemeterio ad quod commode asportari nequeat, parochus vel rector ecclesiae funeris nequit sibi vindicare ius illud comitandi extra fines paroeciae » (**c. 1232**, § 2).

Aequum enim non est ut parentes vel heredes expensis itineris illorum sacerdotum graventur.

Officium deducendi cadaver ad coemeterium sacerdos funerans per alium satisfacere potest (c. 1231, § 2). Ab eo officio in gravi necessitatis casu excusatur (ibid.).

4. Ius et officium funera exsequendi et cadaver ad coemeterium deducendi importat facultatem seu ius transeundi per medium territorium, etiam non suum ; quod, vi iuris, cum stola et cruce elevata fieri potest, nulla parochi vel Ordinarii loci venia petita (c. 1232, § 1).

5. Si parentes vel heredes ministerio sacerdotis uti velint cum defunctus longe a propria paroecia tumulatur, videtur parochus coemeterii tumulationis ad id munus eligendus.

539. - 1 Familiae vel heredum : *a*) *ius* est clericos saeculares, religiosos ac pia sodalicia advocare ad deducendum cadaver ad ecclesiam funeris et ad sepulturam ; *b*) *officium* est advocandi imprimis clericos ecclesiae funeris addictos (**c. 1233**, § 1).

(1) *AAS.*, XX, 1928, 142. — *N. R. Th.*, 1928, 537. — Cf. quoque *Per.*, XVI, 67*, s.

Parochus invitatos excludere nequit « sine iusta et gravi causa ab Ordinario probata ». Sed ipse, salvis uniuscuiusque praecedentiae iuribus, omnia circa ductum funeris ordinat. Excludenda omnino sunt societates vel insignia religioni catholicae hostilia.

De hac re consulendi sunt mores regionis. Etiamsi societas non sit manifeste damnata, excludenda sunt eius vexilla vel insignia, dummodo societas a plerisque tamquam Ecclesiae infensa habeatur, ut sunt v. g. partes Socialistarum in Belgio, quia haec opinio communis praesumptionem contra societatem illam inducit. Ideoque vexilla rubri coloris, quae molitionem rerum novarum et rebellionis significant, ut ex multorum opinione constat, omnino excludenda sunt.

2. « Laici cadaver, generis aut dignitatis cuiusvis ille fuerit, clerici ne deferant » (c. 1233, § 4).

Agitur de delatione quae honoris, non necessitatis causa fiat.

II. DE TAXIS FUNERALIBUS

A. *De taxa et eleemosynis*

540. - 1. Index taxarum et eleemosynarum quae occasione funerum solvendae sunt pro singulis dioecesibus ab Ordinario loci est conficiendus (c. 1234, § 1). In illo definiendo Ordinarius :

1° Audiet consilium Capituli cathedralis et, si opportunum iudicaverit, vicariorum foraneorum dioecesi et parochorum civitatis episcopalis. Definitio valida esset, etiam si Ordinarius consilium Capituli non petivisset. Cf. c. 105. *Epit.*, I, 197 bis.

2° Attendet legitimis locorum consuetudinibus et omnibus personarum et locorum circumstantiis.

3° Cavebit ut singulorum iura moderate determinentur, sc. celebrantis, clericorum assistentium, ministrorum, fabricae ecclesiae, etc.

4° Cavebit ut quaelibet contentionum et scandali removeatur occasio.

Regulares indicem funeralium ab Ordinario statutum observare debent pro sepultura, exsequiis et anniversario. Hoc patet ex Resp. *Comm. I. C.*, 6 mart. 1927 ad II et c. 1235 (1).

2. « Si in indice plures classes enumerentur, liberum est iis quorum interest classem eligere » (c. 1234, § 2).

Nemo ergo cogi potest ad classem superiorem eligendam eo quod alia subsidia, v. g. stipendium pro cultu non solverit.

3. Nihil omnino *exigi* potest ultra id quod dioecesano indice definitur. Immo pauperibus gratis omnino decentia funebria, non omissis exsequiis, sunt praestanda, etsi missa, stipendio non accepto, alii intentioni applicari potest. De hoc casu cf. statuta dioecesana (c. 1235).

(1) Cf. AAS, XIX, 1927, 161. — *N. R. Th.*, 1927, 476. — *Per.*, XVI, 59.

B. *De portione paroeciali*

541. - Notio. Portio paroecialis est aliqua pars proprio defuncti arocho solvenda ex bonis quae occasione funerum ecclesiae tumulanti, paroeciali diversae, obveniunt (MANY, *o. c.*, n. 201).

Causa huius solutionis est gratus animus et aequitas, cum fideles a proprio arocho per vitam suam coelesti sacramentorum et verbi divini pabulo fuerint efecti. — Appellatur portio canonica, quarta portio, quarta funeralis seu funeraium ; iustitia ; in Codice portio paroecialis. Haec solutio ex veteri instituto fieri a EONE III dicitur (an. 795-816). Debetur ab ecclesia tumulante, numquam vero ab erede.

542. - *Quaenam ecclesia portionem debeat.*

« Salvo iure particulari, quoties fidelis non funeratur in ecclesia paroeciali propria, proprio defuncti parocho debetur portio paroecialis, excepto casu quo cadaver in ecclesiam propriae paroeciae commode asportari nequeat » (**c. 1236**, § 1).

1. Debetur ergo a parocho electae extra paroeciam ecclesiae funeris : a parocho ecclesiae collegialis vel cathedralis, si clericus in ea, relicta paroecia, ad normam iuris vel ex electione funeretur ; a Superiore regulari in cuius ecclesia funus ex electione est celebratum.

2. Quia canon ius particulare servat, non privilegia tantum sed et consuetudines contrariae servandae sunt.

3. Plerique scriptores veteres et recentes censebant solvendam esse portionem paroecialem, etiam si defunctus ad ecclesiam paroecialem commode deferri non posset. Quam sententiam etiamsi plerique parochi secuti sunt, consuetudines particulares non crearunt ; quod enim ubique ex interpretatione communi iuris observatur, ius commune, non particulare constituit. Haec igitur praxis sine ullius Superioris interventu mutari potest, sed non debet. — Multa monasteria privilegio gaudent portionem paroecialem non solvendi.

543. - « Si quis habeat plures paroecias proprias ad quas cadaver commode deferri posset, et alibi funeretur, portio paroecialis dividenda est inter omnes parochos proprios » (**c. 1236**, § 2).

Parochus proprius portionem numquam solvit, semper accipit, modo 1° defunctus ad suam ecclesiam commode asportari potuisset ; 2° extra unam e propriis paroeciis est sepultus.

544. - *De quantitate portionis paroecialis.*

1. « Detrahi debet portio paroecialis ex omnibus et solis emolumentis, quae statuta sunt pro funere et tumulatione in taxa dioecesana » (**c. 1237**, § 1).

Detrahitur ex iis omnibus emolumentis parochi, cleri et fabricae solutis pro sacro (salvo integro stipendio), cereis, cantu, velis, etc. Nihil debetur ex legatis pro die tertio, septimo, anniversario vel ex iis quae occasione funeris, pro cultu divino tribuuntur.

Olim quarta funeralis detrahebatur quoque ex oblatis ad altare et collectis. Id textu Codicis excludi videtur, nisi res in Statutis dioecesanis praevideatur.

Cum Codex in sepultura ecclesiastica tres partes distinguat, levationem corporis cum eius ad ecclesiam funeris delatione, funus, tumulationem et in c. 1237, § 1 de duobus ultimis tantum loquatur, scriptor quidam (1) inde concludit nihil ex emolumentis delationis ad ecclesiam funeris in quarta funerali solvendum esse. — Argumentum omni vi destitui videtur ; etenim : 1° funus ex communi loquendi usu ante Codicem delationem cadaveris ad ecclesiam semper comprehendit ; 2° Ius levandi cadaver ad parochum proprium, sicut et exsequiae, pertinuisset (cf. c. 1230, § 1) ; 3° sub iure veteri, quod in dubio servandum est, portio paroecialis detrahebatur quoque e cereis quae in translatione cadaveris adhibebantur.

2. « Si quacumque de causa primum sollemne officium funebre non statim, sed intra mensem completum a die tumulationis fiat, licet hoc die non defuerint minora publica officia, portio tamen paroecialis ex huius etiam funeris emolumentis debetur » (c. 1237, § 2).

Ad sollemnitatem officii, e stylo Curiae *nunc* vigenti, missa exsequialis saltem lecta requiritur. — Mensis computatur a media nocte post depositum in tumulo cadaver ; neque in hac re dies obitus diei depositionis est assimulandus, ob expressam Codicis mentionem.

Ius quod iam vigebat indicatione mensis magis determinatur, ne dolo parentum vel cleri proprius parochus sua parte fraudetur. — Quid autem si officium sollemne intra mensem ab accepto mortis nuntio tantum fiat ? quid si ultra mensem consulto differatur ? De his casibus interrogata Comm. interpretationis solutionem remisit (24 nov. 1920) ad S. C. *Concilii*, cuius erit casus propositos dirimere (Cf. AAS, XII (1920), 573, ss. ad VI ; *Period.* X, 251). — Si ob impedimentum verum differatur, taxa non erit iure communi solvenda.

3. « Quantitas portionis paroecialis determinetur in taxa dioecesana ; et si ecclesia paroecialis et ecclesia funerans ad diversas dioeceses pertineant, quantitas portionis paroecialis attenditur secundum taxam ecclesiae funerantis » (c. 1237, § 3).

Quia plerumque « quarta pars » in iure indicabatur, haec, salvo iure particulari, in plerisque locis olim saltem solvebatur.

§ 6. DE LIBRO DEFUNCTORUM

545. - « Expleta tumulatione, minister in libro defunctorum describat nomen et aetatem defuncti, nomen parentum vel coniugis, tempus mortis, quis et quae sacramenta ministraverit, locum et tempus tumulationis » (**c. 1238**).

De hac inscriptione consulant formulas in *Rit. Rom.*, t. X, c. 2 propositas et c. 7. « Forma sepeliendi defunctos ».

(1) *Ami du clergé*, 1923, 446.

Caput III. - De iis quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda

546. - Cum sepultura ecclesiastica ultimum sit communionis eccle-
asticae signum et pignus, neganda est *per se* omnibus qui in ecclesiam
tholicam numquam ingressi sunt vel ab ea post baptismum publice
efecerunt. Hoc supremo honore iuste privantur etiam ii qui publicis
sque gravissimis delictis Ecclesiam quasi deseruerunt.

§ 1. DE CONCESSIONE VEL NEGATIONE SEPULTURAE RATIONE BAPTISMATIS

547. - 1. Ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi qui
ne baptismo decesserint (**c. 1239**, § 1), v. g. iudaei, mahumetani,
agani, pueri, etiam a parentibus catholicis nati, ante baptismum
emortui.

2. Catechumeni, si culpa sua seu gravi negligentia sine baptismo
lecesserunt, procul dubio ab ecclesiastica sepultura sunt excludendi ;
qui vero nulla culpa sua sine baptismo moriuntur, omni iam contro-
versia amota, « baptizatis accensendi sunt » (ibid. § 2). Sic iam MANY,
. c. n. 217, 3° contra MOULART, *De sepultura*, 60, ss. 268, ss.

3. « Omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sunt, nisi
eadem a iure expresse priventur » (c. 1239, § 3).

Ius enim fideles habent ad sacrificium, sacramenta et sacramentalia nisi indigni demonstrentur. Canones qui privationem hanc decernunt strictae sunt interpretationis ; liberum enim exercitium iurium coarctant et baptizatis poenam gravem imponunt. — In dubio de collatione vel de valore baptismi, sepultura ecclesiastica concedenda est, propter strictam legis interpretationem.

§ 2. DE PRIVATIONE SEPULTURAE ECCLESIASTICAE

I. QUINAM SINT PRIVANDI

548. - Nemo qui ante mortem aliqua signa paenitentiae dederit,
iam est a sepultura ecclesiastica removendus. Ubi tamen scandalum
paenitentia publica non est reparatum, istud revelatione paenitentiae
privatae prudenter est tollendum.

549. - « Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua
dederint paenitentiae signa (**c. 1240**) :

« 1° Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel
schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societati-
bus notorie addicti ; »

Notorietas potest esse iuris (ex confessione coram iudice) vel facti adeo publici ut nulla tergiversatione possit celari. — Societates eiusdem generis ac secta masso-

nica illae sunt quarum membra vel duces secreto obstricti ipsam auctoritatem publicam, praesertim ecclesiasticam, moliuntur. — Nota *peccatum haereseos* a sepultura ecclesiastica non excludere, nisi notoriam apostasiam constituat vel *notoria* ascriptione sectae compleatur.

« 2° Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam ; »

Sub iure anteriore, soli *excommunicati vitandi* sepultura ecclesiastica privabantur, vi principii, « quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis » (1) Mutata vero excommunicati vitandi notione, Codex excommunicatos sententia *iudiciali* i. e. eos quorum excommunicatio iure notoria est, iisdem ac vitandos iuribus in non nullis casibus privat.

Etsi coemeterium sepultura omnium istorum excommunicatorum violatur (c. 1172), solius tamen excommunicati *vitandi* cadaver, si a ceteris discerni et sine gravi incommodo removeri queat, e coemeterio benedicto est exhumandum et in parte non benedicta sepeliendum (c. 1242).

« 3° Qui se ipsi occiderint deliberato consilio ; »

Cum lex sit strictae interpretationis, ubi de consilio defuncti non constat, benigna interpretatio praevalebit. In quibusdam saltem locis, omne periculum scandali ob istam benignitatem aberit, quia putant vix quemquam sui compotem se ipsum occidere. Valde utilis esse potest ordinatio dioecesana de modo agendi relate ad eos qui se ipsi occiderint, ubi nefas illud grassatur. Cf. Instr. dioec. Linz, 1926 in *Arch. f. k. KR*, 1926, 587.

« 4° Mortui in duello aut ex vulnere inde relato ; »

Benedictus XIV, c. *Detestabilem*, 10 nov. 1752, § 9 severius urgebat hanc legem eumque qui in duello aut ex eius vulnere decesserat, *etiamsi* signa paenitentiae dederat, sepultura ecclesiastica privabat. Quam severitatem consuetudo in pluribus locis, v. g. in Gallia, mitigaverat.

« 5° Qui mandaverint corpus suum cremationi tradi ; »

Ob gravissimam enim Ecclesiae prohibitionem, qui tale mandatum non retractarunt, publicis peccatoribus accensentur. Si corpus ex aliorum voluntate crematur, funus ecclesiasticum concedi potest, « si scandalum removeri possit » (2).

Contra, etiam si heredes aut familiares pravam defuncti voluntatem non retractatam exsecuti non fuerint, ecclesiastica tamen sepultura neganda est (3).

« 6° Alii peccatores publici et manifesti », ut sunt qui publice in concubinatu vivunt, qui per longum tempus annuam confessionem et communionem paschalem contempserunt, qui in actu publici peccati moriuntur, ut latrones in aggressione, etc.

Periculum scandali quod ex funere mere civili in quibusdam locis oritur

---

(1) S. Leo I, *Ep.* 167 *ad Rusticum Narb.* ML. 54, c. 1206.

(2) Cf. Instr. *S. O.*, 19 iun. 1926. — AAS, XVIII, 1926, 282. — *NRTh.*, 1926, 616. — *Per.*, XV, 120.

(3) Resp. *Comm. I. C.*, 10 nov. 1925, ad X. — AAS, XVII, 1925, 583. — *NRTh.*, 1926, 231. — *Per.*, XIV, 178 et 187.

test a lege excusare vel in partes benigniores inclinare ubi aliquod dubium perest.

Ceterum « occurrente praedictis in casibus aliquo dubio, consulatur, tempus sinat, Ordinarius ; permanente dubio, cadaver ecclesiasticae pulturae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum » (c. 1240, 2).

In certis casibus scandalum ex benigniori sepulturae ecclesiasticae concessione iundum poterit removeri denegando sollemnius funus vel etiam celebrationem Sacrificii. Benignior ipsius legislatoris voluntas eruitur tum e mitigatis ipsis aescriptis tum ex concessione c. 1240, § 2 in favorem defunctorum.

550. - *De extensione negatae sepulturae.*

« Excluso ab ecclesiastica sepultura deneganda sunt tum quaelibet issa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funeria » (c. 1241).

Alia enim funebria ipsi humationi accessoria sunt. Immo Gregorius XVI stuit quominus Missa funebris anniversaria pro regina acatholica celebraretur ab praetextu celebrandi officium pro defunctis universis familiae catholicae (1).

Quia lex ecclesiastica cum gravi incommodo non obligat (salvo candalo et contemptu), si ministris sacris e denegata sepultura eccleiastica gravia mala immineant, eam partim vel totam concedere oterunt, remoto aptis mediis scandalo.

550 (bis). - Lex de sepultura ecclesiastica neganda severis poenis ancitur, sc.

1° Excommunicationem l. s. nemini reservatam contrahunt « qui usi *fuerint* mandare seu *cogere tradi ecclesiasticae sepulturae* » eos uibus vi can. 1240, § 1, 1° et 2° deneganda est.

2° Interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum contraunt « sponte... eisdem sepulturam donantes » (c. 2339).

De his poenis cf. *Epitome*, III, in c. 2339.

---

(1) Breve *Litteras accepimus*, 9 iul. 1842. — *Anal. iuris pont.*, 1860, c. 2391.

SECTIO II · DE TEMPORIBUS SACRIS
(cc. 1243-1254)

(A. VERMEERSCH, S. I.)

Scriptores : WERNZ, *Ius Decretalium*, Tom. III, n. 394-424. — AUGUSTINE, O. S. B., in hos canones. — DE MEESTER, *Compendium*, nn. 1239-1246. — FERRERES S. I., *Institutiones canonicae*, II, nn. 174-191. — MATTHAEUS A CORONATA, O. M. C., *De temporibus et locis sacris*, nn. 271-320. — PRÜMMER, O. P., QQ. 381-384, praeter Praenotamen.

Ordo Codicis. Post introductionem generalem de notione, de legitima constitutione et dispensatione, demum de recta supputatione temporum sacrorum, Codex agit, tit. XIII, de diebus festis, et tit. XIV, de abstinentia et ieiunio.

INTRODUCTIO

551. - I. Notio. « Tempora sacra sunt dies festi ; iisque accensentur dies abstinentiae et ieiunii » (**c. 1243**).

Canone isto divisio huius sectionis praeparatur, cum duo genere dicantur esse tempora sacra : dies *festi*, dies *abstinentiae et ieiunii.*

Sacra dicuntur tempora, utpote quae Deo colendo dicata sint. Deus autem non sola laude et honore seu obsequio positivo, sed etiam dolorosa rerum creatarum abdicatione et passionum mortificatione a nobis colitur. Quare, non soli dies festi, verum etiam dies abstinentiae et ieiunii recte dicuntur sacra tempora.

Non tamen eodem ordine ac gradu. Cultus enim positivus in omni ordine exhibendus fuit et in perpetuum reddetur, dum cultus mortificationis proprius est praesentis nostrae condicionis post peccatum originale, ac cessabit in caelis. Itaque dies festi *propter se* et *principaliter*, dies ieiunii et abstinentiae *secundario* et *propter efficaciam* quam habent *nos solvendi impedimentis* affectus terreni ut liberius Deo vacare possimus, sunt instituti. Omnia, in vera religione nostra desinunt in divinam caenam nobis in caelis praeparatam, dum hic « compatimur ut et conglorificemur » (1), et « Quod... est momentaneum et leve tribulationis nostrae... aeternum gloriae pondus operatur in nobis » (2).

Immo plures dies abstinentiae et ieiunii festis praemittuntur tamquam proxima praeparatio, ut ipsa festa puriore affectu celebremus. Huiusmodi potissimum sunt vigiliae ; ipsum quadragesimale ieiunium est praeparatio Paschatis. Ac dici quoque potest abstinentia feriae sextae laetitiam dominicalem praeparari, praesertim si attendas, in initio etiam sabbatum fuisse a christianis honoratum, ita ut abstinentia non posset propius diem dominicam annuntiare. Ieiunia quattuor Temporum ab omni festiva celebratione magis separata sunt.

Ista ordinis et graduum distinctio insinuatur ipso canone 1243, qui non dicit simpliciter : Tempora sacra *sunt* dies festi et dies abstinentiae, sed mere : Temporibus sacris *accensentur* dies abstinentiae et ieiunii.

552. - II. Constitutio (**c. 1244**). Tempora sacra possunt esse universae Ecclesiae *communia* et possunt esse *particularia* locorum.

(1) Rom. 8, 17. — (2) 2 Cor. 4, 17.

Priorum non sola constitutio, sed etiam translatio et abolitio sunt reservatae supremae ecclesiasticae auctoritati, i. e. S. Sedi et Concilio oecumenico. Ac ratio est manifesta, cum agatur de universali Ecclesiae lege.

Diu licuit episcopis haec tempora sacra indicere pro sua dioecesi vel parte eius. Immo Summi Pontifices in primis saeculis non utebantur sua potestate instituendi tempora sacra universalis obligationis.

C. autem sua *Universa*, 13 sept. 1642, URBANUS VIII, dum catalogum festorum promulgavit, simul episcopos dehortatus est, ne sub praecepto perpetua festa instituerent. Inde *S. R. Congr.* 23 iun. 1703 (*Decr. authent.* 2113, ad 2), ipsam potestatem episcopis negavit. Declaratio tamen ista vim legis universalis per se non habebat. Quare plerique scriptores potestatem istam adhuc episcopis ante Codicem agnoverunt : magis tamen speculative quam practice. Perspicua enim, ut observat WERNZ, III, n. 404, erat contraria mens legislatoris, atque ipsa potestas videbatur desuetudine suppressa.

Media iam via incedens hodiernus legislator, Ordinariis locorum, in c. 1244, § 2, potestatem formaliter tribuit instituendi tempora sacra pro sua dioecesi sive tota sive pro parte vel loco eius, id tamen tantum *per modum actus*.

Per modum actus, i. e. transitorie, non ergo habitualiter, multo minus in perpetuum. Quia tamen non dicitur per modum *actus singularis*, eadem possint ad duos vel tres annos indicere ; maxime si id distinctis actibus faciant. (Cf. etiam MATTHAEUM A CORONATA, n. 275.)

Quod licet Ordinariis locorum, nonne fas erit *Superioribus maioribus* religionis clericalis exemptae ? Id negat R. P. AUGUSTINE, cum Codex de solis Ordinariis locorum loquatur. Verum, quod Codex expresse tribuit Ordinariis locorum non positive abiudicat ab Ordinariis religiosorum.

Immo, si quaestio fit de ieiuniis et abstinentiis, ipse Codex, in c. 1253, speciale esse ius plurium religiosorum supponit ; quod ius proinde condere poterit interna potestas quae, secundum Constitutiones, sit competens.

Sed de festorum institutione apud religiosos nihil habet Codex ; nec alia festa praeter universalia vel localia cognoscit. Neque exemplum novimus festi quod in communitate religiosa ita sit celebrandum ut religiosi audiendo sacro et servanda quiete festiva sub peccato, eoque gravi teneantur. Dicemus ergo hanc potestatem, ut a iure statuto et a moribus aeque alienam, potius negandam videri.

553. - Potestas dispensandi (c. 1245). 1. *Generalia.* Canone 1245 indicantur personae quae, praeter Sedem Apostolicam, facultate potiuntur *dispensandi* a lege communi in temporibus sacris.

Observes facultatem tribui simpliciter *dispensandi*, nullam autem *commutandi*, contra atque evenit in votis quae vel dispensantur vel commutantur. Ac ratio discriminis est, non agi hic, sicut in votis, de obligatione privatim suscepta, sed de obligatione legis. Legis autem obligatio non potest in aliam converti eiusdem generis, nisi condendo novam legem : quod legislator non censetur concedere ei cui mere dat facultatem relaxandi legis obligationem.

Itaque non possit parochus vel confessarius, si ipse sit delegatus, aliud opus in locum missae audiendae vel ieiunii servandi surrogare, vel partem legis reser-

vare quae non sit per se subsistens independenter a parte suppressa. E. g.: In variis locis, etiam diebus *solius ieiunii*, in collatione matutina vel vespertina non permittuntur ieiunantibus omnes cibi qui a non ieiunantibus licite absumuntur. Novimus autem legem *ieiunii* esse indivisibilem. Non possint igitur parochus vel confessarius quempiam a quantitate, non autem a qualitate ciborum servanda dispensare. Diebus vero *ieiunii et abstinentiae*, unum sine altero dispensari posse bene notum est.

Ordinarius tamen, cum aliunde potestatem legislativam et praeceptivam habeat, potest, ut videtur, in locum ieiunii praescribere pium opus vel preces, v. g. ad complendam causam dispensationis quae dubie sufficiat. Cf. MATTH. A CORONATA, *op. c.* n. 280, b, ss.

Immo, quia abstinentia a non nullis cibis causam dispensationis perficere potest, etiam parochus et confessarius delegatus facilius a ieiunio dispensare possunt aliquem qui paratus sit se in qualitate ciborum accommodare ieiunantibus.

Dicta hic supra igitur non cadunt nisi in commutationem proprie dictam seu formalem.

b) Potestas haec dispensandi ipso iure annectitur officio tum Ordinarii loci, tum parochi, tum Superioris in religione clericali exempta. Est igitur potestas *ordinaria*, et qua talis, ex toto vel ex parte delegabilis.

554. - 2. *Quid possint Ordinarii locorum? a*) Vi c. **1245**, § 1, possunt in casibus *singularibus, iustaque* de causa, subiectos sibi *singulos* fideles, *singulasve* familias, etiam *extra territorium*, et *in suo territorio* etiam *peregrinos*, a lege communi de *temporis sacri* observatione dispensare.

Quid sit dispensatio *in casibus singularibus*, perpendimus in *Epitome*, t. 1, n. 174. Casus singularis opponitur casuum pluralitati. Cum autem casus ipsa causa dispensandi generetur, eandem atque ipsa causa extensionem habebit, ita ut casus singularis dicatur qui una eademque numero causa regatur : v. g. tali morbo, tali debilitate, tali itinere. Non autem foret iam dispensatio in casibus singularibus, dispensatio data pro morbo praesente et fortasse futuro, nec pro pluribus itineribus, nisi una causa, ut esse potest officium, plura itinera postulet.

Iusta causa aestimata est in *Epitome*, t. 1, n. 166. Ipsi recepti mores efficiunt ut alia lex severius quam alia dispensetur.

Singuli fideles non sunt plures, saltem sub ratione communi per modum unius sumpti. Cur facultas ad singulos limitetur, dictum est *Epitome*, t. 1, n. 174, N. B.

Si quis tamen noverit causam excusantem vel dispensationi sufficientem (v. g. studia) in singulis vere haberi, tunc dispensatio uno actu iis omnibus data fit *virtualiter multiplex*, quasi successive sit omnibus distributive data.

Praeterea, atque haec est extensio iuris superioris, possunt Ordinarii locorum, ob causam familiae communem, quamvis fortasse non singulos attingat socios istius familiae, singulas familias dispensare. Immo MATTH. A CORONATA, *op. c.* n. 276, b, putat ab Ordinario locum aliquem suae dioecesis dispensari posse, cum paroeciae sint quasi familiae pro Episcopo. Id tamen parum probabile existimamus, praesertim quia in § 2 huius canonis unicus casus praevidetur in quo Ordinarius locum dispensare permittatur.

Extra territorium : haec verba referuntur tum ad dispensantem qui in territorio non suo dispensare velit subditum, tum ad dispensandum eum qui, in loco ubi caret domicilio et quasi domicilio, quamvis non sit vagus, velit a suo

raelato obtinere dispensationem. Nec quidquam obstat quin e loco non suo dispenns mittat dispensationem ad quempiam non subditum qui in territorio dispenntis actu versetur.

Cum autem haec dispensatio, quando singulis personis vel familiis conceditur, nseatur *personalis*, eius usus permittitur extra territorium, ita ut ubique ersonam sequatur. Cf. c. 74 de privilegiis et *Epitome*, t. 1, n. 171.

Quinam sint *peregrini*, qui ab Ordinario loci, in ipsius territorio absolvi ossint, colligi potest ex *Epitome*, I, n. 182, ubi existimavimus tam commoantes quam itinerantes communi peregrinorum nomine designari. Sic etiam Iatth. a Coronata, n. 176, b.

Quare, quotquot praesentem causam habent ut dispensationem impetrent, et rdinarium in ipsius territorio adeunt, ab eodem, quam diu causa duratura t, dispensari poterunt. Neque hoc nimium reputabit qui cogitet, facultates uiusmodi etiam confessariis, qui nullum territorium habent, concedi.

De *temporis sacri observatione* idem significat quod : de observatione festoum, de lege ieiunii et abstinentiae, et de utroque obligationum genere.

b) Vi c. **1245**, § 2, ex causa *peculiari magni populi concursus aut ublicae valetudinis*, possunt iidem *Ordinarii totam* quoque *dioecesim* eu *locum* a ieiunio et abstinentia vel etiam ab utraque simul lege *lispensare*.

Itaque hic maior conceditur Ordinario facultas dispensationis *generalis* quae fficiat omnes sive in loco sive in ipsa dioecesi commorantes vel praesentes.

Observandae autem sunt *condiciones* :

Causa debet esse *peculiaris*, proin non ordinaria seu habitualis. Sic hebdomadariae nundinae, quamvis magnam populi vim in civitatem adducant, usui facultatis non sufficiant. Quae tamen semel vel bis tantum in anno recurrat frequentia, satis peculiaris dici potest ut isti dispensationi locum det.

Causa debet esse sive *concursus* populi sive *publica valetudo*. Tertium causae genus, puta civilem sollemnitatem sine concursu populi frustra allegaretur. Sufficit autem extraordinarius concursus fidelium unius tantum paroeciae ad festum in ecclesia celebrandum (*Pont. Commiss.*, 12 mart. 1929 ad III. AAS., XXI, 170 ; *Per.*, XVIII, 172)

Ut vero concursus vel publica valetudo Ordinario usum facultatis suae permittant, opus est ut *causam* dent dispensandi, v. g. quia observatio legis foret nimis difficilis vel incommoda ; quia a multis neglegeretur. Causam per se sufficientem praebere solet publica valetudo. Fieri autem potest ut, in regione catholica, concurrens populus de violanda abstinentiae lege ne cogitet quidem. Mens tunc legislatoris non est ut Ordinarius rigorem disciplinae non exspectata dispensatione relaxet.

Dispensatio potest, pro ipsa causae extensione, esse communis toti dioecesi, vel speciali loco seu parte dioecesis circumscripta.

Dispensationis obiectum esse potest *ieiunium*, vel *abstinentia*, vel utrumque, *non* autem *observatio festorum*.

Quaeres quid si causa ista, utputa nundinarum annuarum, in dioecesi seu loco aliquo occurrat *singulis annis* per Quadragesimam ?

Canon quidem nullum tempus excipit. Et si nundinae non sint affixae diei hebdomadae, v. g. Feriae VI, sed diei mensis, v. g. 16 martii, non est ratio dubitandi de expedita facultate dispensandi ab *abstinentia*. Nundinae enim non incident quotannis in diem abstinentiae. Usus autem dispensandi *a ieiunio* efficeret ut in illa dioecesi seu in illo loco, quadragesimale tempus una die minueretur. Estne haec mens Ecclesiae ?

Quare satius duxerimus ut Ordinarius S. Sedem consulat. Non damnabimus tamen

Ordinarium qui can. 1245, § 2, etiam tunc, simpliciter utatur, ad dispensandum locum vel dioecesim, etiam intra Quadragesimam, cum verba canonis sint generalia.

555. - 3. *Quid possint parochi?* Participant, pro sua paroecia vel in sua paroecia, priorem, indicatam sub *a*), non autem posteriorem (quae cadat in totam paroeciam) Ordinariorum potestatem.

556. - *Quid possint Superiores religionis clericalis exemptae?*

Possunt, non soli Ordinarii seu *Superiores maiores*, sed etiam Superiores *locales*, dispensare ad modum parochi subditos, latiore sensu canonis 514, § 1 intellectos, i. e. non solos religiosos, sed etiam laicos « in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus, aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis ». Quod iam diximus t. I, n. 163 et *Summa novi iuris*, n. 486, 3.

Possunt igitur etiam religiosos peregrinos in suo conventu dispensare. Potestas ista plerumque erga singulas personas exercenda erit. Quia tamen parocho conceditur ut etiam singulas familias dispenset, familiae autem sunt partes minores communitatis paroecialis, existimavimus licere iisdem Superioribus ut collective dispensent minores suae communitatis partes quae familiae comparari possunt, quatenus vel facile communem dispensationis rationem habeant, vel dispensatio uni concessa aut concedenda observationem aliorum molestiorem reddat. Quod probatur P. MATTHAEUS A CORONATA, *op. c.* n. 280, d.

557. - Temporis sacri supputatio, pro *obligatione* et *tempore utili* eandem implendi, fit a media nocte ad mediam noctem (c. 1246). Optio autem varii temporis considerandi linquitur, quae explicata est *Epitome*, I, n. 118, ex c. 33.

Pro *indulgentiis* vero, visitatio ecclesiae aut oratorii pridie, iam a meridie, fit utiliter (c. 923).

TITULUS XIII

DE DIEBUS FESTIS

(cc. 1247-1249)

Ordo Codicis. Tribus canonibus Codex nobis tradit quinam sint dies festi; quid diebus festis sit praeceptum positive et negative; quibusnam in locis satisfiat praecepto missam audiendi.

558. - **Historicae notiones.** A primordiis Ecclesiae coeperunt fideles unam sabbatorum diem, quam dominicam (Apoc. I, 10) propter Christi resurrectionem vocabant, divino deputare servitio; potius tamen divinis officiis quam servando otio sabbatino. Conveniebant enim ad frangendum panem eucharisticum et ad divinas laudes canendas. In signum etiam laetitiae « die dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare » (1). Haec ieiunii interruptio, et, secundum plures, recitatio precum erecto corpore, etiam observabatur in sabbato, quae dies, in Orientali praesertim Ecclesia, aliquamdiu celebrari consuevit.

Indicati quoque sunt alii dies festi. Antiquitate primi sunt Pascha et Pen-

(1) TERTULLIANUS, *De corona militis*, 3 (P. L. II, 70).

costes. Iam saeculo IV vestigia exstant festi Ascensionis. In Oriente sollemnissimum et antiquissimum etiam fuit festum Epiphaniae, seu manifestationis divinitatis Christi in baptismo et nuptiis in Cana.

Mox ipsa Nativitas fuit eadem die celebrata. In Occidente autem, in priore parte saec. IV, natalicia Domini distinctum locum obtinuerunt, ita ut festo Epiphaniae commemoraremus Magorum adorationem ut symbolum vocationis gentium, atque etiam baptismum Christi et nuptias in Cana.

Antiquissima etiam est, in ipso martyrii loco, commemoratio martyrum, quae dein ad alia loca fuit extensa. Martyribus postea adiuncti sunt alii sancti. De propriis festis Marianis (1) a medio saec. V potissimum agi coeptum est, i. e. post C. Ephesinum (431), quod speciali Virginis Matris cultui maxima dedit incrementa. (Cf. nostrum opus : *Quaestiones de religione*, n. 109.)

Numerus autem festorum quae sub praecepto colenda erant, paulatim nimius evasit, ita ut, saec. praesertim XVI, non paucae querelae de ista re motae sint. C. Tridentinum moderationem suasit, nihil tamen praescripsit ; deinde autem URBANUS VIII, C. *Universa*, 13 sept. 1642, authenticum catalogum festorum promulgavit, de quo iam dictum est.

Quod ad ipsam *celebrationis rationem*, obligatio audiendi sacrum ab ineunte saec. IV in actis Conciliorum commemoratur. Strictam autem legem de cessatione ab operibus servilibus et a forensibus, frustra quaesieris ante Constantinum Magnum (2), qui tamen excepit agrorum culturam.

Festa autem distinguuntur festa *fori*, quae populum obligant ; et festa *chori*, quae a solo clero celebranda sunt functionibus sacris.

In quibusdam regionibus distinguebant quoque festa *plena* et festa *semiplena*. In prioribus, populus duplici lege audiendi missam et abstinendi operibus servilibus, in posterioribus sola lege positivae sanctificationis seu participandi sacrum tenebatur. Codex hanc distinctionem silentio praetermittit.

Origo autem sanctificationis festorum divini iuris est, quatenus ipsa lege naturali praecipitur ut cultus tum privatus tum publicus Deo reddatur, ac proin tempus aliquod deputetur colendo Deo. Sed quod ad modum et frequentiam, etiamsi agatur de sanctificanda dominica, est, ut nunc communissime tradunt, *iuris ecclesiastici*, quamvis Deus, in antiquo Testamento nobis exemplo praeiverit, in praecipienda sanctificatione sabbatina.

559. - 1. « Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum : Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis et sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Ioseph eius sponsi, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique sanctorum » (**c. 1247**, § 1).

Prima canonis verba per se duplicem ferunt interpretationem ; voce enim *tantum* excludi possunt sola alia festa universalia, vel etiam alia festa particularia. Alteram interpretationem elegit Pontificia Commissio, cum ad quaesitum III : « Utrum festa quae non enumerantur in c. 1247, § 1, ipso facto ipsaque lege nullibi sint amplius de praecepto, etiamsi in aliqua natione, dioecesi aut loco antea fuerint de praecepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci, aut ex speciali concessione S. Sedis », die 17 febr. 1918

---

(1) *De propriis*, inquam. Namque antea iam in celebratis Dei-Hominis mysteriis Mater Dei congruente honore non destituebatur.

(2) L. 3, Cod. III, 12, *De Feriis* (ex edicto 321).

responderit : « *Affirmative*, ita ut in iis diebus non amplius fideles urgeat duplex obligatio audiendi missam et abstinendi ab operibus servilibus » (1).

Itaque sicubi videatur servandum festum peculiare, v. g. Mediolani, festum S. AMBROSII, novum indultum petendum erit a S. Sede, per Congregationem competentem, i. e. Congr. Concilii.

Festum autem S. IOSEPH, cuius restauratur obligatio, est festum quod die 19 martii recurrit.

2. Dies festi *patronorum*, sicut monemur § 2 eiusdem canonis, ecclesiastico praecepto non subiacent ; permittuntur autem locorum Ordinarii sollemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem.

Si fiat ista translatio, re ipsa transferuntur indulgentiae cum istis festis connexae.

Porro festa patronorum possunt esse patronorum *regni*, *dioecesis*, aut *loci*. URBANUS VIII festum patroni loci sub praecepto recolendum iusserat.

3. « Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur » (c. **1247**, § 3).

Noluit ergo legislator ut, inconsulta S. Sede, innovaretur quidpiam in locis ubi aliquod festum legitime abolitum sit aut translatum. Regiones istae suam interea particularem disciplinam servabunt.

Hoc tamen valet de sola particulari disciplina quae concordatis, indultis vel consuetudine sit inducta, non autem de ea quae ex Motu Proprio *Supremi disciplinae*, PII X, 2 iul. 1911, pro universa Ecclesia resultavit.

Dicto enim Motu Proprio PIUS X abrogaverat festa SS. Corporis Christi et S. IOSEPH, quorum tamen universalem celebrationem Commissio pontificia suis responsis valde urget.

560. - Vis praecepti. Canone **1248** definitur *obligatio positiva* sanctificationis per *assistentiam missae* ; et *negativa* obligatio *abstinendi* ab « *operibus servilibus, actibus forensibus*, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, *publico mercatu, nundinis*, aliisque *publicis emptionibus et venditionibus* ».

Quaenam opera sint *servilia*, declaratur in theologiis moralibus.

Actiones forenses sunt sessiones tribunalium et actiones quae ad decisiones causarum tam civilium quam criminalium in foro sive civili sive ecclesiastico spectant. Cavere enim voluit legislator ne iurgiis vel dissensionibus dies sacri infestarentur, neve mens nimis in diversa traheretur.

Unde *citare* partes, iuramentum iudiciale exigere, proferre aut exsequi sententiam non licet. Verum fas est excommunicare, suspendere ex informata con-

---

(1) AAS, 10, 1918, 170. — *Per.*, IX, 82.

scientia, beneficia conferre, dispensare, iudicem privatim informare, advocatum consulere, etc. quia haec strepitum iudicialem non requirunt.

Mercatus publici, quasi nomine collectivo designant multas istas emptiones et venditiones quae a congregatis ex proposito mercatoribus fiunt.

Si post statos dies recurrunt, v. g. singulis hebdomadis, sunt *nundinae*.

Aliae publicae emptiones et venditiones sunt certo *auctiones*, *hastae*.

Videntur esse quoque, per se, emptiones-venditiones in publicis officinis. Attamen consuetudo sat generaliter permittit emptiones rerum quae certum ac definitum pretium habent, in quarum venditione proin minimus labor impenditur (1). In non paucis locis exigebatur ut, in signum reverentiae, officinae semi-clausae manerent : qui pius usus inculcandus est.

Licitae autem sunt *privatim* factae emptiones-venditiones, locationes domus, equi, etc. Etiam *notarii* sua instrumenta conficere stricte non prohibentur.

561. - Codex non commemorat nisi communes fidelium obligationes. Alio autem loco agit de obligatione celebrandi pro populo quam habent parochi, episcopi et quasi-parochi : cf. dicta *Epitome*, I, n. 410 et 508 ; et de diebus quibus permittuntur sacrae ordinationes : cf. supra, n. 269.

562. - Superiore iure *a iudiciis* quoque *vacandum* erat saltem per hebdomadam sanctam et octavam Paschae ; quod tempus *Normis communibus* Pii X (c. 5) (2), redactum est ad quattuor dies ante et ad duos post Pascha.

Nunc vero, ex c. 1639, soli tres ultimi dies hebdomadae sanctae feriati habentur. Conandum est ut in foro quoque civili usus tunc feriandi servetur.

563. - Quanam audita missa legi satisfiat. Ex c. 1249, audienda est missa aliquo *ritu catholico* celebrata, idque *sub dio* aut *in oratorio non privato*, exceptis privatis coemeteriorum aediculis vel privilegio Apostolico.

De qualitate oratoriorum diximus supra, n. 496, ss. Inde constat privatum non esse oratorium quod in communi aula navis sit *stabiliter* erectum (*S. R. C.*, 4 mart. 1901, ad 5). Ac si missa ibi celebretur in ara portatili, censetur moraliter sub dio celebrata, ita ut assistentia missae praecepto implendo prorsus sufficiat.

Satisfacitne praecepto qui missam audiat quam *ritu catholico* verus sacerdos sectae schismaticae vel haereticae celebraverit ? Cum condicio Codicis sit impleta,

---

(1) Cf. D'Annibale. *Summula*, I, 112 et (16). — (2) Cf. *Per.* IV, 247.

non constat ipsum non satisfecisse, quamvis formalis communicatio cum huiusmodi celebrante iure positivo prohibeatur, ac proin missam eius audire non liceat.

Satisfacere etiam videtur praecepto audiendi missam, qui *missam* audit *a Cardinali* vel *Episcopo celebratam* vel in alterutrius commodum. Hoc enim de episcopo respondit *S. Rit. Congregatio*, 8 iun. 1896 ; atque, ex c. 1189, eorum oratoria, licet sint privata, fruuntur tamen omnibus iuribus et privilegiis oratoriorum semi-publicorum.

TITULUS XIV

DE ABSTINENTIA ET IEIUNIO

(c. 1250-1254)

Ordo Codicis. Duobus prioribus canonibus, Codex obiectum praesens utriusque legis abstinentiae et ieiunii definit; deinde declarat quandonam utraque lex sit servanda ; tum reservat indulta, vota, constitutiones et regulas speciales ; demum subiectum legis accurate explicat.

564. - **Historica.** Usum ieiunandi ab ipsis Apostolis introductum esse, non est dubitandum. Atque a primo saeculo coeperunt fideles ieiunium completum, abstinendo omni cibo et potu, servare diebus quibus sponsus censebatur ipsis ablatus (1) i. e. a feria VI in Parasceve ad Pascha.

Usus autem Pharisaeorum ieiunandi dimidiate (i. e. usque ad occasum solis) bis in hebdomada (2), fideles movit ut fervorem istum imitarentur, mutatis tamen diebus, ita ut pro feria tertia et quinta, quas Pharisaei ieiunio deputaverant, eligerent feriam quartam et sextam. Crescens immo devotio ieiunii, saltem in Occidente (namque in Oriente, sabbatum mansit magis seu diutius festiva dies) effecit ut plures etiam sabbato hoc modo ieiunarent. Quod subinde, quater in anno praescriptum, originem dedit ieiuniis Quattuor Temporum.

Postea, suppresso hebdomadario ieiunio, remansit abstinentia feriae VI, cui, in pluribus locis, consuetudo addiderat abstinentiam sabbatinam.

Dimidiata illa ratio ieiunandi paulatim extensa est ad quadragesimalem praeparationem Paschae : quod ieiunium quadragesimale paulatim, saec. VI-VII ius universale evasit (cf. Vacandard, *Dict. th. cath.* v. *Carême*).

Coeperunt quoque iam antiquitus, non solum pridie Paschatis, sed etiam pridie festorum principalium celebrare ieiunia vigiliarum.

Postquam ieiunii pleni (sine ullo cibo vel potu) ratio obsoleta est, essentia ieiunii iam posita est in unica refectione corporis in die ; quae refectio sumebatur post recitatas vesperas. Quare, ut prandium paulo citius offerri posset, Carolus Magnus obtinuit ut in quadragesima vesperae anticiparentur. Iam a saec. XIII, tolerari coepta est parva refectio vespertina, cui accessit matutinum frustulum.

Invaluit quoque regula : Potus non frangit ieiunium.

Etsi, post introductam obligationem simplicis abstinentiae feriae VI, praeceptum abstinentiae iam coeperit distincte subsistere, communi tamen iure, ante Codicem, ieiunium inferebat abstinentiam ; et ieiunium quadragesimale, abstinentiam rigorosam, ita ut per totum quadragesimale tempus, non exceptis

(1) Cf. S. Matth., 9, 15. — (2) Ev. S. Luc. 18, 12.

minicis, soli cibi esuriales (exclusis etiam lacticiniis), apponi possent. Quod men indulta valde temperaverant.

Obligatio igitur abstinentiae pars tunc erat obligationis ieiunii.

Tertiam quoque obligationem introduxerat BENEDICTUS XIV, qua noluit ut ebus ieiunii ab iis qui ab abstinentia dispensarentur usus carnis et piscium fieret eadem refectione. Quae lex dicta est *vetitae promiscuitatis*.

Haec pauca historice memorata satis sunt ut oeconomiam praesentis legis elius capiamus.

Haec igitur, ut statim ex propositis canonibus patebit, propria nt praesentis iuris : *a*) ut legem abstinentiae a lege ieiunii plene eparet ; *b*) ut suppressa strictiore disciplina, abstinentia numquam m prohibeat ova et lacticinia, dum primitus, vetita carne, vetabatur uoque quidquid a carne originem trahebat, ergo ova et lac ; *c*) ut etitam promiscuitatem carnis et piscium auferat (1).

565. - Abstinentiae praeceptum. « Abstinentiae lex vetat carne ureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis, etiam ex adipe animalium » **(c. 1250).**

Quid *carnis* rationem habeat, non scientifice, sed communi aestimatione et onsuetudine definiendum est. Deficiente usu, admitti potest regula S. TH. 2, 2, q. 147, art. 8, qua lege abstinentiae prohibita censentur animalia *terrestria*, seu quae diu extra aquam vivere solent vel qui calido sanguine perfunduntur. Quod ad amphibia, BENEDICTUS XIV suadet ut consideretur quibuscum animaibus eorum caro maiorem similitudinem referat. In probabili dubio, pro libertate esponderi potest. Ex communi porro acceptione, piscibus aequiperantur non sola ostrea, mituli, cammari, verum etiam limaces, testudines, ranae, locustae. Ubi favet consuetudo, diebus abstinentiae tolerantur quoque fulicae vel huiusnodi volucres nantes. Non nulli permittunt quoque, accedente consuetudine, lustra et castores. Perspicitur prohiberi extractum « *Liebig* », dum MATTH. A CORONATA, n. 297, putat « *Brodo Maggi* » cum lege abstinentiae componi posse.

Lacticinia designant ipsum lac et quidquid ex lacte conficitur, ut caseus.

Condimenti rationem habet quidquid, sive liquidum sive etiam non liquidum, adhibetur ut cibus principalior sapidus reddatur.

Si quaelibet condimenta permittuntur, etiam ex adipe animalium, admittitur sic dicta « *margarina* » ; nec de origine quaerendum est sic dictae « *gelatinae* », quae ex piscibus vel ex ossibus vitelli educitur. — Ipsae substantiae, ut « *peptone* », quae usu vulgari carnis nomine non veniunt, nec carnis saporem habent, ecclesiastica carnis prohibitione comprehensae non videntur.

566. - Lex ieiunii (c. 1251). « § 1. Lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat ; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine ». Canon iste :

Essentiam ieiunii reponit in unica per diem comestione, seu refectione plena ;

(1) Cf. *N. R. Th.*, 1924, 155, ss. — *Rev. eccl. Liége*, XI, 375, ss. *Vie dioc.* (Malines), 1924, 290, ss.

Formaliter admittit frustulum matutinum et collationem vespertinam ;

Et quia hic maxime variant usus, praesertim quod ad qualitatem ciborum attinet, receptum morem sancit.

Consuetudo hic intellegi nequit proprie dicta consuetudo, legitime praescripta et moribus populi inducta : sin minus recedendum foret a temperamentis quae indultis introducta sunt, quod esset nimis durum ; sed designat receptos usus, — non attendendo ad eorundem causam seu occasionem, — quibus aliter in aliis locis recessum est a rigore observantiae quadragesimalis, quae vespere et mane non admittebat nisi cibos esuriales. Itaque, ubi nullus fuerit usus receptus de qualitate cibi, omnes et soli cibi esuriales, mane et vespere fuerint liciti.

Qualitas enim ciborum observanda est, non quod lex quaedam abstinentiae ad legem ieiunii accedat, sed quia modum indicat permissae refectionis. Quocirca (excepto fortasse usu particulari) *ieiunantes* nequeunt, freti nova lege abstinentiae, ipsi lacticinia, vel diebus solius ieiunii ipsam carnem sumere in frustulo vel caenula. *Sed qui ieiunio non tenentur, diebus solius ieiunii possunt etiam mane et vespere comedere carnes.*

Loca autem quorum consuetudo servari debet sunt loca *ubi fit comestio*, minime loca ubi comedens domicilium vel quasi-domicilium possideat. (1) In singulis enim locis proprii usus de qualitate ciborum servandi sunt non vi iuris particularis sed vi legis universalis. Quocirca c. 14 § 1, 2°, quo eximuntur a legibus territorii in quo versantur, peregrinis in praesenti causa nullatenus suffragatur. Ceterum quanam alia norma regerentur ? Non iure proprio, quod fines territorii non excedit, non praescripto communi, quod nullum est praeter istud : servandi sunt usus locorum. An appellabis ius praecedens, quo soli cibi esuriales permittebantur ?

Non igitur accurate dicere videtur MATTHAEUS A CORONATA, cum scribit, *op. c.* n. 302, de qualitate ciborum in collatione vespertina nihil statui iure communi, ac proin omne genus ciborum concedi nisi locali consuetudine optio restringatur. — Namque ius commune statuit ut usus recepti ubique serventur ; ubique autem, ante Codicem, usus quidam invaluerat, sive legi tunc generali ciborum esurialium consentaneus, sive usus benignior alios cibos permittens. Quare Praeses C. I. C. recte negavit per se licere ut diebus solius ieiunii ieiunantes plus quam semel in die carnibus vescerentur. (C. I. C., 29 oct. 1919. — *AAS*, XI, 1919, 480. — *Per.*, X, 102).

§ 2 eiusdem canonis 1251, antea vetitam carnis et piscium promiscuitatem tollit.

Simul simpliciter permittit ut serotina refectio cum prandio permutetur.

Permutatio ergo prandii et frustuli, vel, quod saepius proponitur, frustuli cum caenula, per se non permittitur, quamvis, ob aequam causam, licita fiat, cum substantiam ieiunii non auferat.

567. - Dies abstinentiae vel ieiunii (c. 1252). 1. *Sola abstinentia* servanda est singulis *sextis feriis.*

« 2. Lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est feria quarta Cinerum, feriis sextis et sabbatis Quadragesimae, et feriis Quattuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini.

(1) Aliter tamen J. CREUSEN, *N. R. Th.*, 1924, 157, qui normas de legibus particularibus applicare velit.

« 3. Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae ebus » (c. 1252).

Itaque sine ullo indulto iam licebit fidelibus per maximam partem Quadrasimae ipsis carnibus vesci, semel in die, si ieiunare debeant, secus quotiens die placuerit. Ac si diebus quibus usus fit indulti generalis quaedam precatio praescripta, haec non ideo erit recitanda, quia v. g. die dominica vel feria rtia Quadragesimae quis carnibus vescatur.

In pluribus regionibus indultum est ut feria IV loco Sabbati altera abstinentia Quadragesima servaretur. Peregrini qui in his regionibus commorantur optiom tamen habent, excluso scandalo, servandi abstinentiam sive feria IV, sive bbato, alterutra autem tenentur. Cf. *S. C. Concilii*, resp. 9 feb. 1924. (AAS, VII, 1924, 94 ; *Per.*, XIII, 47.)

568. - Exceptiones. « Diebus dominicis vel festis de praecepto, lex stinentiae, vel abstinentiae et ieiunii, vel ieiunii tantum cessat, cepto festo tempore Quadragesimae, nec pervigilia anticipantur ; item ssat Sabbato Sancto post meridiem » (c. 1252, § 4).

Quia, in § 3 dixerat legem ieiunii servandam esse omnibus diebus Quadragemae, debuit Codex exceptionem indicare diei dominicae.

Festis de praecepto extra quadragesimam cessat quoque quaevis lex abstintiae vel ieiunii ; sed exceptio restringitur ad dies qui vere sunt de praecepto, loco qui consideratur, ita ut neutra lex cesset diebus festis in quodam co suppressis. Cf. resp. *Commis. Pontif.* 17 febr. 1918 ad 1 (AAS, X, 1918, 0. NRTh., 1924, 250. — *Per.*, IX, 82).

Ipsa tamen exceptio de festis limitatur ad tempus extra Quadraesimam : in Quadragesima enim, diebus quidem dominicis nec ieiuandum est nec abstinentia servanda ; sed festum etiam sub praecepto rvandum nec legem ieiunii nec legem abstinentiae, si cadat in diem ostinentiae, impedit. Hoc nunc habet clarus textus c. 1252, § 4, cuius xtus corrigi debuit ut ad mentem legislatoris aptaretur. Cf. responm *Commissionis Pontificiae*, 24 nov. 1920 (AAS, XII, 1920, 575. *Per.* X, 252).

Pervigilia iam non anticipantur, *quod ad ieiunium.* Regula ista spicit totum annum ; eiusque vis est haec, ut si festum cui in vigilia nnexum est ieiunium incidat in feriam II, iam non sit in sabbato iunandum vel carnibus abstinendum. Cf. resp. *C. I. C.* 24 nov. 1920. *Per.* X, p. 252.

Cessatio post meridiem sabbati sancti, — quae prorsus nova est dispositio, — ita videtur rationabiliter interpretanda, ut sabbato sancto, oto mane, *more consueto,* ieiunes ac si ieiunium sit per totam diem ervandum ; a transacto autem meridie, i. e. post pulsatam horam duoecimam, ab inchoato ieiunio et ab abstinentia cessare possis. Quare, ane non licebit sumere nisi frustulum ; ac si, iustam ob causam, randium anticipes, servanda erit in isto prandio abstinentia quae in

sabbatis Quadragesimae praecepta est vel manet (1). Quod addimus, quia non raro conceditur ut pro sabbato abstinentia servetur feria IV.

Qui autem, propter verum incommodum, per reliquam Quadragesimam, permutaverit frustulum cum refectione vespertina, non videtur ipso sabbato sancto hac permutatione prohibendus. Nec constat graviter peccaturum esse qui istud hac die sine ratione fecerit.

569. - « His canonibus nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis » (**c. 1253**).

Indulta plerumque plus permittunt quam lege communi statuitur; dum *vota* et *constitutiones* potius severiores partes tuentur. Vis igitur istius canonis haec est, communi iure abstinentiae et ieiunii non impediri benigniorem disciplinam indultorum, nec dispensari a peculiari obligatione quam quis ut vovens vel ut religiosus contraxerit. Verum istius peculiaris obligationis titulus manet qualis erat per se, ita ut possit esse obligatio gravis, levis, vel etiam mere poenalis.

Si quod votum autem obliget communitatem ad ieiunium in die qua non est praescriptum iure communi ieiunium, nisi expresse aliter sit dispositione positiva iniunctum, obligatio ista erit tamen ex regulis iuris communis interpretanda. Sic Romae exsistit votiva obligatio ieiunii in vigilia festi Purificationis. Quando festum istud incidit in feriam II, sabbato non est ieiunandum, propter regulam iuris communis, de non anticipanda vigilia.

570. - **Subiectum legis.** « § 1. Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint. § 2. Lege ieiunii adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno, ad inceptum sexagesimum » (**c. 1254**).

Canone isto, perspicuo iam modo indicantur quinam, ratione aetatis, lege ieiunii vel abstinentiae teneantur vel sint exempti. Quatenus legi subicit omnes qui septimum aetatis annum expleverint, componendus est cum c. 12, qui lege ecclesiastica immunes declarat quotquot non habeant expeditum rationis usum. Sed, completo septennio, iste usus praesumitur, praesumptione tamen quae cedit veritati.

Quatenus autem canon *omnes* obligat ieiunio post completos viginti annos ad inceptum sexagesimum, finem imponit miro isti privilegio quo non nulli volebant mulieres quinquagenarias obligatione ieiunii solvere.

Dum contra, superata aetate critica (ut dicitur), quae circa 45 annos aetatis absolvi consuevit, et per quam melius intellegeretur exceptio, mulieres firmiores viribus esse solent quam viri eiusdem aetatis. Praeterea, sicut nunc temperata est lex ipsius ieiunii, ista excusatio aetatis multo tardius fit per se verisimilis.

(1) Cf. *N. R. Th.* 1924, 158.

PARS TERTIA. - DE CULTU DIVINO

571. - **Conexio materiae et ratio ordinis.** Postquam tractatum est de cramentis et sacrificio missae quae *divinam* ordinationem continent cultus eo tribuendi, res ipsa postulare videtur ut ius *ecclesiasticum* eiusdem cultus ponatur. Quocirca, praemissa secunda parte, quae nos de loco et tempore hibendi cultus edocet, Codex, in tertia parte, de actibus cultus tum publici m privati agere incipit.

Hoc autem ordine res digeruntur : praeponitur introductio generalis ; duo binde tituli destinantur obiecto cultus, quod nobis praebet in primis divinum Eucharistiae donum, dein Sancti eorumque imagines et reliquiae : postea, sequenti titulo, sollemnis forma processionum regitur ; tum instrumenta ltus exterioris, seu supellex sacra ordinatur quarto istius partis titulo, qui scribitur XVIII ; postremo varia declarantur et statuuntur de cultus manistatione quae in votis et iuramentis consistit.

INTRODUCTIO GENERALIS

(c. 1255-1264)

criptores : Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, nn. 313-346. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, t. 6, in hos canones. — Prümmer, O. P. *Manuale*, Praenotamen et q. 385. 386.

Ordo Codicis. Generalia quae Codex proponit ad quattuor puncta principalia edigi possunt de quibus successive agemus.

I. QUID ET QUOTUPLEX SIT CULTUS

572. - Cultus omnes actus virtutis religionis generaliter significat. *Religio* autem, sumpta non pro forma cultus omnibus communiter nposita (ut religio catholica), sed pro bono habitu, est *virtus moralis ua re vera exercetur interior et exterior cultus qui Deo debetur.*

Porro distinguitur cultus *latriae* seu plenissimae adorationis, qui roprius est infinitae Maiestatis divinae ; *duliae*, qui honorat singulaem cum Domino similitudinem quam Sancti participant ; et *hyperduliae*, qua colitur singularis dignitas et sanctitas Virginis Deiparae, ropter peculiarem proximitatem ad Deum quam maternitas divina psi contulit. Inde enim est affinis Verbi, quia consanguinea est naturae humanae quam persona Verbi sibi desponsavit (Cf. 2, 2, q. 103, rt. 4, ad 2).

Quare Codex, **c. 1255**, § 1, haec habet : « SS. Trinitati, singulis eiusdem Personis, Christo Domino, etiam sub speciebus sacramentalibus, debetur cultus latriae ; B. Mariae Virgini cultus hyperduliae ; aliis cum Christo in caelo regnantibus, cultus duliae ».

Olim duliae erat nomen commune obsequiorum (1) quae Superioribus reddebantur ex virtute observantiae, dum hyperdulia designabat cultum exhibitum

(1) Cf. S. Thom. 2, 2, q. 103, art. 3, c.

Sanctis et B. Virgini, propter propinquitatem ad Deum. Postquam autem obsolevit vox duliae quando agitur de honoribus personarum viventium, duliae nomen reservatum est cultui Sanctorum et hyperduliae cultui B. M. Virginis.

573. - Cultus distinguitur *absolutus* et *relativus*. Absolutus terminatur ad personas ; relativus ad res quae cum persona conexae sunt et sic quamdam sanctitatem participant ; quae causa est cur indigne tractari non possint et cur positive afficiantur honoribus : relativis utique, quia mediate ad personam relati sunt (1). Inter res istas ipsae reliquiae reponuntur.

Possumus autem, fere sicut Deum honoramus in Sanctis suis, mere uti imagine ad nobis repraesentandam personam, et sic directe, per imaginem, honorare personam repraesentatam : tunc ipsa imago non honoratur. Declarata vero ratio cultus relativi demonstrat cur cultus imaginis non sit idem qui cultus personae ; cur imago personae minus dignae possit magis quam imago dignioris honorari, et cur variae eiusdem personae imagines vario gradu honorentur.

Hinc Codex : « Sacris quoque reliquiis atque imaginibus veneratio et cultus debetur relativus personae ad quam reliquiae imaginesque referuntur » (c. 1255, § 2).

Quo pacto, seu quibusnam signis veneratio ista exhibenda sit, pertinet ad scholam rubricarum explicare. Observemus tantum nullum, praeter sacrificium, esse actum cultus qui proprius sit latriae. Sic ipsa genuflexio et oblatio incensi coram imagine permitti possunt.

574. - Cultus distinguitur *publicus* et *privatus*. « Cultus, si deferatur nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis et per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos, dicitur *publicus* ; sin minus, *privatus* » (c. 1256).

Tria videtur canon iste ad publicam cultus rationem postulare. Sed tunc componi non posset cum canonibus ad processum beatificationis per viam (ordinariam) non cultus, et signanter cum c. 2057, quo testes iubentur testari nullum fuisse cultum *publicum*, qui cultus tamen potuit esse opus hominum privatorum. Verum, ut patet ex C. *Quamvis iusto*, 30 april. 1749, BENEDICTI XIV, ad quam in nota remittimur, particula *et* addit non alteram requisitam condicionem, sed alteram cultus publici formam, ita ut tantumdem valeat quantum *vel*. Hoc fugit non nullos scriptores qui ut v. g. R. P. AUGUSTINE, tres enumerant condiciones ut necessarias cultui publico, dum contra sic est dicendum : cultus publicus est duplicis rationis ; alter habetur quando defertur *nomine Ecclesiae a personis legitime ad hoc deputatis*, alter fit *a quolibet, per actus ex Ecclesiae institutione Deo, Sanctis ac Beatis tantum exhibendos*.

Actus huiusmodi sunt : imagines altari imponere, depingere cum aureolis, radiis, vel alio indicio qui cultum prae se ferat et excitet, tabellas votivas vel donaria votiva ad eorum sepulcrum appendere, lumen coram reliquiis accendere aut eas publicae venerationi exponere. Contra, quod in parietibus aut in

(1) Cf. S. THOM. 2, 2, q. 103, art. 3, ad 3.

itris coloratis ecclesiae, sine sanctitatis indicio, personae non beatificatae epingantur ; quod, assentiente Ordinario, ad quem res deferenda est, occulto erventur « ex voto » cum testimonio obtentae gratiae : haec ad publicum cul-um non pertinent.

II. QUISNAM SIT LEGITIMUS PUBLICI CULTUS ORDINATOR

575. - « Unius Apostolicae Sedis est tum sacram ordinare litur-iam, tum liturgicos approbare libros » (c. 1257).

Liturgia (a voce graeca quae significat opus publicum, λειτόν ἔργον, t quae designabat ministerium publicum *pro populo* susceptum) dici otest : *Ordo colendi Deum publica Ecclesiae actione* (1), vel : *Cultus Dei publicus et ritualis* (2). Materialiter distinguitur liturgia *latreutica*, uae est sacrificii missae et functionum sacrarum, et liturgia *sacra-mentalis*, quae administratione sacramentorum continetur, quatenus tiam in ista administratione Deus colitur.

Ab ipsa *liturgia*, quae sacros ritus complectitur, *distinguendum* est *us liturgicum*, quo definitur competentia et modus ordinandi cultum. *De iure liturgico*, non autem, saltem per se (cf. c. 2), de liturgia *agitur in Codice*, et statuitur ius istud universum hodie reservari S. Sedi, dum olim episcopi, maxime in Conciliis provincialibus, sacra ordinare solebant. Sic habetur ritus *Ambrosianus* (Cf. Wernz, III, n. 321. 322).

Reservatio ista, quod attinet ad Missale et Breviarium, in Ecclesia Occidentali a S. Pio V originem trahit ; atque a sequentibus Pontificibus, inaequali tamen rigore, ad ceteras liturgiae partes paulatim extensa est.

Ex quo autem erecta est *S. C. de Propaganda Fide*, cuius vices, pro ritibus Orientalibus iam supplet S. Congregatio *pro Ecclesia Orientali*, iam non ipsis Orientalibus licuit liturgiam suam mutare, sine assensu S. Sedis.

Libri liturgici sunt *Missale* et *Breviarium Romanum*, quibuscum arte conectuntur *Martyrologium* et *Calendarium Romanum* ; — *Ponti-ficale Romanum* ; — *Caerimoniale episcoporum* ; — *Caerimoniale Roma-num* ; — *Rituale Romanum* ; — et *Memoriale rituum*.

Missale et Breviarium Romanum promulgata sunt a S. Pio V, C. *Quod a nobis*, 9 iul. 1568, de Breviario, et *Quo primum*, 14 iul. 1578, de Missali. Eius successores novas editiones emendatiores vel etiam mutatas ediderunt. Sic magna reformatio breviarii introducta est a Pio X, C. *Divino afflatu*, 1 nov. 1911, maxime quod attinet ad psalterium ; ac novam editionem typicam Missalis promulgavit Benedictus XV, per decretum *S. R. C.*, 25 iul. 1920 (3).

---

(1) Paulo diversa est definitio tradita a doctissimo D. Callewaert, in praeclaro opere, *Liturgicae institutiones*. Liturgiam dicit : *ordinationem ecclesiasticam cultus pu-blici*.

(2) Sic, additis rationibus, Hanssens, S. I., In nostra *Theol. mor.*, t. II, n. 171. Cf. etiam eius lucubrationem *La définition de la Liturgie*, in *Gregorianum*, 1927, p. 204, ss.

(3) Cf. *Per.* VI, 125 et X, 217. Motu Proprio, *Abhinc duos annos*, 23 oct. 1913 (*Per.* VII, 196), nova praescripta est Breviarii editio.

Licuit tamen quibusdam Ecclesiis servare suum antiquum missale et breviarium, facta iisdem facultate, dummodo in rem consentirent episcopus et capitulum, semel pro semper adoptandi missale vel breviarium romanum. Ipsi autem speciales libri liturgici, v. g. ritus Mozzarabici, in Hispania, ritus Ambrosiani, Mediolani, non possunt emendari vel corrigi, inconsulta S. Sede. Sic recens, C. 16 maii 1920, nova approbata est editio breviarii Bracarensis (Cf. *Per.* X, 175).

Verum etiam Ecclesiae quae proprio missali utuntur adhibere debent *martyrologium* Romanum, neque istud ullatenus mutare possunt. Licet tamen, secundum probatas formulas, in eo inserere elogium novorum Sanctorum canonizatorum, non autem novorum Beatorum, sine peculiari facultate. Ultima editio curis Benedicti XV parata, prodiit a° 1922.

Pontificale Romanum proprias episcoporum functiones liturgicas describit ac viget unicum in Ecclesia latina, post C. Clementis VIII, *Ex quo*, 10 febr. 1597.

Caerimoniale episcoporum rubricas tradit de iisdem functionibus. A Clemente VIII, C. *Cum novissime* 14 iul. 1600, publicatum est ita ut laudabiles et immemorabiles consuetudines non supprimeret. Pluries dein correctum est.

Caerimoniale Romanum proprium est S. Sedis, cum exhibeat functiones dictas « *Cappellae Pontificiae* ».

Rituale Romanum, olim non ineleganter appellatum *Sacerdotale Romanum*, continet ritus in administratione sacramentorum et functionibus sacris adhibendos. Wernz, *l. c.* observat, in C. Pauli V, *Apostolicae Sedi*, 20 iun. 1614, quo promulgatum est, non occurrere severas clausulas aliis libris liturgicis apponi solitas, cum mere haec dicantur : « Quapropter hortamur in Domino Venerabiles Fratres, ut in posterum constituto Rituali in sacris functionibus utantur ». Sed decreta S. C. Rituum effecerunt ut universalem afficeret Ecclesiam, atque, ut Wernz opinatur, si qua praxis difformis videatur servanda, de re S. R. Congregatio interrogetur. Nulla tamen Constitutio seu lex Apostolica talem obligationem imponit, ne in nova quidem editione, quae 10 iun. anni 1925, a SS. D. Pio Pp. XI uti typica approbata est.

Memoriale Rituum, quo quaedam functiones sacrae pro minoribus ecclesiis ordinantur, nomen retinet Benedicti XIII, a quo primum, in Urbe, anno 1725, promulgatum est. Pius VII, anno 1825, eundem librum pro universo catholico Orbe promulgavit; recens autem decreto 14 ian. 1920, Benedictus XV novam editionem typicam promulgavit (Cf. *Per.* X, 209).

His libris, ex Decreto *S. R. C.*, 17 maii 1911 (*Decr. authent.* n. 4266), accenseri debent *Propria* officiorum et missarum alicuius dioecesis, Ordinis seu Congregationis religiosae ; — *Instructio Clementina* pro expositione XL Hor., modo, quod ad Missas, ad praesentes liturgicas Normas aptata instr. *S.R.C.*, 27 ap. 1927 (AAS, XIX, 192; *Per.*, XVI, 46 ss.) — *Collectio Decretorum S. Rituum Congregationis* (Cf. *Per.* VI, 54).

III. DE COMMUNICATIONE CUM ACATHOLICIS

576. - Notiones. Communicatio in aliqua actione dicit *specialem cooperationem quae in hoc est, ut quaedam communiter cum alio peragantur*, ita ut eius actio, moraliter numero eadem, participetur.

Alia est in rebus *civilibus* seu profanis, alia in *rebus sacris*. Cum hodie acatholici, qua tales, non sint vitandi, communicatio cum iis, in rebus civilibus nulla lege positiva prohibetur.

Res sacrae, lato sensu, designant tum functiones sacras, tum oratio-

es ; strictiore sensu, functiones cultus publici, quae etiam proprie icuntur *sacra*. Quae sacra peragi possunt ritu proprio acatholicorum, ui, cum sit reprobatus, superstitionem continet cultus erronei ; vel itu catholico et valide. *Simul* cum acatholicis *peragere sacra ritu catholico* est *intrinsece illicitum*. Communicationem vero in sacris *itu catholico* ministratis, graves auctores (1) negant, *qua talem*, esse llicitam. Coniuncta tamen detrimenta fidei rem saepe iam illicitam acient, etiam seclusa prohibitione legis positivae.

577. - Positiva autem lege « haud licitum est fidelibus quovis nodo *active assistere* seu partem habere in sacris acatholicorum » **c. 1258**, § 1).

Quare, si communis quaedam gentis laetitia celebranda sit, catholici conentur separatas sollemnitates sacras instaurare potius quam se acatholicis adiungant.

Activa ista assistentia suspectum efficit de haeresi, ex c. 2316. Cf. *Epitome*, III, 515.

Applicationes potissimum desumendae sunt ex decretis seu responsis *Supremae Congregationis S. Officii*, quae tamen accurate perpendenda sunt, ne ultra vel infra eorum vim intellegantur. Alia enim sonant absolutam prohibitionem ; alia ita enuntiantur ut ipse formulae textus temperet conclusionem (2) ; alia attendunt ad circumstantias quae variare possunt (3).

Age porro, *absolute* prohibetur *audire* (formaliter) *missam haeretici* vel *schismatici* (4), etiamsi nulla alia in sollemni festo audiri possit (*S. Off.*, 7 aug. 1704. *Coll. P. F.*, n. 267) ; — *recipere sacramenta* probabiliter ritu catholico administrata a ministro acatholico, absolute prohibetur extra periculum mortis (*S. Off.*, 17 febr. 1761. *Coll. P. F.*, n. 439, conf. cum *S. Off.*, 30 iun. et 7 iul. 1864, *Coll. P. F.*, n. 1257 ad 6, et can. 2319) ; — absolute prohibentur catholici per se vel per alios fungi officio patrini in baptismis qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur. Ita, 10 maii 1770, SSmus, auditis suffragiis Cardinalium, et resp. *S. Officii*, 10 iun. et 7 iul. 1864 (*Coll. P. F.*, n. 1257).

Non participat ritum acatholicum, qui genuflectit ante tabernaculum ubi vere consecratae hostiae asserventur ; nec qui privatim honorat sacram effigiem B.M.V.; nec qui, secluso omni scandalo, *Sanctissimum* visitat in ecclesia schismaticorum. Si quis, ob gravem rationem, assistat functioni cuius missa pars sit, reverentiam Christo debitam, in consecratione et post consecrationem omittere non poterit, cavendo ut, quod ad cetera, a ministro se satis separet. Pari modo qui schismaticum deferentem ss. eucharistiam evitare non potuerit, adorabit *Sanctissimum*, sed deferentem non comitabitur (*S. Off.*, 30 iun. et 5 iul. 1864, n. 1257).

Quaeres, utrum necne *acatholici* admitti possint *ad nostras sacras functiones ?*

Nulla prohibitio vetat ne easdem privatim participent, *seclusa*

---

(1) Cf. SUAREZ, *De Fide*, 22, 1 et ss. — BENEDICTUS XIV, *De Synodo*, 6, 5, 2.

(2) Ita vetare ne catholicus organum pulset *cum falsus cultus* exercetur in templo, non perinde est ac simpliciter prohibere ne in templo isto quis organum pulset.

(3) Sic, pro variis adiunctis, tolerari vel vetari potest participatio schismaticorum in cantu sacro catholicorum.

(4) Nomine haeretici vel schismatici intellegimus eum qui ascriptus sit sectae.

semper, extra periculum mortis, administratione sacramentorum. Cf. *Instr. S. C. P. F.*, 25 apr. 1868 (*Coll. P. F.*, n. 1329).

Applicationes. - Absolute arcendus est acatholicus a munere *patrini* in baptismo et confirmationis, quod post Codicem, valide exercere nequeunt (c. 765).

Et ne videamur vinculum internum admittere vel consentire cum schismaticis, *S. Off.*, noluit ut filii schismaticorum *sacro ministrarent* ; ut haeretici reciperent *faces et lumina* ad assistendum functionibus (potius excludantur omnes laici quam participent acatholici) ; ut *in sacris functionibus pace* donarentur, vel *sacros cineres, candelas* et *ramos benedicta* reciperent (*Instr. S. Off.*, 22 iun. 1859, *Coll. P. F.*, n. 1176) (1). Quare si ad offertorium notorii haeretici non possint praeteriri, caerimonia ista potius omittatur. Nec *testes necessarii* in matrimonio esse possunt. Non sunt autem arcendi munere testium qui mere sua praesentia nuptias honestare censetur.

Die 1 maii 1889 (*Coll. P. F.*, n. 1703) Suprema Congr. abusum dixit eliminandum morem admittendi acatholicos, etiam pueros qui scholam catholicam celebrant, ad *cantandum cum catholicis* in nostris ecclesiis ; die vero 24 ian. 1906 (n. 2227), attentis peculiaribus circumstantiis, idem tolerari posse declaravit.

578. - « Tolerari potest praesentia *passiva* seu mere materialis civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sollemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit » **(c. 1258, § 2).**

Sed, in loco ubi noti sunt, catholici, propter periculum fovendi indifferentismum, ad partes quam minimas habendas propendebunt. In aestimando casu, non solius propinquitatis cum defuncto, v. g. sepeliendo, sed etiam qualitatis personae assistentis, ratio habenda est. Ac significatio quoque attendenda est. Interdum enim pompa funebris nulla hostili intentione vitiatur, et interdum contra Ecclesiam catholicam dirigitur.

Quia qui in his adiunctis assistunt notantur ut praesentes, ideo, ni fallimur, Codex gravem rationem postulat ut res fiat licita.

Necessitas gravis rationis excusantis demonstratne per se graviter peccare eum qui sine gravi causa se praesentem exhibeat ? Id potius negamus, contra atque autumat De Meester (op. c. n. 1253). Ipse tamen parvitatem materiae admittit. Quare ambo dicemus rem pendere ab adiunctis.

Verum minor ratio certe excusat eum qui, ignotus, semel vel iterum occasione utatur observandi ritum, cantum acatholicorum : remoto semper proprio periculo, scandalo, et seclusa speciali prohibitione, qualis in Urbe exsistit pro templis protestantium. Cf. Instr. Card. Vicarii Urbis, 12 iul. 1878, n. 5. (ASS., XI, 168.)

Suspicio autem *de haeresi*, quae can. 2316 plectit communicantem in divinis cum haereticis contra *prohibitionem* c. 1258, non cadit

(1) Exemplum hic habes prohibitionis ecclesiasticae, quae restringit facultatem datam conferendi benedictiones etiam acatholicis, canone 1149.

isi in activam communicationem de qua in § 1. Etenim § 2 nihil rohibet, sed dicit quid tolerari possit. Cf. *Epit.* III, 515.

Orationes privatas cum acatholicis fundere, remoto omni scandalo, non vetamur.

IV. DE PUBLICO CULTUS EXERCITIO EIUSQUE CIRCUMSTANTIIS

579. - « Orationes et pietatis exercitia ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis, sine revisione et expressa Ordinarii loci licentia, qui in casibus difficilioribus rem totam Sedi Apostolicae subiciat » (c. 1259, § 1).

Ut rationabilem demus istius canonis interpretationem, agitur hic de orationibus nondum recognitis et de pietatis exercitiis nondum ipso communi usu approbatis. Cf. Claeys-Simenon, *Manuale*, n. 824. Et cum revisio *Ordinario loci* reservetur, regula videtur poni pro oratoriis publicis. Quod confirmatur § 2, quae litanias *publice* recitandas respicit. Namque in domesticis oratoriis religionis clericalis saltem exemptae, licentia proprii Ordinarii sufficere videtur.

580. - « Loci Ordinarius nequit *novas* litanias approbare *publice* recitandas » (c. 1259, § 2).

Itaque generalis facultas approbandi orationes Ordinario restringitur, quod ad litanias.

Restrictio autem non afficit nisi *liturgicum* usum vel *publicam* recitationem, ut ipsa *S.R.C.* respondit, 29 aug. 1882 (*Decr. auth.* n. 3555).

Publica autem recitatio complectitur quamlibet earum recitationem a pluribus coniunctim in ecclesiis vel oratoriis publicis, etiam absque ministri Ecclesiae, qua talis, interventu. Cf. responsa *S. R. C.* 6 mart. 1894 (*Decr. auth.* n. 3820, ad 1), et 20 iun. 1896 (*Decr. auth.* n. 3916).

Pro publica autem recitatione vel cantu, approbatae iam sunt litaniae Omnium Sanctorum, sicut habentur in Breviario et Instructione Clementina pro expositione XL horarum ; litaniae SS. Nominis Iesu ; litaniae SS. Cordis Iesu ; litaniae B. M. V. dictae Lauretanae ; Litaniae S. Ioseph ; litaniae pro agonizantibus, quae habentur in ordine commendationis animae.

In eadem publica recitatione, nullus Sanctus addi potest, excepto nomine Fundatoris pro Ordinibus qui eundem nominant in *Confiteor* ; verum hoc non est privilegium commune Regularium. (*S. R. C.* 16 iun. 1674 et 20 mart. 1706. *Decr. auth.* n. 1518 et 2166, 2.)

In privata autem recitatione familiae religiosae, seu quae non fit in caerimonia liturgica vel in choro publico vel in ecclesia publica, haec tolerantur.

581. - Ecclesiae *ius exclusivum ordinandi cultum* vindicatur canone

1260. « Ecclesiae ministri in cultu exercendo unice a Superioribus ecclesiasticis dependere debent. »

Quare, sive de forma, sive de hora cultus agatur, potestas civilis quaedam rogare, nihil autem imperare potest. Ac ministri Ecclesiae debent pro viribus ius istud Ecclesiae prudenter urgere.

582. - C. **1261** Ordinario loci committit munus vigilandi in sacrorum canonum de divino cultu observationem et in eliminationem abusuum.

Eliminanda porro dicitur omnis superstitiosa praxis, idque a cultu tum publico tum privato, immo a cotidiana fidelium vita ; — eliminandum quidquid a fide sit alienum, — ab ecclesiastica traditione absonum ; — vel quod speciem turpis quaestus habeat : hanc speciem certi modi commendandi devotiones habere facile possunt.

Ad impugnandam hodiernam superstitionem *spiritismi*, multa possunt contionatores, dummodo de re sint bene instructi, et quod vanum et ridiculum est in persuasione communicandi cum animis defunctorum quas « medium » evocat, bene demonstrare norint. Refutationem autem esse hodie maxime opportunam, nemo negabit.

583. - Efficaciae officii consulitur per § 2, quae ipsos religiosos exemptos in hac re Ordinario loci subdit, ita ut leges ab Ordinario latas etiam ipsi servare debeant. Immo, in hunc finem vigilantiae et eliminationis abusuum, possunt Ordinarii locorum etiam ecclesias et publica oratoria visitare religiosorum exemptorum. Casus igitur iste excipitur generali exemptione concessa Regularibus canone 615. Non tamen derogat privilegio peculiaris exemptionis a visitatione quo quidam Regulares fruuntur.

584. - **De habitu et loco fidelium (c. 1262).** 1. *Optat* Codex, c. 1262, et optandum dicit, antiquam disciplinam allegans, ut *mulieres a viris sint separatae*, ut v. g. omnes viri ad partem dextram se conferant. Nullum tamen strictum praeceptum datur.

2. *Praecipit* ut in sacris functionibus viri sint nudo capite, sed admittit exceptiones, tam propter populorum mores, ut apud Sinenses, (Cf. Instr. *S. C. de Pr. Fide*, 18 oct. 1883, *Coll. P. F.*, n. 1606, XVI), quam propter peculiaria rerum adiuncta : ut si, in functionibus extra (vel etiam intra) ecclesiam, valetudo sit protegenda.

3. Sine exceptione *iubet* ut mulieres sint « capite cooperto et modeste vestitae, maxime cum ad mensam Dominicam accedunt ». De modesto ingressu in ecclesiam et accessu ad s. mensam, antistites, in pluribus regionibus, speciales commendationes addiderunt.

585. - **De loco fidelium. Ex c. 1263** ; 1. Magistratibus, pro eorum

dignitate et gradu, potest esse locus in ecclesia distinctus, « ad normam legum liturgicarum ». Itaque, sine indulto Apostolico, locus iste debet esse extra presbyterium ; permittitur genuflexorium coopertum. In loco suo, magistratus potest recipere pacem cum « instrumento pacis », atque incensari duplici ictu, non tamen a ministro ipsius sacrificii.

2. Nemo fidelis, sine expresso Ordinarii loci consensu, locum habeat in ecclesia sibi suisque reservatum. « Ordinarius autem consensum ne praebeat, nisi ceterorum fidelium commoditati sit sufficienter consultum ». Atque concessio ista censetur semper, propter rationabilem causam, revocabilis, ita ut omnis absit species servitutis realis.

Agitur de loco definito, v. g. de cappella quadam, non autem de sede mobili quae aliquam taxam solventibus reservatur. Quare usus *pew rent* in America, quo, soluta pecunia quis obtinet locum in scamno, huic canoni non adversatur.

586. - De musica in ecclesia (c. 1264). Canone 1264, § 1 negative arcetur omnis musica in qua, « sive organo aliisve instrumentis sive cantu lascivum aut impurum aliquid misceatur ».

Cantus lascivus aut impurus facile dignoscitur, non item lasciva musica instrumentalis sine cantu. R. P. Augustine, post R. R. Terry, *Catholic Church music* allegat decretum Alexandri VII, 23 april. 1657, quo lasciva diceretur musica quae suggerit idaeam choreae vel similem profanam. Verum explicatio est aliena a mente Pontificis, qui excludit quidem « modulos... qui choreas et profanam potius quam ecclesiasticam melodiam imitentur » (1) eos autem non vocat lascivos.

2. Vult c. 1264 ut leges *liturgicae* circa musicam sacram serventur.

Leges istae continentur potissimum in Motu Proprio de musica sacra quem Pius X dedit die sacro Virgini Immaculatae 1903 (2), et nunc Bulla *Divini cultus*, 20 dec. 1928, qua confirmantur et simul urgetur utriusque cleri institutio in liturgica musica (AAS, XXI, 33 ss.)

Decreto dein Urbis et Orbis, 8 ian. 1904, Instructio contenta dicto Motu Proprio omnibus ecclesiis est imposita, suppressis privilegiis (Cf. *Decr. authent.* n. 4131). Accessere dein plura decreta de ipsa editione cantus Gregoriani.

Porro istis legibus non excluditur quidem cantus qui dicitur figuratus, dummodo definitis condicionibus satisfaciat, sed primae partes tribuendae dicuntur cantui *Gregoriano* et dein *musicae classicae polyphonicae*, cuius celeberrimus auctor est Pier Luigi da Palestrina

587. - C. 1264, § 2. cavetur ut *religiosae mulieres, si* legitime, attentis constitutionibus propriis, legibus liturgicis, et obtenta venia Ordinarii, ipsae in proprio oratorio seu ecclesia *canant*, « tali e loco canant ubi a populo conspici nequeant. »

(1) *Bull. rom.* t. VI, p, IV, n. CLIII, p. 179. (ed. Taur., t. 16, n, 154. p. 275.)
(2) Latine et italice exhibetur inter *Decreta auth.* n. 4121 ; gallice et italice, in *Per.* I, 23.

Religiosae mulieres sunt quae pertinent ad Congregationes religiosas vel ad instituta quae religiones imitantur sine votis.

De ipso *cantu mulierum* in ecclesia non unum responsum est datum. Ac temperatus est rigor ipsarum legum. Sicut diximus *Per.* II-III, 315 : « prudentiae Ordinariorum committitur ut, accedente saltem gravi causa (praesertim si agatur de ecclesia cathedrali), officiatura choralis, extra chorum, habeatur a mulieribus. Si autem, non in ipsa ecclesia, sed in odaeo chorus iste canat, et mulieres canant cum viris, vult omnino S. Sedes ut viri et mulieres non in eodem odaeo permixtim canant, sed loco sint bene separati ».

Nihil autem prohibet quin mulieres pars sint populi canentis. Cf. de hac re *S. R. C.*, 17 ian. et 18 dec. 1908. *Decr. auth.*, n. 4210 et 4231.

TITULUS XV

DE CUSTODIA ET CULTU SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE

(c. 1265-1275)

Scriptores : WERNZ, S. I. *Ius Decretalium*, t. 3, nn. 548-553 et 556. — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, t. 6, in hos canones. — CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, nn. 831-842. — DE MEESTER, *Compendium*, nn. 1257-1264. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, q. 387-389.

Ordo Codicis. Titulus iste facile in tres partes dividitur, quarum prima (cc. 1265-1269) est de loco ubi ; altera (cc. 1270-1272) de modo quo ss. Eucharistia servari potest vel debet ; tertia (cc. 1273-1275) de cultu ss. Eucharistiae.

I. DE LOCO UBI SS. EUCHARISTIA SERVARI POSSIT VEL DEBEAT

588. - 1. Condicio praerequisita. Omni sive permissae sive praeceptae custodiae supponitur haec condicio : *Esse qui curam eius habeat; ac missam* saltem *semel in hebdomada regulariter* ibi celebrari (c. **1265**, initio).

Custos iste potest esse laicus, sicut colligitur ex resp. *S. R. C.*, 17 febr. 1881 (*Decr. authent.* n. 3527). — Regularis manet celebratio, etiam si accidentalis occurrat exceptio.

In regionibus dissitis, ubi rari sunt sacerdotes, fieri potest ut etiam parochialis seu quasi-parochialis ecclesia his condicionibus satisfacere nequeat. Verum, ubi copia habetur easdem implendi, condiciones procurandae sunt in ecclesia cui custodia ss. Eucharistiae est praecepta.

2. SS. Eucharistia « Custodiri debet in ecclesia cathedrali, in ecclesia principe abbatiae vel praelaturae *nullius*, vicariatus et praefecturae Apostolicae, in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali

in ecclesia annexa domui religiosorum exemptorum sive virorum ve mulierum » (c. 1265, § 1, 1°).

Ecclesiae stricte paroeciali aequiperari potest ecclesia *curata subsi-iaria* (cf. resp. *Comm. I. Cod.*, 20 maii 1923 ad VII. AAS., XVI, 115; *Per.*, XIII, 81).

Iam iure superiore custodia ss. Eucharistiae dicebatur *praecepta* in ecclesiis uibus cura animarum cum provisione infirmorum erat annexa, et *permissa* ecclesiis Regularium (1). Nunc est praecepta in ecclesiis non solum Regula-um, sed etiam religiosorum exemptorum, nulla facta distinctione inter clericos laicos, inter viros vel mulieres.

Atque etiam Moniales, quae in Belgio et in Gallia iam non sunt exemptae, oc iure reguntur, cum sua privilegia Monialium conservaverint.

Monet R. P. AUGUSTINE, in h. c. supponi, ut ius istud vigeat, canonicam omus erectionem. Ac re vera, *S. R. C.*, rogata, 16 april. 1644, a Monialibus S. Annuntiationis de Bastia, ut ipsis concederet facultatem servandi ss. Eucha-stiam in earum ecclesia, respondit : « Aut monasterium est canonice erectum, non indigent ; aut non, et non est approbandum » (*Decr. authent.* n. 860).

589. - 3. « Custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in eccle-ia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semi-publico um domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis aecularibus vel a religiosis regatur » (c. 1265, § 1, 2°).

Domus religiosa est quaelibet domus religiosorum vel Sororum, aut eorum ui, sine votis, vitam religiosam imitantur.

Domus pia est quae operibus piis exercendis deputatur : sic orphanotrophia, ospitalia, ubi sacerdotes vel religiosi saltem curam spiritualem exercent. Piae omus quoque sunt collegia vel scholae ubi catholicae puerorum vel adulescen-um institutioni opera impenditur. Quod auctoritate ecclesiastica regantur, non idetur necessarium, cum ipsa cura spiritualis sufficiat ut domus dicatur operibus iis destinata. Severius loquitur R. P. AUGUSTINE, nixus c. 1489, qui tamen ere dat Ordinario facultatem ut domum piam erigat in personam moralem.

Collegium ecclesiasticum est ubi adulescentes instituuntur ad clericalem vel eligiosam vitam (2). Hoc nomine potissimum veniunt seminaria. Cetera collegia atholica sunt *domus piae.*

Requiritur porro licentia *Ordinarii loci*, etiam si agatur de Regularibus. Ad rdinarium enim loci spectat per se cura ss. Eucharistiae et sacrificii, ita ut se debuisset dare licentiam oratorii semi-publici in domibus Regularium, nisi egulares, per communicationem privilegiorum, participassent privilegium Socie-atis Iesu, quo licentia proprii Ordinarii sufficit erigendo oratorio.

Non tamen revocatur privilegium (incommunicabile) servandi ss. Eucharistiam praefato oratorio, sine interventu Ordinarii *loci.*

In prioribus editionibus, cum R. P. AUGUSTINE, in h. c. p. 217, existimavimus in ratoriis Cardinalium et Episcoporum, cum fruantur omnibus iuribus et privilegiis

---

(1) Cf. *De religiosis*, I, 505. Immo WERNZ, n. 549, custodiam dicebat Regularibus raeceptam, fortasse propter spiritualem iurisdictionem in suos quam habent Regulares.

(2) Significatio ista eruitur ex collatis decr. 7 sept. 1909 et 4 ian. 1910 (Cf. *Per.* V, 3 et 39). CLAEYS-SIMENON [2], n. 833. ; DE MEESTER, n. 1259 hoc nomine etiam omnia ymnasia intellegunt a viris ecclesiasticis directa. Frustra tunc Codex postulat haec *duo :* t collegium sit *ecclesiasticum* et regatur a clericis saecularibus vel a religiosis.

oratoriorum semi-publicorum, ss. eucharistiam sine indulto apostolico custodiri posse. Re melius perpensa, in partes contrarias propendemus, quia custodia ista non est privilegium oratorii semi-publici sed oratorii principalis domus piae aut religiosae ; domus autem Cardinalium et Episcoporum non sunt, sensu technico, piae aut religiosae. Neque usus Urbis favet isti extensioni c. 1265, § 1, 2°. Sacello autem Nuntiorum seu Legatorum custodia ista est explicite concessa facultate 52.

Manet quoque privilegium religiosis dispersis Italiae et Galliae concessum, vi cuius in domibus ubi quattuor saltem sint sacerdotes, erigi potest oratorium et servari ss. Eucharistia (Cf. decl. *S. Paenit.* 18 apr. 1867, n. V, et litt. LEONIS XIII, 19 iun. 1901, n. 5, in opere nostro *De Religiosis,* II, n. 11 et n. 143).

« Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri possit, necessarium est indultum Apostolicum ; loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico, ex iusta causa, et per modum actus » (c. **1265**, § 2).

Facultas ista petitur a *S. C. de Sacramentis,* pro saecu'aribus ; pro religiosis a *S. C. de Religiosis* vel etiam a *S. C. de Propaganda Fide* pro institutis quae iam plene huic S. Congregationi subduntur.

Observes facultatem Ordinario factam restringi ad ecclesiam vel oratorium publicum.

Quid tamen si causa quaedam temporaria exigat ut ss. Eucharistia e principali oratorio in aliud transferatur : puta quaedam esse reparanda in aedificio? Translatio ista videtur ab Ordinario loci permitti posse. In alio enim oratorio temporarie non servatur nisi, ut ita dicam, iure oratorii principalis, cuius, pro isto effectu, vices supplet. Diversus est casus ecclesiae ubi ss. Eucharistia conservari non consueverit.

In indulto pontificio memorantur condiciones communes decentis ornatus, diligentis custodiae, perpetui luminis et hebdomadariae oblationis sacrificii.

590. - « Nemini licet ss. Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre » (c. 1265, § 3).

Ne missionariis quidem licet cum sacris speciebus se itineri committere (1). Severa ista lex saepius a cappellanis militum in recenti bello est ignorata et violata.

591. - 4. Commendatio opportune addita. « Ecclesiae in quibus ss. Eucharistia asservatur, praesertim paroeciales, quotidie, per aliquot saltem horas, fidelibus pateant » (c. **1266**).

Immo, sicut fit in non nullis locis, crates interiores possint prope ianuam exteriorem, ita disponi, ut ss. Eucharistia possit per totam diem, sine periculo, visitanda praesto esse fidelibus.

592. - Prohibitiones. « Revocato quolibet contrario privilegio, in ipsa religiosa vel pia domo, sanctissima Eucharistia custodiri nequit, nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio ; nec apud moniales, intra chorum vel saepta monasterii » (c. **1267**).

Duplex, in hoc canone, habetur prohibitio ; altera *de numero* tabernaculorum, altera *de loco* servandae Eucharistiae.

---

(1) Cf. GASPARRI, *De Eucharistia,* n. 971.

1. Prior prohibitio, post responsum *C. I. C.*, 2-3 iun. 1918 (*Per.* X, 151) sic intellegenda est. Si ecclesia religiosae vel piae domus simul inservit ordinariis et cotidianis pietatis exercitiis explendis, in ea, atque in ea sola, servari potest ss. Eucharistia.

Si vero, pro istis exercitiis aliud oratorium frequentatur, istud, tamquam principale, eucharistica praesentia donari potest. Et si tunc aliquo alio titulo sit ius ecclesiae servandi ss. Eucharistiam (ut si sit religiosorum exemptorum) ius istud intactum manet. Denum, unicum tantum, in eodem materiali aedificio agnoscitur oratorium principale, nisi ibi sint « distinctae et separatae familiae, ita ut formaliter sint distinctae religiosae vel piae domus ».

Casus iste habetur, cum plures communitates Sororum (vel religiosorum) diversi Instituti eandem domum incolant ; habetur quoque in seminario cui simul, pro quibusdam officiis, addicta est communitas Sororum.

Non autem simul servari poterit ss. Eucharistia in oratorio principali domus et in oratorio valetudinarii ; nec (etsi MONITORE, 1918, 240, nota, benignius responderit), in oratorio communi et in oratorio noviciatus, nisi novicii aliud materiale aedificium habitent. In collegio autem convictorum, quod sit simul residentia religiosorum operariorum, communitas alumnorum nobis videtur satis distincta familia ut communitas religiosorum et communitas alumnorum possint in distinctis oratoriis principalibus, servatis ceteris condicionibus, tenere ss. Eucharistiam.

Verum quod ius commune negat, facile obtinetur per indultum quod, ad tempus, a *S. C. de Sacramentis* (pro saecularibus) vel *de Religiosis* (pro religiosis) conceditur.

2. Altera prohibitio, quae Moniales respicit et ss. Eucharistiam choro vel saeptis monasterii excludit, causam habet rigorosam Monialium clausuram, intra quam non licet sacerdoti se conferre ut missam praescriptam, singulis hebdomadis, celebret.

593. - De altari. C. 1268 haec praescribuntur. 1. « SS. Eucharistia *continuo* seu habitualiter custodiri nequit, nisi *in uno* tantum eiusdem ecclesiae altari » (§ 1).

Potest ergo, propter causam transeuntem, v. g. pro commodiore distributione ss. Eucharistiae diebus festis, in pluribus altaribus servari.

Maior exceptio, immo regula diversa necessaria est in ecclesiis quae perpetuam habent expositionem ss. Eucharistiae. Ibi enim debet ss. Eucharistia in alio altari quoque servari, pro distributione. Cf. *S. R. C.*, responsum 18 maii 1878, ad III (*Decr. authent.*, n. 3449).

2. In *nobilissimo* ecclesiae loco custodienda est. Quare, regulariter in altari maiori servanda erit. Si tamen aliud altare videatur commodius et decentius isti destinationi, alterum altare eligi poterit. Et per ultimos dies hebdomadae maioris leges liturgicae observandae sunt.

Hae praescribunt ut post sollemnia Feriae V, in Cena Domini, una sacra hostia servetur in loco qui dicitur sacrum sepulcrum ; qua postridie consummata in missa praesanctificatorum, sponsus abest ab ecclesia usque post cantatam missam sabbati sancti.

3. In ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventualibus in quibus ad altare maius functiones chorales persolvuntur, ne istae impediantur, *opportunum* (proin non stricte praeceptum) dicitur ut ss. Eucharistia regulariter non custodiatur in altari maiore, sed in alio sacello seu altari (c. **1268**, § 3).

4. « Curent ecclesiarum rectores ut altare in quo ss. sacramentum asservatur, sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem » (c. 1268, § 4).

Opportunissima est haec monitio, cuius neglectus non raro vere fit scandalosus. Valde igitur dedecet ut fideles extranei aliquam experiantur difficultatem ad reperiendum tabernaculum ubi ss. Eucharistiam adorare velint.

594. - De tabernaculo. 1. « SS. Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili, in media parte altaris posito » (c. **1269**, § 1).

Ista inamovibilitas intellegi potest moraliter, i. e. sufficit ut difficile possit amoveri, speciem habeat tabernaculi inamovibilis, sicut de ipso altari fixo dicitur.

2. « Tabernaculum sit affabre exstructum, undequaque solide clausum, decenter ornatum ad normam legum liturgicarum, ab omni alia re vacuum, ac tam sedulo custodiatur, ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur » (c. 1269, § 2).

Itaque ss. Eucharistia asservari non potest ad latus altaris, in pariete, neque in turricula, etiam elegantissima, prope altare, salvo tamen iure immemorabilis consuetudinis. Nec tabernaculum portatile seu amovibile per se admittitur.

Ita vacuum debet esse, ut ne sancta quidem olea in tabernaculo servari possint : ne ulla inducatur confusio cultus.

Leges autem liturgicae volunt ut intrinsece sit panno serico vestitum, nisi tamen sit deauratum, et ut benedicatur (1). Praeterea opertum esse debet conopaeo coloris vel albi vel ad officium accommodati, excluso colore nigro, pro quo adhibetur violaceus. Nec lex conopaei dispensatur quia tabernaculum sit argento auro vel alia pretiosa materia confectum (2). Interdum tamen ipsa forma tabernaculi, — atque exempla in ipsa Urbe, v. g. in Basilica Vaticana, habentur,— conopaeo uti non sinit. Saltem tunc, si copia habetur, suppleatur conopaeum per amplam mappulam ab alto pendentem (baldachino) qua altare protegatur : haec, scribit Palmieri (3), conopaei locum tenere potest.

Supra tabernaculum, praeter imaginem Christi Crucifixi, nihil, ne reliquiae quidem s. crucis, tamquam supra basim reponi potest.

3. « Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum sanctissimam Eucharistiam nocturno tempore extra altare,

(1) *S. R. C.*, 20 iun. 1899, ad IV, *Decr. auth.*, n. 4053. — (2) *S. R. C.*, 7 aug. 1880, *Decr. auth.*, n. 3520. — (3) *Opus theol.*, t. 4, n. 906.

per corporali tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, servato aescripto can. 1271 » (c. 1269, § 3).

Potissima ratio est ipsius maioris securitatis a profanatione sacriga. C. autem 1271 praescribit ut lampas luceat coram Sanctissimo.

4. « Clavis tabernaculi in quo sanctissimum Sacramentum asseratur, diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia cerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet » (c. 1269, § 4).

Non semel *S. R. C.* iniunxit ut clavis penes sacerdotem servaretur. ractica tamen difficultas effecit ut usus diversus perseveraret. Quare odex, magis temperate, iam non exigit ut ipse sacerdos clavem seret, sed conscientiam rectoris oratorii onerat ut diligentissimae clavis istodiae prospiciat.

II. DE MODO SERVANDI SS. EUCHARISTIAM

595. - De pyxide. « Particulae consecratae, eo numero qui infirnorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, perpetuo onserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda et uo operculo bene clausa, cooperta albo velo serico et, quantum res eret, ornato » (c. **1270**).

In pyxide, non ergo mere in corporali asservandae sunt particulae. *S. R. C.* e propter periculum furti quidem, admisit ut in corporali servarentur. (Cf. esp. 27 febr. 1881, *Decr. auth.*, n. 3527.) — Pyxis debet esse ex solida decentque materia, ergo non ex vitro vel cristallo ; neque ex cupro, nisi sit intus eauratum. (*S. R. C.*, 31 aug. 1867, *Decr. auth.*, n. 3162 ad 6.) Negavit asserationem in vitrea pyxide, ad vitandum periculum latronum. (*S. R. C.*, 30 ian. 1880, *Decr. auth.*, n. 3511.)

596. - « Coram tabernaculo in quo sanctissimum Sacramentum sservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nurienda oleo olivarum vel cera apum ; ubi vero oleum olivarum haberi equeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commuteur, quantum fieri potest, vegetalibus » (c. **1271**).

Coram tabernaculo, i. e. ante altare vel ad eius latus, non in ipso ltari. (CLAEYS-SIMENON, n. 838.)

Si oleum olivarum vel cera permittitur, nihil obstat quo minus adhibeatur ompositio ex oleo olivarum et cera apum (Cf. resp. 8 nov. 1907, *Decr. auth.*, 1. 4205). In peculiaribus autem circumstantiis et difficultatibus quas bellum ttulit, et quam diu illae durarent, resc. 22 febr. 1916, *S. R. C.* remisit « pruentiae Ordinariorum, ut lampas, quae diu noctuque collucere debet coram Sanctissimo Sacramento, nutriatur, in defectu olei olivarum, aliis oleis, quantum fieri potest vegetalibus, aut cera apum pura vel mixta et ultimo loco etiam luce electrica adhibita » (Cf. *Per.*, VIII, 255).

Antea, de luce electrica in ecclesiis decretum dedit 24 iun. 1914, quo summam proposuit decretorum anteriorum, his verbis : « Lux electrica vetita est, non solum *una cum candelis* ex cera super altaribus (*Decr. auth.*, n. 4097), sed

etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram Ss. Sacramento vel reliquiis Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii iudicium, permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas quam sanctitas loci et dignitas s. liturgiae postulant (*Decr. auth.*, n. 3859. 4206 et 4210, ad 1). Nec licet tempore expositionis privatae vel publicae interiorem partem ciborii cum lampadibus electricis in ipsa parte interiore collocatis illuminare, ut ss. Eucharistia melius a fidelibus conspici possit (*Decr. auth.*, n. 4275) » (*Per.*, VIII, 235).

Finito nunc bello, non ubique certo permanent istae circumstantiae per quas facultas 22 febr. data fuit. Nolimus tamen contendere eas ubique cessasse. In ipso enim rescripto, bellum non nominatur. Circumstantiae quae permanere debent sunt « peculiares, sive ordinariae sive extraordinariae », ob quas « oleum olivarum non habetur vel, ob gravem penuriam aut summum pretium, non absque magna difficultate comparari potest ». Huiusmodi caritas olei in non una regione perseverat. Verum facilius nunc alia olea adhibentur ; atque lux electrica ultimo tantum loco fuit admissa.

Dicemus igitur de praesenti facultate adhibendi lucem electricam pro lampade coram Sanctissimo merito dubitari posse ; rem nihilo minus commissam esse prudenti Ordinarii iudicio.

Usus tamen qui sic per plures annos invaluit, ut scite observat R. P. Augustine, in h. c. facile initium dabit mitioris disciplinae. Ac sane, in ipsa Urbe cernimus lumen electricum coram imaginibus et reliquiis sanctorum.

Nolimus ergo nimis hodie urgere ad litteram supra relatum decretum 24 iun. 1914, salva semper gravitate quae loco sacro debetur. Nostrum tamen non est novas regulas superioribus substituere. Usus observandi sunt et, si quae dabuntur, responsa *S. R. C.* Cf. Cappello, *De Sacramentis*, I, n. 396.

597. - De hostiis. « Hostiae consecratae, sive propter fidelium communionem, sive propter expositionem sanctissimi Sacramenti, et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de re dederit » (**c. 1272**).

Si mere attendimus ad verba Codicis, ea recens confectio et frequens renovatio praescribitur, quae omne periculum corruptionis amoveat. Ac simul servandas dicit instructiones quas de hac re Ordinarius loci dederit.

Scriptores, ultra quam veri simile est, periculum corruptionis urgere solent. Verum definitiones positivae Ordinariorum, etiam ab exemptis, servandae sunt. Sic, Conc. plenarium Americae latinae, anni 1899, n. 347, praescripsit, quod iam iusserat S. Carolus Borromaeus, ne hostiae consecrandae haberent ultra viginti dies a sua confectione. Ex *Caerimoniali episcoporum*, species singulis hebdomadis renovandae dicuntur ; sufficere tamen videtur renovatio post quindecim dies. Cf. *Theol. mor.*, III, ed. 2, n. **381**.

III. DE CULTU SS. EUCHARISTIAE

598. - Qui in religiosam fidelium institutionem incumbunt, iubentur canone **1273** nihil omittere ad excitandam pietatem erga ss. Eucharistiam, ipsis commendando frequentem, etiam infra hebdomadam, *assistentiam sacrificio* missae et *visitationem* Sanctissimi Sacramenti.

Probe notanda est authentica ista commendatio formae fortasse non ita antiquae devotionis quae tabernaculum visitatione colit. Sicut in

iso fidei intellectu, ita in exhibitione caritatis erga Christum crescit tra Ecclesia, Eius sponsa.

599. - Ex c. 1274 distinguitur expositio *privata*, quae fit cum yxide; et haec, ex qualibet causa, sine Ordinarii licentia fieri potest; *publica*, seu cum *ostensorio*. Haec « die festo Corporis Christi et tra octavam fieri potest in omnibus ecclesiis [ubi ss. Euch. asservaur (*C. I. C.*, 14 iul. 1922)] inter missarum sollemnia, et ad vesperas; iis vero temporibus non nisi ex iusta et gravi causa, praesertim ıblica, et de *Ordinarii loci licentia*, licet ecclesia ad religionem xemptam pertineat » (c. 1274, § 1).

Ac simul monemur § 2, ministrum expositionis vel repositionis esse acerdotem vel diaconum; in casu tamen quo, debita Ordinarii vel arochi licentia munitus, diaconus viaticum ad infirmum detulerit, enedictionem cum pyxide ab ipso diacono impertiri posse.

Rubrica et plura responsa *S. R. C.* vetant ne pyxis quae exponitur, extra abernaculum extrahatur. In ecclesiis ergo ubi, interdum deficiente ostensorio, pyxis in quodam throno adoranda proponitur, expositionem dicemus privatam et mul irregularem: « Penitus interdicitur sacram pyxidem extra tabernaculum fferri ac velatam sub umbella collocari; cum nullum huius ritus vestigium apud turgicos scriptores, nullaque Sedis Apostolicae, quam sequi omnino debemus, onsuetudo deprehendatur » (*S. R. C.*, 16 mart. 1876 ad 1. *Decr. auth.*, n. 3394).

Consuetudinem publice exponendi Ss. Sacramentum sine episcopi licentia, . *R. C.* negavit servari posse (Cf. resp. 14 mart. 1861, *Decr. auth.*, n. 3104).

Sufficit tamen tacitus consensus qualis consuetis expositionibus suffragari otest. Wernz autem sua probabilitate non carere scripsit sententiam quam enent Cavalieri et Bouix, qui censent viros regulares exemptos non indigere centia Ordinarii loci pro expositione, etiam formae publicae, quam faciant in uis ecclesiis, ianuis clausis, seu, id addemus, in oratorio suo semi-publico, sed ufficere licentiam proprii Praelati. Contrarium enim non posse clare erui sive x Tridentino sive ex decretis *S. Rituum Congregationis*, ita ut declaratio uthentica contraria exspectari possit. (Cf. Wernz, III, n. 353, nota 235.)

Licentia autem Ordinarii loci requiritur etiam pro *Benedictione eucharistica*. Non nulli volebant laudes SS[i] ab eius publica expositione distinguere (*C. I. C.*, mart. 1927 ad III. *Per.* XVI, 56. AAS., XIX, 161).

Observes etiam a Codice non stricte requiri causam publicam ut Ordinarius oci expositionem publicam permittat, cum mere dicat « ex iusta et gravi causa, praesertim publica ». Causa publica vero est in genere spiritualis utilitas populi, v. g. ne totam diem vel magnam partem diei festi in rebus profanis ransigat; in specie vero, sollemnitas festi, maxime festi SS. Corporis Christi; arduae causae pacis et publicae necessitatis vel utilitatis.

Die 27 iul. 1927, *S. R. C.* negavit tolerari posse usum celebrandi missam cum cantu vel lectam coram Sanctissimo velato vel in pyxide exposita intra vel extra tabernaculum; et peculiari studio curandam dixit ab Ordinariis observationem decretorum 11 maii 1788 (*Decr. auth.*, n. 3448), et 17 april. 1919 (*Decr. auth.*, n. 4353) de Missa et communione in altari expositionis SS. Sacramenti (AAS., XIX, 289. *Per.*, XVI, 133 ss. Cf. X, 84 ss. annot. R. P. Pauwels de decreto 1919).

Tum in publica, tum in privata expositione, secundum locorum usum, sex

saltem in altari cerei ardere debent. In Instructione Clementina saltem 20 requiruntur.

Durante expositione *publica*, nullae possunt esse in altari sive reliquiae sive imagines sanctorum, praeter angelorum adorantium ; crux vero, pro locorum consuetudine, manere vel removeri potest. Nec ante altare expositionis statuae aut imagines sanctorum collocari possunt.

De oratione SS. Sacramenti in Missa, cf. resol. *S. C. R.* 11 ian. 1928 (AAS, XX, 90 ; *Per.*, XVII, 68 ss.).

600. - Canon **1275** commendat in omnibus ecclesiis ubi ss. Eucharistia habitualiter asservatur, annuam supplicationem XL horarum, maiore qua fieri potest sollemnitate « *statutis* de consensu Ordinarii loci diebus ».

Non dicit Codex, *statutis ab Ordinario loci* diebus, sed de *eius consensu.*

Directam igitur potestatem dies istos imperandi eidem non tribuit. Ex Codice resultat obligatio expositionem istam habendi, ac proin, quaerendi aptos dies : hi tunc debent approbandi proponi episcopo.

Ubi haec expositio fieri nequeat, curet loci Ordinarius ut, statis diebus saltem per aliquot horas Ss. Sacramentum sollemni ritu exponatur.

Ita fieri consuevit in Belgio, ubi, pro XL horarum expositione, exercetur expositio per integrum diem, quae dicitur *Adoratio perpetua*, quae originem habuit in Leodiensi Basilica S. Martini, et approbata est ab ep° Leodiensi, a. 1765.

Expositio XL horarum regitur *Instructione Clementina*, promulgata 1 sept. 1731 auctoritate Clementis Pp. XII, et Instructione *S. R. C.*, 27 apr. 1927, de Missis in oratione XL Horarum.

Instr. Clementina legitur in Append. ad *Decreta auth. S. R. C.*, t. III, eique A. Gardellini scripsit commentaria, quae habentur in T. IV, *Decr. auth.*, initio.

Instr. *S. R. C.* Missas ad praesentes normas liturgicas aptavit. Cf. *Per.*, XVI, 46.

Ephemerides Liturgicae, in lucubratione R. P. Battistini, nov. 1921, 465, improprie dictam vocabant expositionem publicam sanctissimae Euxharistiae quae fit ad breve tempus ad dandam benedictionem cum Sanctissimo. Pro ea tamen licentiam requiri Ordinarii loci, vidimus n. 599.

TITULUS XVI

DE CULTU SANCTORUM, SACRARUM IMAGINUM ET RELIQUIARUM

(c. 1276-1289)

Scriptores : Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione.* — *De Festis D. N. I. C. et B. M. Virginis.* — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, t. III, nn. 385-392. — Augustine, O. S. B., In hos canones. — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 843-856. — De Meester, *Compendium*, nn. 1265-1268. — Prümmer, O. P., *Manuale*, Q. 390-392.

Ordo Codicis. Titulus commode in has tres partes dividitur : I. De cultu nctorum (c. 1276-1278) ; II. De imaginibus earumque benedictione (c. 1279-81) ; III. De sacris reliquiis (c. 1281-1289).

I. DE CULTU SANCTORUM

601. - « Bonum atque utile est Dei Servos, una cum Christo regntes, suppliciter invocare eorumque reliquias atque imagines venei ; sed prae ceteris filiali devotione Beatissimam Virginem Mariam deles universi prosequantur » **(c. 1276).**

Canon iste generalem continet commendationem, quae, quando gitur de B. V. M., desinit in quandam praecepti rationem.

602. - « Cultu publico eos tantum Dei Servos venerari licet ui auctoritate Ecclesiae inter Sanctos vel Beatos relati sint » **c. 1277,** § 1).

In quonam consistat ratio *cultus publici* ; quinam actus censeantur d cultum istum pertinere, dictum est supra, n. 574.

Auctoritas Ecclesiae, a tempore ALEXANDRI III (1159-1181) est, tiam pro beatificatione, sola S. Sedes. ALEXANDER III enim, in c. *Audivimus*, I, De reliquiis et veneratione Sanctorum (III, 45), Romano Pontifici expresse etiam localem canonizationem, seu beatificationem eservavit.

Triplex, sub hoc respectu, aetas distinguenda est. In prima aetate, auctoritate ioecesana, admittente saepe vocem populi, honores Sanctorum reddebantur in erritorio definito : quod aequivalet beatificationi. Qui honores approbationem ormalem vel virtualem S. Sedis subinde nancisci potuerunt, v. g. per insertionem n martyrologium. Quare de formali canonizatione Servorum Dei qui ALEXANDRO III unt anteriores et in martyrologio Romano nominantur Ecclesia non est sollicita ; t Sancti isti omnes honores Sanctorum recipere possunt. Etiam post ALEXANDRUM III beatificationes dioecesanae factae sunt, ita ut URBANUS VIII, C. *Caelestis Hierusalem*, disciplinam ab ALEXANDRO III inductam perficere studuerit, exigendo pro futuris beatificationibus vel canonizationibus formalibus ut constaret de cultu non publice reddito. Severitatem tamen istam temperavit pro illis qui post pontificatum ALEXANDRI III sed centum saltem annis ante dictam suam Constitutionem ex tolerantia cultum habuerunt (c. 2125). Et sic URBANUS VIII duplici aetati originem dedit : alteri, quae ab ALEXANDRO III initium ducit usque ad annum 1534 (C. *Caelestis Hierusalem* anno 1634 promulgata est) : cultus immemorabilis praestitus Servis Dei qui tunc vixerunt manere potest in statu quo. Immo de eorum formali beatificatione instrui potest processus « per viam cultus seu casus excepti », ut cultus iste formaliter approbetur ; qua approbatione Servus Dei est aequipollenter beatificatus. (Cf. c. 2125-2135 qui in libro IV exponentur.) Alterius aetatis, seu temporis recentioris, proprium istud est ut Servi Dei non possint beatificari vel canonizari, nisi prius constiterit nullum cultum publicum iisdem fuisse datum. Quare processus dicitur « per viam non cultus ».

Propter peculiares causas, v. g. si Sancti canonizati ipsi cultus auctores fuere, non renuit S. Sedes benignius computare tempus. Ita approbatus est cultus immemorabilis redditus B. Petro Faber, quamvis anno tantum 1546 diem

supremum obierit. Et si quaedam S. Pontificis approbatio accesserit, tunc minus ad istud tempus attenditur. Sic a LEONE XIII formaliter approbatus est cultus redditus B. Edmundo Campion et martyribus Angliae, qui versus finem saeculi XVI passi sunt.

Recens autem instructio *S. R. C.*, 11 nov. 1912 (*Per.* VII, 49), iam non agnoscit seu approbare vult cultum immemorabilem nisi eorum quorum simul demonstrentur virtutes heroïcae. Quod de servis Dei antiquioris aetatis saepe erit impossibile. Verum, si causa ante 1912 incepta fuerit, non renuit eadem S. Congregatio anteriorem processus formam admittere.

N. B. Ex decreto *S. R. C.*, 26 aug. 1913, Servi Dei iam non possunt *Venerabiles* vocari ex quo eorum causa introducta est, sed tantum ex quo heroicitas virtutum vel martyrium sunt comprobata. De ipso processu canonizationis, etc. cf. L. IV.

Cultu vero *privato* coli possunt personae de quibus rationabilis persuasio habetur sanctitatis vel saltem praedestinationis. Ita pie coluntur a parentibus et fratribus infantes baptizati qui ante usum rationis decesserunt. Hi tamen non canonizantur, cum virtutes heroicas exercere non potuerint. Immo nec infantes martyres Ecclesia canonizare solet, quamvis a remotissima antiquitate colantur sancti Innocentes, et pauci alii sint in martyrologio.

603. - Sancti et Beati diversimode coluntur. « In album Sanctorum canonice relatis cultus duliae debetur ; Sancti coli possunt ubique et quovis actu eius generis cultus ; Beati vero non possunt nisi loco et modo quo Romanus Pontifex concesserit » (c. **1277**, § 2).

Canonizatio continet definitivum et infallibile iudicium de caelesti gloria Servi Dei. Quare WERNZ septem hos effectus numerat canonizationis : 1) canonizatis cultus duliae *debetur :* eos sanctos existimare et dicere omnes debent ; — 2) invocantur in publicis Ecclesiae precibus, nec pro iis orare licet ; — 3) templa et altaria Deo in eorum honorem erigi possunt ; — 4) sacrificium Missae et officium divinum Deo in illorum honorem offeruntur ; — 5) dies festi in ipsorum celebrantur honorem ; — 6) eorundem imagines cum radiis et diademate in signum gloriae pinguntur ; — 7) eorum reliquiae publice in ecclesiis proponuntur et honorantur (WERNZ, III, n. 367).

Contra, cultus Beatorum *non praecipitur*, saltem universaliter, sed *permittitur*, et quidem ibi tantum ubi concessum est. Nec omni modo duliae coli possunt, sed iis tantum actibus qui ex immemorabili consuetudine vel speciali indulto demonstrantur legitimi.

De notione beatificationis et canonizationis, cf. BENEDICTUM XIV, *De servorum Dei beatificatione*, etc. L. I, c. 39, ss.

Orationes ad impetrandas gratias per intercessionem Servorum Dei, imprimi et diffundi non possunt sine venia Ordinarii, qui abstinere

bet orationibus istis commendandis ac praesertim ditandis indulentia. (*S. R. C.*, 12 feb. 1909. AAS, I, 238).

604. - De Patronis. Canon 1278 *electionem patronorum* specialum nationum, dioecesium, provinciarum, confraternitatum aliorumque icorum et moralium personarum dicit *laudabilem, servatis servandis.* on tamen ipsa electione, sed *confirmatione S. Sedis* formaliter patroni onstituuntur. Sed dum Sancti libere eligi possunt, Beati eligi non posunt sine Indulto Apostolico.

Regulae servandae ponuntur in decreto quod, probante URBANO VIII, didit *S. R. C.*, die 23 mart. 1630 (*Decr. auth.* n. 526). Servanda huc edeunt, ut habeatur consensus populi, cleri et episcopi seu Ordinarii oci. Quare civitatis patronus, ut talis eligi debet non a solis officialius, sed a consilio generali municipii; patronus dioecesis a fidelibus ioecesis. Formalia tamen comitia necessaria esse non videntur, cum ubscriptione supplicis libelli, populus suam voluntatem exprimere ossit. Clerus assentietur per capitulum, si habetur, vel etiam scriptis ominibus in aliquo albo.

A patronis territorii vel personae moralis distinguendi sunt patroni qui quiusdam bonis operibus praeficiuntur. Hos, petitionibus antistitum vel societatum nnuens, dat et promulgat S. Pontifex. Ita LEO XIII S. Thomam caelestem atronum scholarum omnium catholicarum declaravit et instituit; - S. Camillum de Lellis patronum declaravit omnium hospitalium et infirmorum ubique degenium; — S. Vincentium a Paulo patronum omnium societatum caritatis, in toto atholico orbe exsistentium et ab eo quomodocumque promanantium; — S. Petrum Claver, patronum sacrarum ad Nigritas missionum; — PIUS X vero S. Franciscum Xaverium sodalitati et operi Propagandae Fidei caelestem Patronum elegit atque constituit; — SS. D. N. PIUS Pp. XI, Bulla *Summorum Pontificum*, 25 iul. 1922, S. Ignatium renuntiavit patronum caelestem « omnium Exercitiorum spiritualium, ideoque institutorum, sodaliciorum, coetuum cuiusvis generis, iis qui Exercitia spiritualia obeunt operam studiumque navantium » (AAS., XIV, 1922. 422; *N.R.Th.*, 1923, 370; *Per.*, XI, 75); decreto autem *S. C. Rit.*; 14 dec. 1927, S. Teresiam ab Infante Iesu cum S. Fr. Xaverio patronam aeque principalem Missionum et Missionariorum pronuntiavit; addito, 13 mart. 1929, privilegio festi 1ae classis cum octava pro clero saeculari, sine octava pro regulari (nisi patronus fuerit eiusdem Ordinis). Cf. AAS, XX. 147; XXI, 195; *Per.*, XVII, 145; XVIII 167 ss.

II. DE IMAGINIBUS EARUMQUE BENEDICTIONE

605. - Quaenam imagines proponi possint vel non. 1. In *locis sacris*, i. e. ex c. 1154, in locis qui divino cultui vel fidelium sepulturae deputantur consecratione vel sollemni benedictione (communis locorum, de qua c. 1196, non sufficit); — in his locis quamvis exemptis, nullus, ne Praelatus quidem, *insolitam* ponere vel ponendam curare imaginem potest, nisi ab *Ordinario loci* sit approbata (c. 1279, § 1).

Insolita potest esse imago ratione modi et ratione rei repraesentatae. V. g. si quis usum invehat ponendi imaginem regis, vel symbolicam imaginem patriae. De omni enim imagine videtur agi in § 1 c. 1279.

2. « Ordinarius autem sacras imagines publice ad fidelium venerationem exponendas ne approbet, quae *cum probato Ecclesiae usu non congruant* » (c. 1279, § 2).

In ista paragrapho agitur de imaginibus sacris, seu quae venerationi et quidem publicae exponuntur. Hae, ut ab Ordinario approbentur, congruere debent cum probato Ecclesiae usu.

Ut canon iste bene intellegatur, haec observemus : 1) si imago sacra non est insolita, nullius approbatio requiritur ; — 2) si est insolita, probanda est ab Ordinario loci, ex § 1. Sic imago SS. Cordis Eucharistici, ante paucos annos erat insolita ; sic insolita fuit imago Virginis Lapurdensis. Sed quamvis insolita, congruere tamen potest cum probato Ecclesiae usu. Probatus usus definit certam symbolismi rationem, v. g. ut Beatae Virgini infans detur in ulnis, dum S. Ioseph eundem potius manu ducit. Cum probato usu non congrueret si SS. Trinitas repraesentaretur persona triplicis faciei.

3. « Numquam sinat Ordinarius in ecclesiis aliisve locis sacris exhiberi falsi dogmatis imagines, vel quae debitam decentiam et honestatem non prae se ferant, aut rudibus periculosi erroris occasionem praebeant » (c. 1279, § 3).

Tres igitur sunt causae exclusionis : imago *falsi dogmatis*, ut si Filius exhibeatur substantiae inferioris Dei Patris ; — *defectus decentiae* : non sunt profana venustate depingendi Sancti, ita ut imagines lascivae dici possint ; ac nostra aetate minus simplici ad verecundiam est magis attendendum : — *occasio erroris* data rudibus, ut si Spiritum Sanctum sub figura iuvenis proponas, ita ut ipsum incarnatum facile putent vulgares homines. De formis admissis vel reprobatis videas v. g. FERRARIS, *Bibliotheca*, v. *Imago*, a n. 55. Cf. resp. S. C. *S. Officii*, 16 mart. 1928, de repraesentato Spiritu Sancto sub forma humana. (AAS, XX, 103 ; *Per.*, XVII, 58).

Ordinarius de quo in 2 et 3 paragrapho est Ordinarius loci.

606. - Imaginis benedictio. « § 4. Si imagines, publicae venerationi expositae, sollemniter benedicantur, haec benedictio Ordinario reservatur, qui tamen potest eam cuilibet sacerdoti committere » (c. 1279).

Quamvis sermo sit in isto canone de Ordinario loci, nihilo minus benedictio ista videtur quoque permitti Ordinario religionis clericalis exemptae, cum, ex c. 1156, ipsam ecclesiam benedicere possit. Sic etiam PRÜMMER, q. 391.

Observes sollemnem benedictionem nullo iure esse praescriptam.

607. - « Imagines pretiosae, id est vetustate, arte aut cultu praestantes, in ecclesiis vel oratoriis publicis fidelium venerationi expositae, si quando reparatione indigeant, numquam restaurentur sine dato scriptis consensu ab Ordinario ; qui, antequam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat » (c. 1280).

Ordinarius est hic sive Ordinarius loci, sive Superior maior religionis clericalis exemptae. Simul modus prudens ordinandi reparationem ipsi inculcatur.

608. - Alienatio vel perpetua translatio in alienam ecclesiam ima-
nis pretiosae vel quae, in aliqua ecclesia, magna populi veneratione
onoratur, non est licita sine Apostolico indulto. Ipsa alienatio est
valida (**c. 1281**, § 1).

III. DE SACRIS RELIQUIIS

609. - Notio. *Reliquiae stricte* sunt Sanctorum corpora vel corporis
artes; *latius* hoc nomine veniunt quoque res quae aliqua relatione
d ipsos referuntur, ut sunt vestes, domus, res quae sanctum corpus
etigerunt.

Aliae reliquiae sunt insignes, aliae non. « Insignes Sanctorum vel
eatorum reliquiae sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor,
ngua, manus, crus, aut illa pars corporis in qua passus est martyr
ummodo sit integra et non parva » (c. 1281, § 2).

Distinctio ista varios effectus habet, ut ex ipso c. 1281 et 1282, de aliena-
ione et asservatione fit manifestum. In ecclesia ubi servatur insignis reliquia,
redo in missa festiva de Sancto addi potest.

610. - Alienatio. *Insignes* reliquiae vel quae in magna sunt vene-
atione nequeunt valide alienari aut ab una ecclesia in aliam perpetuo
ransferri sine Apostolicae Sedis permissu (c. 1281, § 1).

611. - Custodia. *Insignes* reliquiae sunt quasi bonum commune cui
rospiciendum est. Quare, 1. sine expressa Ordinarii loci licentia non
ossunt in aedibus vel oratoriis privatis asservari (**c. 1282**, § 1).

Quid si quis privatus easdem iam possideat? Secluso privilegio, debet se ad
raesentem Codicis dispositionem accommodare, et petere licentiam expressam,
i nulla alia iam petita fuerit. Ex ipsa enim lege anteriore, qua tali, nullum
us quaesitum oritur (Cf. *Epitome*, I, n. 75 ed. 2 vel n. 71 ed. 3).

2. « § 2. Reliquiae *non insignes* debito cum honore etiam in domibus
privatis servari pieque a fidelibus gestari possunt » (c. 1282, § 2).

Debito cum honore, i. e. reverenter. Nullus tamen praescribitur
modus, cum pie gestari possint.

3. Specialis ratio habetur ss. **crucis**. « Sanctissimae crucis reliquiae,
quas in cruce pectorali episcopus forte defert, ecclesiae cathedrali, ipso
defuncto, cedunt, episcopo successori transmittendae; et si defunctus
pluribus praefuerit dioecesibus, ecclesiae cathedrali dioecesis in cuius
territorio supremum diem obiit aut, si extra dioecesim mortuus est,
ex qua ultimo discessit » (**c. 1288**).

Reliquiae istae ergo quasi legandae sunt ecclesiae cathedrali. Dispositio ista
praecepta est ex quo, propter crescentem raritatem, timendum fuit ne pius usus
servari iam non possit inserendi talem reliquiam in crucem pectoralem episcopo-

rum (1). — In posteriore canonis parte agitur non de episcopo qui plures successive dioeceses rexit, sed de episcopo qui simul pluribus dioecesibus praefuerit, quamvis fortasse non eodem titulo, ut si sit mere administrator Apostolicus alienae dioecesis.

612. - De reliquiarum authentia. Codex tribus canonibus authentiae reliquiarum consulit, simul tamen, canone 1286 temerariam vel scandalosam impugnationem cohibet. Hinc, cum honor veritati reservandus, et hodierna scientiarum studia postulent ut nullum imaginum vel reliquiarum cultum *positive* foveamus, quarum authentia non moraliter constet, hae cautiones de authentia praescribuntur.

« *Publico cultu* eae solae reliquiae in ecclesiis, quamquam exemptis, honorari possunt, quas genuinas esse constet authentico documento alicuius S. R. E. Cardinalis vel Ordinarii loci, vel alius viri ecclesiastici cui facultas *authenticandi* indulto Apostolico sit concessa ». (**c. 1283**, § 1).

Non omnis ergo episcopus reliquias authenticare potest, sed ii soli qui sunt *Ordinarii loci.* Nec in Ordinario loci character episcopalis requiritur. Vicarius tamen generalis speciali mandato indiget ut reliquias authenticare possit (c. 1283, § 2). — Praeter Ordinarios locorum, alii viri ecclesiastici qui reliquias authenticas edicere permittuntur sunt potissimum Postulatores causarum alicuius Ordinis vel Instituti ; sed eorum facultas ad Sanctos propriae religionis restringi consuevit.

2. « Locorum Ordinarii reliquiam, quam certo non esse authenticam norint, a fidelium cultu prudenter amoveant » (**c. 1284**).

Sic plures falsae reliquiae in ipsa Urbe suppressae sunt.

3. Si propter aliquam causam, v. g. civiles perturbationes, authenticitatis documenta perierint, reliquiae non possunt publicae venerationi exponi nisi praecesserit iudicium Ordinarii loci, non autem Vicarii generalis sine speciali mandato (**c. 1285**, § 1).

« Reliquiae tamen antiquae in ea veneratione qua hactenus fuerunt, sunt retinendae, nisi in aliquo peculiari casu certis argumentis constet eas falsas vel suppositicias esse » (c. 1285, § 2).

Exceptio ista fundatur in communi difficultate, immo impossibilitate scientificae probationis. Accedit haec altera ratio, quae etiam ad loca peregrinationum traduci potest, eas ex diuturna devotione, interdum ab ipsis Sanctis exercita, et obtentis gratiis sacras fieri posse, et distinctum ab ipsa authentia consequi titulum honoris.

613. - Temeraria impugnatio vitanda. Prudentia tamen, qua scandalum pusillorum vitare debemus, simul postulat ne temere impugnemus quae, ipsa usus diuturnitate, digna sunt veneratione. Quare, **c. 1286** haec edicit : « Locorum Ordinarii ne sinant, maxime in sacris contionibus, libris, ephemeridibus vel commentariis fovendae pietati

(1) Cf. Litt. enc. Vicariatus Urbis 23 mart. 1889 (*Coll. Prop. Fid.* n. 1699).

destinatis, ex meris coniecturis, ex solis probabilibus argumentis vel praeiudicatis opinionibus, praesertim verbis ludibrium aut despectum sapientibus, quaestiones agitari de sacrarum reliquiarum authenticitate » (1).

614. - De cultus modo et obiecto. 1. Ne furtis vel fraudibus pateant, « Reliquiae, *cum exponuntur*, in thecis seu capsis clausae et obsignatae sint oportet » **(c. 1287**, § 1).

2. « Reliquiae *sanctissimae crucis* numquam in eadem theca cum reliquiis Sanctorum publicae venerationi exhibeantur, sed propriam thecam separatam habeant » (ibid. § 2).

3. « *Beatorum* reliquiae, sine peculiari indulto, in processionibus ne circumferantur, neve in ecclesiis exponantur, nisi ubi eorum officium et missa celebretur ex Sedis Apostolicae concessione » (ibid. § 3).

Itaque, ut in processionibus circumferantur, peculiare indultum est necessarium ; sed ubi missa eorum dicitur, possunt quoque reliquiae Beatorum publicae venerationi proponi et proin in processione circumferri.

Sic etiam, ubi celebratur festum Beati cum officio et missa, imago Beatorum potest super ipso altari exponi, nec episcopus id prohibere potest. (Cf. resp. *S. R. C.*, 24 iul. 1915, cum subiecta annotatione, *Per.*, VIII, 252.)

615. - Reliquiae vendi non possunt. Quare, si theca vendatur, qua talis, prius separentur reliquiae. Ac vitandum quoque est ne in manus acatholicorum veniant.

Ii ad quos res spectat, sedulo vigilare debent ne reliquiae profanentur, pereant vel minus decenter custodiantur. Itaque :

(c. 1289) « § 1. Sacras reliquias vendere nefas est ; adeoque Ordinarii locorum, vicarii foranei, parochi aliive curam animarum habentes, sedulo caveant ne sacrae reliquiae, praesertim sanctissimae crucis, occasione maxime hereditatum aut alienationis acervi bonorum, veneant, neve in acatholicorum manus transeant.

« § 2. Rectores ecclesiarum, ceterique ad quos spectat, sedulo invigilent ne sacrae reliquiae ullo modo profanentur, neve hominum incuria pereant, vel minus decenter custodiantur ».

Demum, ante reliquias expositas, rubricae volunt ut saltem duo lumina colluceant ; alias reliquiae ne exponantur. (Cf. *S. R. C.*, 22 ian. 1701, ad 9, et 12 aug. 1854, ad 13. *Decr. auth.* n. 1067 et 3029.)

---

(1) In his rebus maxime iuvat duplicem « criticam » rationem distinguere : alteram irrisoriam, quae scandalose simplices turbat ; alteram, doctam et prudentem, quae errores paulatim dedocet : haec servit veritati, solidae pietati, atque obstacula vel praeiudicia removet conversionis hominum maioris cultus intellectualis.

TITULUS XVII

DE SACRIS PROCESSIONIBUS
(c. 1292-1295)

Scriptores : Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, n. 554. 555. 564-566. — Augustine, O. S. B., in hos canones. — Prümmer, O. P., Q. 393-395. — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 657-661. — De Meester, *Compendium*, nn. 1269-1271.

616. - Definitio. « Nomine sacrarum processionum significantur sollemnes supplicationes quae a populo fideli, duce clero, fiunt eundo ordinatim de loco sacro ad locum sacrum, ad excitandam fidelium pietatem, ad commemoranda Dei beneficia eique gratias agendas, ad divinum auxilium implorandum » (**c. 1290**, § 1).

Qua sua definitione Codex, ut habeatur veri nominis processio, requirit : *a*) ut aliqua multitudine populi frequentetur ; — *b*) ut clerus agmen ducat ;—*c*) ut de loco sacro (plerumque ecclesia) ad locum sacrum (eundem vel diversum) tendatur ; — *d*) ut finis pius sit unus e tribus assignatis, i. e. excitatio pietatis (sicut in processionibus festi Corporis Christi) ; gratiarum actio ; imploratio divini auxilii, quo nomine veniunt etiam processiones paenitentiales.

Processiones propter postremum finem indictae vocantur quoque *rogationes*, vel *litaniae*. Ad saec. V ascribuntur litaniae maiores, in festo S. Marci, et litaniae minores, diebus Rogationum, quarum usum invexit S. Mamertus, episcopus Viennensis in Gallia.

617. - Divisio. « *Ordinariae* sunt quae statis diebus per annum fiunt ad normam librorum liturgicorum vel consuetudinum ecclesiarum ; *extraordinariae*, quae aliis publicis de causis in alios dies indicuntur » (c. 1290, § 2).

Dividi etiam possunt ex *fine* ; et distingui possunt processiones *eucharisticae* ab aliis processionibus.

618. - De processionibus in festo Corporis Domini. Ex **c. 1291** haec colligimus. 1. Per se, die festo isto, unica tantum sollemnisque processio in singulis locis per publicas vias instituenda est, idque a primaria loci ecclesia.

Per publicas vias, intra tamen territorium paroeciae ; licentiam ingrediendi fines alius paroeciae episcopus non potest concedere nisi pro ea parte quam ad decentem circuitionem iudicaverit expedire (*S. R. C.*, 11 ian. 1681, *Decr. authent.* n. 1657).

Maior facultas ipsa consuetudine tribui potest.

Immemorabilis tamen consuetudo potest ferre ut plures instituantur

processiones ; atque episcopus prudenter plures permittere potest, si iudicet illud a circumstantiis exigi, ut in amplissimis civitatibus.

2. Illi processioni « clerici omnes religiosaeque virorum familiae, etiam exemptae, et laicorum confraternitates interesse debent, Regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpetuo vivunt aut a civitate ultra tria millia passuum distant » (c. 1291, § 1).

Canone isto obligatio participandi processiones, quae propria erat Regularium, iam facta est communis omnium Congregationum virorum. (Cf. nostrum *De religiosis institutis*, etc. I, n. 454.)

Communes autem etiam dicemus excusationes. Quare, quamvis Codex solos excipiat Regulares strictioris clausurae aut ultra tria milliaria distantes, ex mente legislatoris etiam religiosi paris condicionis vel distantiae erunt excipiendi.

Excipiendi quoque sunt qui in hac re fruuntur privilegio speciali, quod habent v. g. Theatini, Barnabitae, Patres Societatis Iesu. Atque ipsa consuetudo hoc onere liberare potest.

3. « Ceterae paroeciae et ecclesiae etiam regulares possunt, intra octavam, proprias processiones extra ecclesiae ambitum agere ; sed ubi plures sunt ecclesiae, Ordinarii loci est dies, horas ac vias praestituere quibus suam quaeque processionem agant » (c. 1291, § 2).

Processiones ecclesiarum non paroecialium incedere debebunt per vias praestitutas ab Ordinario loci, nisi etiam in hac re peculiari fruantur privilegio. Tunc, si fides sit Ferraris, *Bibliotheca*, v. *Processiones*, n. 32, *S. R. C.*, ter declaravit eosdem per viam semel ab ipsis electam incedere debere. Sed nulla ex his declarationibus continetur inter *Decreta authentica*.

Processiones cum SS. Sacramento non sunt antiquae originis, sed, sicut ipsae expositiones ss. Hostiae, sunt repetendae ex institutione festi Corporis Christi ; et maxime floruerunt in saeculo XIV.

Servandus ritus describitur in *Caerimoniali episcoporum*, L. 2, c. 32. 33 ; et in *Rituali Romano*, Tit. IX, c. 1. In pluribus locis, istis normis non parum derogatur ; et quamvis contraria huiusmodi usibus prodierint responsa *S. R. C.*, ex parte saltem tolerantur propter immemorabilem consuetudinem et vitandam offensionem populi.

619. - Extraordinariae processiones indici possunt ex publica causa ab Ordinario loci, audito capitulo cathedrali ; qua facta legitima indictione, iisdem interesse debent quotquot processionem Corporis Christi debent participare. Atque eadem obligatio participandi eosdem afficit, quando aliae sunt processiones ordinariae et consuetae **(c. 1292).**

In locis ubi deest capitulum, eius vices supplentur coetu consultorum dioecesanorum, de quo in canone 427.

Consuetudo Regulares eximere potest obligatione participandi quasdam processiones, quamvis sint ordinariae.

620. - Processiones a religiosis, ne exemptis quidem fieri possunt extra suas ecclesias et claustra sua sine Ordinarii loci licentia, excepta processione quam ius c. 1291 Regularibus (non religiosis Congregationum) permittit infra octavam festi Corporis Domini (**c. 1293**).

Speciale tamen habent privilegium Fratres Praedicatores publicas processiones faciendi prima dominica octobris, libere ingrediendo, cum omni pompa, limites cuiusque paroeciae. Sic Prümmer, q. 395, ex Const. FF. Praed., n. 112.

Omnibus autem Regularibus licet facere processiones intra ecclesias suas et claustra sua. Quod si claustris careant, possunt per viam ecclesiae et conventui contiguam agere processiones. (Cf. v. g. *S. R. C.*, 27 iul. 1628).

Inde, ni fallimur, originem habet haec derogatio clausurae, quae in non paucis monasteriis observatur, qua, die processionis intra claustra, etiam mulieres, processionem sequentes, claustra penetrant.

621. - Processiones particulares. « Parochus vel quivis alius nequit processiones novas inducere aut consuetas transferre vel abolere sine Ordinarii loci licentia » (**c. 1294**, § 1).

Non soli ergo Regulares, sed etiam parochi, vel capitula aut confraternitates aut quivis alius, usum processionum mutare non possunt, sine auctoritate Ordinarii loci. Atque, ut consequenter dicamus ad c. 1292, si, cum licentia Ordinarii loci, non audito capitulo transferatur processio, non erit obligatio pro alio clero atque clero istius parochiae, processionem istam participandi. In causa Hispalensi, 2 sept. 1695 et 21 iul. 1696 (*Decr. authent.*, n. 1932 et 1947), *S. R. C.*, translationem consuetae processionis addixit ipsi capitulo cathedrali, cum consensu episcopi. Verum nunc standum est c. 1292.

« Processionibus alicuius ecclesiae propriis interesse debent omnes clerici eidem ecclesiae adscripti » (**c. 1294**, § 2).

622. - Processionum modus. « Curent Ordinarii ut sacrae processiones, exstirpatis, si qui sint, malis usibus, ordinate procedant eaque modestia ac reverentia ab omnibus perficiantur, quae piis ac religiosis huiusmodi actibus maxime convenit » (**c. 1295**).

Et quia valde deplorandae et scandalosae sunt controversiae et contentiones de praecedentia inter personas quae, cum servitium Dei profiteantur, deberent humilitatem evangelicam ipso exemplo docere, ius canonicum potestatem facit Ordinario loci componendi, in casibus urgentioribus, omnes controversias de praecedentia inter collegia, remota appellatione in suspensivo, sed sine iuris praeiudicio. (Cf. c. 106, 6°, vel *Epitome*, I, n. 198.)

TITULUS XVIII

DE SACRA SUPELLECTILI

(cc. 1296-1306)

Scriptores : GASPARRI, *De SS. Eucharistia*, n. 656-787. — WERNZ, S.I., *Ius Decret.* III, nn. 502-523. — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, t. VI, in hos canones.—CAPPELLO, S. I., *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, I, nn. 797-813. — CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, nn. 862-871. — DE MEESTER, *Compendium* nn. 1269-1272. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, Q. 396. 397.

INTRODUCTIO

623. - Notio et ordo dicendi. *Sacra supellex* designat, collectiva ratione, *quascumque res*, praesertim consecratas vel benedictas, *quae ad cultus divini exercitationem vel ornatum*, maxime ad missae celebrationem et sacramentorum administrationem, *sunt applicata* (1).

Vox enim *supellex*, iam latino, sed profano usu, amplam habebat significationem, quae res omnes quibus domus instruebatur, complectebatur.

Nostra autem descriptione insinuavimus esse sensum latiorem et strictiorem ; strictiorem ex benedictione recepta vel ex propinquiore destinatione ad sacrificium et sacramenta. Latius igitur ad sacram suppellectilem ascribitur tapetum altaris quam mappa ; latius confessionale quam tapetum ; latius scamna quam confessionale.

Codex autem potius agit de supellectili ipsius altaris vel ministrorum qui ad altare sacras functiones peragunt.

Quod ad *ordinem* dicendi, secundum ipsam Codicis dispositionem, nisi quod ad primam partem referemus quoque c. 1302, primo agemus de materiali constitutione et conservatione sacrae supellectilis ; dein de eius possessione seu dispositione ; tum de eius usu ; postea de eius benedictione et exsecratione ; demum de eius contrectatione et lotione.

NORMAE CANONICAE

I. MATERIALIS CONSTITUTIO ET CONSERVATIO

624. - 1. Confectio. « Nisi aliter sit provisum, qui officio tenentur reparandae ecclesiae ad normam can. 1186, debent quoque ei providere de sacra supellectili ad cultum necessaria » (c. 1297).

Quinam isti sint, diximus n. 495, quem conferas.

« Circa materiam et formam sacrae supellectilis, serventur praescripta liturgica, ecclesiastica traditio et, meliore quo fieri potest modo, etiam artis sacrae leges » (c. 1296, § 3).

---

(1) AUGUSTINE, in c. 1296, observat onus a scriptoribus declinari condendi definitionem sacrae supellectilis.

Optimum erit consilium, ut seligatur coetus peritorum qui adeundi sint quando quaedam sacra supellex comparanda est.

Haec pauca notemus de sacra supellectili.

Calix et patena debent esse aurea vel argentea intus deaurata, aut ex stamno intus deaurato, vel etiam ex aluminio mixto aliis metallis, et intus deaurato. Non prohibetur calix e gemma solida et non permeabili.

Urceoli vel *ampullae* sint potius vitreae ; tolerantur tamen aureae vel argenteae.

De *pyxide* diximus n. 595.

Ostensorium convenientissime fit ex argento vel auro. Potest etiam confici ex cupro deaurato sicut ipsa lunula. In eius summitate oportet ut sit parva crux.

SS. olea in vasis argenteis aut stanneis servanda sunt.

Corporale requiritur ex lino vel cannabe, saltem quod ad partem quae recipit s. hostiam et calicem. In anteriore parte signari potest cruce.

Purificatorium etiam sit lineum.

Praeterea haberi debent : *Missale*, *Christi crucifixi* imago (non exigua), duplex *candela* ex cera (quod ad maximam saltem partem) ; *pulvillus*, *candelabra*, *bursa*, *velum*, *manutergium*, et, saltem pro usu recepto, *tabellae secretarum* (carta Gloria).

Vestes sacerdotales sunt *amictus*, *alba*, *cingulum*, *manipulus*, *stola* et *casula* seu *planeta*. Amictus et alba debent esse ex lino vel cannabe. Permittitur ut alba decoretur opere phrygio vel textili denticulato, etiam quod ad maiorem partem, si sit ex lino vel cannabe.

Inconsulta S. Sede, forma gothica admitti non potest. Permittuntur in catacumbis. Cf. *S. R. C.*, 9 dec. 1925. R. P. PAUWELS censet ornamenta gothica servari posse ubi iam introducta sint. Sed, nisi usus condiciones consuetudinis impleat, videtur R. D. CALLEWAERT temperatius et verius putare ornamenta gothica *iam confecta* adhiberi posse donec non sint consumpta. (AAS. XVIII, 58 ; *N. R. Th.*, 1926, 300 ; *Per.*, XV, 58 ss.).

De materia et colore *cinguli* nihil praescribitur.

Manipulum, *stola*, *casula*, non possunt ex toto esse ex tali materia unde vestes communes fiant, sed saltem fila serica superimponenda sunt. Praeferenda est materia serica aut pretiosa ; admittitur tamen subserica vel tramoserica; vel etiam textus ex serico et mori fibris confectus (S. R. C. 3796. Prorsus excluditur materia vilis, gossypion (saltem pro corporali, purificatori et palla) et etiam textura vitrea, ne fragmenta decidant in corporale et sacrum calicem, et dein a sacerdote, non sine periculo suo, sumantur. — De gossypii tolerantia, cfr resc. *S. C. de P. F.* 7 dec. 1920, *Per.* X, 204. Cfr etiam *Decr. auth.*, S. R. C., 3543.

Casula debet cum *colore* missae congruere. *Flavus* color excluditur. *Caeruleus* permittitur tantum ex privilegio. *Rosaceus* in tertia dominica Adventus et in quarta dominica Quadragesimae et per utramque hebdomadam concessus est. *Aureus* pro albo, viridi et rubro, non autem pro *violaceo* et *nigro* adhiberi potest. Non potest una casula, quae varios referat colores, plurium vices explere, sed usus colore dominante circumscribendus est. Episcopus tamen usum casularum multicolorum ecclesiis pauperibus permittere potest, donec istae casulae consumantur.

625. - 2. Custodia. *a*) « Rectores ecclesiarum aliique quibus credita sit cura sacrae suppellectilis, sedulo debent eiusdem conservationi et decori prospicere » (**c. 1302**).

b) C. **1296**, § 1, *prudentem* praecipit in ecclesiae sacrario vel in alio tuto et decenti loco sacrae supellectilis custodiam, eius praesertim quae, ad normam legum liturgicarum, benedicta aut consecrata esse debet, quaeque in publico cultu adhibetur. Vetat praeterea eius ad usus profanos adhibitionem.

Quaenam supellex debeat benedici dicemus infra (n. 632, ss), ubi benedictione.

De *usu profano* rei benedictae benedictione constitutiva diximus n. 468. Sacrilegium fuerit grave, vas consecratum, quam diu suam consecrationem retinet, usum communem et profanum adhibere.

Facilius licebit ad nuptias vel ad communem usum honestum adhibere res n benedictas quae ministerio sacro mediate inserviunt : v. g. tapetes ; can-labra, pelvim, immo et manutergium.

De rebus sacris, ut puta paramentis sacerdotalibus quae mere benedictionem iiserint, in usum profanum adhibendis, non una est vel fuit sententia. Alii ve sacrilegium in usu profano agnoscunt (1) ; alii dubitanter loquuntur (2); i probabile existimant hodie ita temperatum esse rigorem ut, praeciso scan-lo aut contemptu, talia sine peccato in usum profanum converti possint-iare licere, ut dirutae ecclesiae lapides, ligna et reliqua materia ad quoslibet us sub hasta vendantur ; ut vestes sacrae, usu consumptae, mutata tamen rma, civilem aut profanam utilitatem recipiant. Sic Card. GENNARI (3), qui am sententiam sententia Romanae academiae liturgicae confirmat.

c) Ut caute custodiatur, conficiendum est, ad normam c. 1522, 2° t 3°, (4) universae sacrae supellectilis *inventarium*, accurate servan-um (c. **1296**, § 2).

Normae c. 1522, 2° et 3°, huc spectant, ut inventarium sit *distinc-um* et *subscriptum*, cum descriptione et aestimatione, alterum vero xemplar in archivo curiae, alterum in tabulario administrationis onservetur.

II. DISPOSITIO DE SACRA SUPELLECTILI

626. - 1. De Cardinali Curiae. De Cardinali agens qui in Urbe lomicilium habebat, quamvis episcopus suburbicarius vel abbas *nullius* esset, canon **1298** permittit quidem ut ipse Cardinalis sacram suam supellectilem donet aut testamento relinquat alicui ecclesiae, vel loco pio vel alicui personae ecclesiasticae seu religiosae (non ergo omni personae) ; verum, si id non fecerit, quaelibet *supellex aliaeque res* omnes *stabiliter divino cultui destinatae*, nulla habita ratione qualitatis et naturae redituum quibus comparatae sint, cedunt *pontificio sacrario*. Excipiuntur anuli et cruces pectorales, etiam cum sacris reliquiis.

Quid comprehendat ista sacra supellex, colligi potest ex Brevi *Cum illud*, PII IX, 1 iun. 1847, quod habetur in ASS., III, 279.

« Aliae res omnes stabiliter divino cultui destinatae » sunt quae, spectata earum natura, usui profano sunt congrua, de facto tamen, non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata : puta ornatam sedem.

---

(1) S. ALPHONSUS, L. 3, n. 41 ; D'ANNIBALE, III, n. 16, nota 36 et 37.

(2) LEHMKUHL, *Theol. mor.* I, n. 524.

(3) *Consultationes canonicae*, ed. 2, p. 201-205.

(4) Can. 1522 non est divisus in §§, quamvis canon 1296, § 2, id supponat ; sed habetur 1°, 2° et 3°.

Simul optat canon ut Cardinalis qui sacram suam supellectilem donare vel legare voluerit, saltem ex parte praeferat illas ecclesias quas in titulum, administrationem seu commendam obtinuerit.

627 - 2. De episcopo residentiali (c. 1299). *a*) Etiam si Cardinalis fuerit, eius sacra supellex cedit *ecclesiae cathedrali.*

Excipiuntur tamen *anuli* et *cruces pectorales,* etiam cum reliquiis, salva dispositione c. 1288 de reliquia s. crucis ; excipiuntur etiam omnia *utensilia* quae legitime probentur *ab episcopo defuncto comparata* fuisse bonis ad ipsam ecclesiam non pertinentibus, si non constet eadem in ecclesiae proprietatem transiisse (c. 1299, § 1).

b) Si duas vel plures dioeceses successive rexerit, aut simul praefuerit duabus vel pluribus dioecesibus unitis aut in perpetuam administrationem concessis, cathedralem habentibus propriam et distinctam, tunc : si constet utensilia reditibus unius tantum dioecesis fuisse comparata, ea eiusdem ecclesiae cathedrali cedunt. — Si hoc non constet, praecipitur divisio, aequis partibus, inter singulas ecclesias cathedrales, dummodo dioecesium reditus ne sint divisi ; etenim, si divisi fuerint, ac separati, divisio fiat inter singulas ecclesias cathedrales pro rata fructuum quos in singulis dioecesibus episcopus perceperit, ac temporis quos iisdem praefuerit.

Itaque ut comparentur inter se fructus singularum dioecesium, annui reditus per numerum annorum vel mensium quos ecclesias singulas rexerit sunt multiplicandi.

Si episcopus successive rexerit plures dioeceses, reditus necessario erunt divisi ac separati.

c) Ad vitandas confusiones, episcopus debet authentica forma praesto habere *inventarium* in quo, « pro rei veritate quando acquisita sint », sacra utensilia exprimat, et « distincte describat si qua non ex ecclesiae reditibus, sed ex propriis bonis vel ex donatione sibi facta comparaverit ; secus omnia reditibus ecclesiae comparata praesumuntur » (c. 1299, § 3).

Propria bona hic distinguuntur a redibus beneficii seu mensae episcopalis.

628. - De clerico beneficiato, eadem modo dicta valent, si in aliqua ecclesia beneficium saeculare vel religiosum obtinuerit (c. **1300**).

629. - Canon **1301**, § 1 consequenter obligat S. R. E. Cardinales, episcopos residentiales, et clericos beneficiatos, ut testamento vel alia ratione curent ut modo dicta praescripta etiam in foro civili effectum sortiantur. Id maxime parochis commendandum esse monet Claeys-Simenon, n. 866.

« Quamobrem tempestive ac forma iure civili valida personam

integrae famae designent *ad normam* c. 380, quae, adveniente ipsorum morte, non solum sacram supellectilem, sed etiam libros, documenta aliaque quae ad ecclesiam pertinent et in eorum domo reperiuntur occupet et cui debentur remittat » (c. 1301, § 2).

Canon 380 vult ut statim a capta possessione episcopus sacerdotem designet qui, sede vacante aut impedita, clavem secreti tabularii assumat. Verba *ad normam* istius canonis, hic significant simile praeceptum in causa affini.

III. DE SACRAE SUPELLECTILIS USU

630. - Episcopo ius est obtinendi *gratis* ab ecclesia cathedrali, quod ad usum, sacram supellectilem et omnia quae sive ad Missam celebrandam, sive ad functiones pontificales necessaria sunt; idque sive celebret sollemniter, sive privatim ; sive in ipsa cathedrali ecclesia sive in aliis ecclesiis, civitatis tamen aut suburbii (c. 1303, § 1).

Quod dicitur de episcopo valet de iis qui in sacra functione, ad normam legum liturgicarum, ei assistere debent : episcopo tribuitur quod pro sua functione necesse est ut alii habeant.

631. De aliis sacerdotibus (c. 1303, § 2. 3. 4). *Regula generalis* est, Codice *non commemorata*, ab iis qui titulo beneficii aut capellaniae celebrant in aliqua ecclesia et qui proin repelli non possunt, seclusa peculiari conventione, percipi posse taxam utensilium.

Quod de ipsis *vicariis parochorum* dicendum putat GASPARRI, *De ss. Eucharistia*, n. 671. Quare, ut ipse concludit n. 674, si ecclesia his suppeditat eleemosynam pro missis, pars ista de eleemosyna detrahi potest, cavendo semper ut tot missae dicantur quot erant postulatae. Nec refert ecclesiam non esse pauperem aut non carere reditibus.

Sed cum ius sileat, attendendum est quid usus ferat. Cf. CLAEYS-SIMENON, n. 869, nota 3.

Alii autem sacerdotes non debent admitti a rectore ecclesiae, ad celebrandum, saltem habitualiter in sua ecclesia (Cf. dicta n. 76 supra).

Si autem admittuntur, per se nihil ab ipsis exigi potest, praeter strictam expensarum compensationem. Attamen, « si ecclesia paupertate laborat, potest Ordinarius permittere ut a sacerdotibus qui in proprium commodum inibi celebrant, propter utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria, moderata stipes exigatur » (§ 2). Definitio ista pertinet ad episcopum (vel ad Antistitem loci) secluso Vicario capitulari, aut, sine speciali mandato, Vicario generali. Vult demum Codex, ut stipes ista in dioecesana synodo, si fieri potest, definiatur, aut extra synodum, audito Capitulo. Nemo, ne religiosi exempti quidem, maiorem exigere possunt.

Quid, si nulla taxa sit definita sive ab episcopo sive usu, et ecclesia regularis paupertate laboret? Videtur tunc ipse Ordinarius religiosus in sua ecclesia

moderatam compensationem expensarum petere posse. In § enim 2, Codex simpliciter nominat Ordinarium, non addendo, Ordinarium *loci*. Atque id ante Codicem admittebatur. Cf. v. g. LEHMKUHL, II, 274.

IV. DE BENEDICTIONE ET EXSECRATIONE

632. - Quaenam supellex benedicenda sit. Omisso hic sermone de calice et patena, quae *consecranda* sunt, *benedici debent* cuncta quibus specialis ritus benedictionis in Pontificali vel Rituali assignatur (sic GASPARRI, *De ss. Eucharistia*, n. 710 et WERNZ, n. 515). Benedici igitur debent : *tabernaculum*, proprie dictum, sicut *S. R. C.* respondit 20 iun. 1899, ad IV (*Decr. auth.*, n. 4035) ; *corporale cum palla*, *vestes sacrae sacerdotum*, non excluso, secundum sententiam probabiliorem, *cingulo* ; *caligae* et *sandala* pro functione pontificali ; *mappae* altaris.

Omnino *suadenda* est benedictio *pyxidis* et *lunulae* ostensorii, quam plures putant esse praeceptam. (Cf. GASPARRI, n. 1008. 1031.) Sumitur benedictio vasculi pro ss. Eucharistia conservanda.

Benedici *potest* totum *ostensorium*, *cappa*, *superpelliceum*, *purificatorium*.

Gremiale episcopi et *velum humerale* benedici possunt sed non consueverunt.

633. - Benedictionis auctores (**c. 1304**). Benedictiones istas impertire possunt :

« 1° S. R. E. Cardinales et Episcopi omnes ;

« 2° Locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii ;

« 3° Parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis ;

« 4° Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis ;

« 5° Superiores religiosi, et sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum ».

Ad n. 3m. Rector meri oratorii non potest quod solum rectoribus *ecclesiarum* permittitur. Ita DE MEESTER, n. 1280, nota 5.

Ad n. 4m. Quia potestas Ordinarii loci intra fines iurisdictionis delegandа est, videtur delegatus non posse licite benedicere supellectilem nisi pro ecclesiis et oratoriis territorii delegantis. Sic etiam DE MEESTER, op. c. n. 1280, nota 6.

Ad n. 5m. *Moniales* nominantur, quia propria ipsarum condicione sub iurisdictione Regularium collocatae sunt. Non sufficit enim quaevis relatio dependentiae.

Quid, si sacerdos alius supellectilem illegitime benedicat? Ex c. 1147, § 3, *valida* dicenda est ista benedictio, cum nihil expresse dicatur de invaliditate, nec in Codice, nec in formula benedictionis. Ita etiam CLAEYS-SIMENON, n. 869, et DE MEESTER, n. 1280.

Res semel benedictae pro usu cuiuspiam ecclesiae, non debent iterum benedici, quando ad aliam ecclesiam transferuntur, etiam si benedicenti potestas erat facta tantum pro suis ecclesiis.

Quaeres, an alii atque hoc canone expresse indicati, v. g. *parochi*, possint delegare facultatem benedicendi? Etsi, ex iuris principiis, R. P. CAPPELLO, n. 144, id fieri posse existimet, cum facultas videatur facta ut ordinaria, id tamen negandum est quia agitur de facultate benedicendi : cf. n. 465. Cura qua praeterea ipse Codex indicat quinam alios designare possint, nobis sententiam contrariam persuadet. Sacerdotes, ex c. 1304, 5° sunt *ab Ordinario* designandi. Nobiscum CLAEYS-SIMENON, n. 869.

634. - Exsecratio (c. 1305). « § 1. Sacra supellex, benedicta aut consecrata, benedictionem aut consecrationem amittit :

« 1° Si tales laesiones vel mutationes subierit ut pristinam amiserit formam, et iam ad suos usus non habeatur idonea ;

« 2° Si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit ».

De priore exsecratione haec exempla afferunt : si, in imo calice, foramen fuerit ; si manica ab alba cui *consuta erat* abscindatur ; si cingulum ita scindatur, ut iam neutra pars sufficiat cingendo sacerdoti.

De altera exsecrationis causa observant, non haberi pro indecoro usum sacrae vestis factum a sacerdote degradato vel sectae haereticae, sive calicis sive paramenti sacri.

De tertia exsecrationis causa, « si... publicae venditioni exposita fuerit » observes ad eam non requiri factam venditionem, sed satis esse ut res *exponatur* publicae venditioni ; *publicae* venditioni inquam, non mere privatae quae inter duos v. g. praelatos vel ecclesias absolvitur. Publica autem venditio maxime est auctio seu venditio sub hasta ; est etiam quae fit in taberna rerum quae omnibus prostant.

Voluntaria exsecratio reprehendenda est, sed propter iustam causam, licet deformare rem sacram in usum non sordidum. Cf. *Per.*, XIV, (80) ss.

Exsecrata supellex iterum est benedicenda vel consecranda.

« § 2. Calix et patena non amittunt consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae, salva tamen, priore in casu, gravi obligatione rursum ea inaurandi ».

Sic authenticam habemus solutionem eamque optimam, ad sedandos scrupulos eorum qui in aliena ecclesia celebrant, et quibus offertur calix cuius inauratio fere periit : ipsi possunt sine scrupulo calicem adhibere, sed gravis obligatio premit rectorem ut novam inaurationem procuret.

V. SACRAE SUPELLECTILIS CONTRECTATIO ET LOTIO

635. - Contrectatio. « Curandum ne calix cum patena et, ante lotionem, purificatoria, palla et corporalia, quae adhibita fuere in sacrificio missae, tangantur nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent » (c. 1306, § 1).

Iusta tamen causa permittit ut laicus calicem tangat, v. g. ut inauretur.

Consulto dicitur « corporalia quae in sacrificio missae adhibita fuere » ; quia alius usus, v. g. pro benedictione Sanctissimi, illi contrectationi minime obstat. Qui custodiam istarum rerum habet potest esse sacrista laicus vel etiam Soror. Non videmus cur R. P. AUGUSTINE putet supponi esse clericum : quod inutilem faceret disiunctionem *vel*.

636. - Lotio. « Purificatoria, pallae et corporalia, in missae sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis etiam religiosis, nisi prius abluti fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto ; aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem » (c. **1306**, § 2).

Non sufficit ergo licentia Ordinarii ut religiosae possint primam lotionem facere, sed indultum S. Sedis est necessarium. Observes solam primam lotionem mittendam esse in sacrarium vel in ignem.

TITULUS XIX

DE VOTO ET IUREIURANDO

(c. 1307-1321)

Scriptores : SUAREZ, *De Religione*, Tr. VI, L. 1-6. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, III, n. 572-585. — AUGUSTINE, O. S. B., *A commentary*, t. VI, in hos canones. — C. DAMEN, C. SS. R., *De irritatione et suspensione votorum*, in *Apollinaris*, I, 469 ; II, 53. 306. 495 ss. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, Q. 398-402.

Ordo Codicis ipso titulo indicatur : in priore capite de voto, in altero de iureiurando agit.

Caput I. - De Voto

637. - Definitio et obligatio. C. **1307**, « § 1. *Votum*, id est *promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore*, ex virtute *religionis* impleri debet ».

Itaque requiritur *promissum* et non mere propositum ; quod non ex sola voce *propono* vel *promitto* colligendum est sed ex eo quod quis specialem obligationem assumere intenderit vel non.

Deliberata debet esse ea saltem deliberatione quae ad mortaliter peccandum sufficiens est. *Saltem*, dicimus, quia nec omnis aetas nec omnis deliberatio peccato mortali sufficiens, omni voto satis est. Etenim, ut sponte assumas obligationem, oportet non solum ut noveris quid sit obligatio, sed opus est ut quantitatem obiecti satis clare noveris.

are, seclusis votis quibus status initur et quae propterea maiorem stulant stabilitatem seu firmitatem, non vovit qui, si rem melius ovisset, non vovisset.

Libera debet esse promissio. Libertati officit *metus*. Ex iure saltem ositivo c. 1307, § 3 : « votum metu gravi et iniusto emissum, ipso re nullum est ».

Metus *levis* non praesumitur in foro externo causam voto dedisse. Si quis *solo metu levi sed iniusto*, et propter nullam aliam rationem voverat, votum obabiliter non valet, quia Deus tale votum acceptare non censetur, ne viam iustae coactioni sternat. Id tamen controvertitur. Quando autem metus non t extrinsecus vel non iniustus, nihil valori voti obstet, nisi tantum fuerit ut, imo perturbato, vovens non fuerit sui compos.

Quaeres utrum necne, ut votum non valeat, requiratur metus incussus *ad torquendum consensum ?*

In c. 1307, **expresse** non apponitur condicio ista quam, ante Codicem, exigeant etiam ii, v. g. Ballerini-Palmieri, *Op. theol.* II, 609, qui admittebant, ullum esse votum propter metum iniuste incussum. Namque plures, et quidem rimi subsellii scriptores, nullitatem simpliciter negabant. Sic, v. g. Wernz, III, . 576, post Suarez et Schmalzgrueber. Dicemusne iam cum Noldin, *Praecepta*, n. 210, suppressam esse istam condicionem, ita ut votum semper sit invadum, etiamsi ob alium finem metus sit incussus ? Huic sententiae favere videtur R. P. Augustine, in c. 1307, cum invalidum pronuntiet votum factum *sub influxu* gravis et iniusti metus. Minus liquet quid putet R. P. Prümmer, Q. 399, lum condicionem valoris voti hanc ponit : « Ne ex gravi et iniusto metu inducantur ad vovendum ».

Sententiam Noldin amplectimur, dummodo rite intellegatur. Metus enim potest esse causa vel mere occasio voti. Est *causa* voti, quando voventi sola optio voti vel mali subeundi praesto erat : ponas duos aemulos qui eandem puellam ducere velint. Alter duorum insidias aemulo struit. Dum eum est occisurus, is, ad vitam salvandam, votum emittit coram inimico ingrediendi religionem : votum est ex metu iniusto, quamvis metus non sit incussus ad votum extorquendum. *Occasio* voti erit metus, quando votum consiliis iniusti aggressoris nullatenus favet ; ut si, invasus a latrone, rationabilem promissionem Deo facias ut incolumis evadas.

Iam vero, in solo priore casu votum dicemus nullum. Nam in solo isto casu votum est re vera metu iniusto factum. Nec videtur, cur rationabilis promissio Deo facta minus valida esse debeat quam promissio facta homini quem advoces ut te a latrone defendat. Invasio latronis se habet omnino sicut periculum ex naufragio vel ex alia causa necessaria manans.

Nostra distinctio etiam firmatur systemate Codicis, qui, agens de metu quo vitiatur matrimonium, non postulat quidem ut metus sit ad extorquendum consensum incussus, sed vult tamen ut metum passus, « ut .. se liberet, eligere cogatur matrimonium ». Cf. dicta supra, n. 376. Denique, bene explicatur, in Codice solvi benigniore modo controversiam de valore voti quod iniustis alterius artibus faveret ; non autem intellegitur cur Codex induceret sententiam cui nemo ante Codicem calculum adiecisset.

Libertati etiam obest *error*. Error de *substantia* materiae promissae, vel de *condicione* ita implicite supposita, ut votum secus numquam emissum fuisset, vel de *causa finali*, ut si voveas ad obtinendam sani-

tatem personae quae iam convaluit vel mortua est : huiusmodi errores votum efficiunt nullum.

Immo quilibet error qui voto vere causam dederit sufficit per se ut obligatione immunis censearis. *Error* tamen, *excepto* errore *proprie substantiali, non vitiat professionem religiosam vel susceptionem ordinis sacri.* Bonum enim tam privatum quam publicum postulat ut quae statum firmum et irrevocabilem constituunt, non facile nutent et paucis condicionibus obnoxia sint. Cf. dicta I, 197.

Deo facta dicitur promissio. Votum enim fit proprie Deo, et est actus latriae. Duplici tamen ratione possumus votum facere *in honorem sanctorum :* eorum cultus potest nos impellere ad votum faciendum Deo, quia hoc est sanctis honorificum ; et quaedam Deo promittere possumus ad obtinendum ut sancti magis honorentur. Possumus quoque promissionem sancto factam voto confirmare. Non prohibemur enim ipsis sanctis simpliciter vel condicionate honores quosdam vel obsequia promittere : distincta tunc a voto sed analoga tamen exsurget obligatio duliae vel hyperduliae, quae genere suo gravis manet. (In promissionibus quae totam vitam afficiunt haec non consueverunt fieri.)

De bono, nam promissio rei malae nec Deum honorare nec Ei accepta esse potest.

De bono *possibili.* Res enim proprie impossibilis efficaciter intendi aut promitti nequit. *Quid, si votum moraliter impleri nequeat ?* Hic distinctione opus est. Si enim in promissa serie, accidentales deficientiae utilitatem voti non impediant, valorem voti quod substantialiter implebitur, non tollent. Sic valebit votum faciendi semper perfectiora, factum a probata persona, quamvis eadem persona non possit valide vovere se numquam peccaturam, ne venialiter quidem. Forma enim haec negativa efficit ut unum peccatum tollat substantiam voti, dum unum peccatum non impedit quin substantialiter impleta sit promissio positiva faciendi quae sunt perfectiora.

De bono meliore, sive, ut optime explicat WERNZ, « de actu virtutis non impediente meliorem. Omne enim votum inducit obligationem, sed nequit inducere obligationem ad non faciendum quod melius est ». Bonum ergo intellegitur quod melius sit quam eius voluntaria praetermissio. Ideo non omne votum etiam nubendi erit statim nullum, cum ipsae nuptiae possint esse praeceptae, et actus praecepti valide vovantur ; sed votum istud non prohibebit electionem status melioris matrimonio ; secus enim esset de bono minore qua tali, quod non licet.

Post datam definitionem, Codex eodem **c. 1307**, § 1, addit obligationis speciem, quam merito refert ad virtutem *religionis.*

638. - Vovendi capacitas. « Nisi iure prohibeantur, omnes congruenti rationis usu pollentes sunt voti capaces » (c. 1307, § 2).

Canone isto docemur ipsam vovendi capacitatem iure ecclesiastico restringi posse. Ac re vera, perpetua religionis vota irrita sunt ante 21 annos aetatis completos (c. 575). Praeterea vota omnino firma fieri nequeunt a minoribus non emancipatis, a religiosis post professionem. Capacitas etiam metu gravi et iniusto tollitur, ut modo dictum est.

Naturalis autem capacitas exigit congruentem rationis usum. « Congruentem » i. e. ipsi materiae proportionatam, ut diximus explicando deliberationem requisitam. Quare ad suscipiendam obligationem perpetuam, ipso iure naturae requiritur maturitas plenior quam quae sufficit ad peccandum mortaliter.

639. - Votorum divisio. « Votum est *publicum*, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur ; secus *privatum* » (c. 1308, § 1).

Publica igitur sunt vota coniuncta cum ordine sacro et cum professione religiosa. Dicuntur autem nomine Ecclesiae acceptari, quatenus ipsa Ecclesia, quae ministros sacros et religiosos profitendis votis deputat, eadem per Superiorem ecclesiasticum recipit.

Nec confundi potest votum *publicum* cum voto quod palam vel in publico emittitur ; nec votum *privatum* cum voto quod fit *sine testibus* saltem non requisitis seu necessariis.

2. « *Sollemne* (1), si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum ; secus *simplex* » (c. 1308, § 2).

Hac sua descriptione, Codex quaestionem de essentia sollemnitatis non attingit. Hanc reponimus in *plena voti authentia in facie Ecclesiae*, seu acceptatione perfecta Ecclesiae, propter quam, sub speciali tutela Ecclesiae positum, votum maiore firmitate et aliis effectibus iuridicis donatur.

Alii essentiam posuerunt *in perfecta* voventis *traditione* simul cum eius acceptatione, nomine Dei per ministerium Ecclesiae habita, quae efficit ut per votorum sollemnitatem, quis sit perpetuo sacratus Deo (sic Gregorius de Valentia et recentiores Thomistae) ; alii, *in spirituali consecratione*, qua irrevocabili modo persona existimatur mediate a Deo, immediate ab Ecclesia deputari et devinciri Deo in votorum materia (Lehmkuhl, *Theologia moralis*, I, 500) ; alii substantialem votorum sollemnitatem explicarunt *per aliquos effectus morales*, praecipue per vim irritandi actus contrarios. (Sic Suarez et ipse Wernz. Cf. nostras *Quaestiones de Religione*, n. 142, ss.)

3. « *Reservatum*, cuius dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest » (c. 1308, § 3).

---

(1) De sollemnis professionis relaxatione et de sententia S. Thomae scripsit in *Revue Thomiste*, 1922, p. 399, ss. R. P. Mercier, O. P. Ipsi responderunt redactores ephemeridis, 1923, p. 179 ss, ; 311 ss. ; 1924, p. 568 ss. Responsa ista ad crisim revocavit R. P. Mercier, *Revue Thomiste*, 1925, p. 375 ss. Communis inscriptio lucubrationum est : *A propos des vœux solennels de religion.*

Observes, cum vinculum voti ipsi Deo obliget, votum per se non posse relaxari nisi auctoritate illius cui soli dictum est tamquam personae singulari : « Quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis » (MATTH. 16, 19). Omne ergo votum est per se reservatum S. Sedi, et non dispensatur nisi ex potestate expresse vel tacite communicata a successore S. PETRI (1).

4. « *Personale*, quo actio voventis promittitur ; *reale*, quo promittitur res aliqua ; *mixtum*, quod personalis et realis [voti] naturam participat » (c. 1308, § 4).

Res quae promittitur in voto reali non est actio saltem *propria*, sed res *exterior* promittenti. Exemplum voti mixti erit votum peregrinationis cum liberalitate.

5. Votum praeterea distinguitur *absolutum* et *condicionatum*. Condicionatum non fit ex mera aestimatione boni promissi, cum aliqua addatur condicio utilitatis vel necessitatis vel gratiae obtinendae. Inter condicionata numeratur votum *poenale*, quo aliqua expiatio paenitentiae vel boni operis promittitur, si quidpiam minus rectum fuerit actum.

640. - Vota reservata. « Vota privata Sedi Apostolicae reservata sunt tantummodo votum *perfectae* ac *perpetuae castitatis* et votum *ingrediendi in religionem votorum sollemnium*, quae emissa fuerint ***absolute*** et *post completum decimum octavum aetatis annum* » (c. **1309**).

Votum servandae *virginitatis*, ita intellectum ut post lapsum factum sit impossibilis impletionis, votum *caelibatus*, quod etiam per contractum matrimonium irreparabiliter destruatur, sicut ipsum votum *castitatis coniugalis*, non sunt vota castitatis perfectae. Ipsa castitas debet promitti perpetua, ut sit votum reservatum. Nec votum censetur perfecte factum, nisi obliget secundum capacitatem materiae. Quare, votum castitatis sub *levi* promissum non est reservatum, etiam si agatur de castitate perfecta et perpetua.

Religio *votorum sollemnium* intellegenda est ea quae, etiam in praesenti, habet vota sollemnia. Quare votum ingrediendi in religionem plurium monialium quae etiam nunc in Belgio et in Gallia non emittunt nisi vota simplicia, non est reservatum. Redeunt dicta de necessitate obligationis gravis ut sit votum reservatum.

Neutrum votum est reservatum, si sit poenale vel emissum condicionate.

Denique, et hoc novum est, neutrum est reservatum, si factum fuerit ante completum decimum octavum aetatis annum.

Ante Codicem reservabantur quoque vota privata trium peregrinationum Hierosolymitanae, ad sepulcrum Domini ; Romanae, ad limina Apostolorum Petri et Pauli ; Compostellanae ad templum s. Iacobi Maioris.

Quaeres, quid de *votis publicis* sit dicendum ?

---

(1) Cf. SCHMALZGRUEBER, in L. 3, t. 34. *De voto et voti redemptione*, n. 103, et WERNZ, III, n. 584. Sunt tamen qui existiment hanc dispensandi potestatem ita cum munere episcopali cohaerere, ut a Romano Pontifice restringi, non autem auferri possit. Cf. LEHMKUHL, I, n. 619.

Eorum dispensatio vel commutatio ipso regimine legali ordinatur. Cf. cc. 214. 633-636. 640. 648. 669. Non occurrentibus casibus in quibus facultas sic datur aliis personis ibidem designatis, vota ista dici possunt reservata, qua talia, S. Sedi. Itaque *in solis votis privatis divisio votorum in reservata et non reservata attendenda est.*

641. - Obligationis extensio (c. 1310). « § 1. Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem ».

Ratione sui, i. e. propria voti obligatione. Quare, etiam si Superior communitatis civilis vel religiosae fecerit votum nomine communitatis, voto non tenebuntur nisi qui re vera votum fecerint. Verum, pro potestate quam habet, Superior poterit subditos obligare ad materialiter implenda quae ipse vel decessor promiserit. Sic, lex imponit Romanis ieiunium votivum in pervigilio Purificationis. Privati autem ieiunii violatores non alia, sed ea specie peccati peccabunt qua peccant dum aliud ieiunium violant.

C. 1310, « § 2. Voti *realis* obligatio transit ad heredes, item obligatio voti *mixti*, pro parte qua reale est ».

Habemus sic claram iuris dispositionem quae heredi imponit obligationem implendi vota defuncti cui succedit, qua parte sunt realia.

Quo titulo urgenda est obligatio ? Eodem, ni fallimur, quo tenebatur vovens : is habebat obligationem religionis ; heres quoque ex religione tenebitur. Secus votum non simpliciter transit, sed in aliam obligationem convertitur.

Aliter sane dicendum erit, si ipse vovens in testamento suo heredi onus imposuerit implendi votum ab ipso factum : ipse tunc creat obligationem iustitiae.

Plerique tamen affirmant obligationem heredis esse iustitiae ; eamque non oriri ex iure positivo sed ex iure naturali. Scilicet fideli agmine sequuntur Suarez sic ratiocinantem : « Per votum reale fit homo debitor Deo illius rei in quam votum cadet ; sed bona defuncti sunt obnoxia solutioni debitorum eius (1) ». Ergo qui eadem accipit, ea acquirit affectata isto onere reali quod solutione tollere debet. — Numquam tamen potuimus vim percipere istius ratiocinii, quod nobis videtur peccare manifesta confusione debiti ex iustitia cui erga hominem est satisfaciendum, et debiti ex religione erga Deum. Quonam pacto quod de debitis iustitiae erga homines probatur, gratis, sine argumento, transfertur ad obligationem religionis ? Suntne bona defuncti obnoxia solutioni debitorum quae non sunt ex iustitia ? Hoc praecise venit in quaestionem. Quare istud simpliciter affirmare et dein uti affirmatione tamquam argumento, est petere principium. Fingamus hunc casum concretum. Titius promisit Deo (per votum) pecuniam pro aedificatione ecclesiae. Subinde, mutata bona voluntate in malam, votum implere recusat. Contra quamnam virtutem peccabit ? Omnes respondebunt : contra religionem. Deinde Titius, sic male affectus moritur. Quonam miraculo obligatio quae erat tantum religionis in vovente, fieret,

(1) *De religione*, tr. VI, L. 4, c. 11, n. 7.

de se, obligatio iustitiae in herede? Negata autem obligatione iustitiae, nec obligatio religionis demonstrari potest, secluso iure positivo. Votum enim, ratione sui, ut ipse Codex nos docet, non obligat nisi emittentem. Vel alias : obligatio voti est cuiusdam fidelitatis ad Deum (1). Obligatio autem ex fidelitate, nisi promittens heredem suum testamento obligaverit, non transit ad heredem. Cur in nostra causa aliter erit dicendum?

Excipimus, ut manifestum est, si tertius quidam ex voto acceptato ius acquisierit. Tunc enim ipse vovens et consequenter eius heres vel successor universalis ius istud observare debent.

Nec, nostra sententia, tacita voluntas voventis sufficiens fuerit imponendae obligationi iustitiae. Tacita enim voluntate non fit testamentum, ne ad causas quidem pias.

Si autem obligatio est repetenda ex iure positivo et pertinet ad religionem, normae ordinariae de dispensatione vim suam servabunt ; dum, si fingas obligationem iustitiae, solus S. Pontifex qui pias voluntates condonare potest, potestatem habet obligationem remittendi.

Cf. quae scripsimus *Quaestiones de religione*, n. 138.

642. - Voti cessatio. « Cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi, mutatione substantiali materiae promissae, deficiente condicione a qua votum pendet aut eiusdem causa finali, irritatione, dispensatione, commutatione » (**c. 1311**).

Sic Codex quattuor rationes indicat cur votum cesset ab *intrinseco*, seu per se ; tres deinde, cur cessare possit ab *extrinseco*, interveniente actu alio positivo.

Ac modi cessationis ab intrinseco ad hanc communem explicationem referuntur, obligationem voti non esse ultra intentionem voventis urgendam, intentionem autem voventis non fuisse ut in casibus indicatis, subsisteret votum.

De tribus modis extrinsecis agitur successive in canonibus sequentibus.

643. - Voti irritatio (c. 1312). *Irritatio* voti est eius *ablatio per usum iuris contrarii quo irritans potitur.* Haec definitio tum directam tum indirectam irritationem complectitur. Directa fieri potest ab eo qui ius habet dominationis in ipsam voventis voluntatem, seu melius *in personam quae non est sui iuris* ; et is potest semper valide, et ex iusta causa etiam licite, penitus auferre omnia vota, interioribus non exclusis, *tempore subiectionis* facta, sive tempus praesens, sive tempus futurum respiciant, « ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat » (c. 1312, § 1).

Si ius autem est mere in *materiam voti*, ius habens non potest nisi obligationem voti suspendere, quam diu voti adimpletio ipsi praeiudicium affert. Sic c. 1312, § 2, melius nomine suspensionis quam irritationis indirectae appellat istam potestatem. Haec longe minor est

(1) *Summa theologica*, 2, 2, q. 88, art. 3.

riore, sive efficaciam eius sive vota ad quae applicatur consideres. Minime enim erga omnia vota exerceri potest sed erga ea sola quorum impletio ipsius iuri exercendo obstaret.

Cum ipso P. LEHMKUHL, *Theol. mor.* I, 607, arbitramur tam amplam potestatem irritandi omnia vota in perpetuum non haberi per solum ius naturae, e in parentibus quidem, sed ex parte repetendam esse ex iure ecclesiastico. Cf. dicta *Quaestiones de religione*, n. 135.

Potestas irritationis proprie dictae (seu directae) competit patri, tutori, iisque eficientibus vel subordinate ad ipsos, etiam matri respectu minorum natu non emancipatorum. Namque, ex c. 89, minor natu in eorum potestate manet. lim ad impuberes restringebatur. Cur hodie auctores etiam dent istam potestatem avo paterno nescimus (1).

Competit quoque Superiori religiosorum et Superiorissae quod ad vota facta post professionem religiosam, exceptis votis quae pars sunt professionis religiosae t ipsam facultatem irritandi fundant, et voto transeundi ad religionem strictiorem : quia materia ista est universali religiosorum subiectioni subtracta.

Facultas ista non habetur erga *novicios*. Non habebatur sub iure superiore (2). Nec c. 561 tribuit Magistro et Superioribus pleniorem istum dominatum qui ad rritationem requiritur. Potestas enim irritandi oritur ex voto oboedientiae, uo novicius caret ; nec privatum novicii votum possit verum creare Superiorem cum potestate dominativa.

Competitne *marito* respectu uxoris ? Res controvertebatur (3), nec Codex controversiam dirimit. Hodie non alio probabili fundamento niti videtur haec potestas nisi tacita approbatione Ecclesiae, quae plurium theologorum placito e satis accommodat ut sufficientem potestatem merito dare censeatur, qua vota uxoris irritare possit.

Nullo autem noviciorum voto impeditur Magister quin novicio praescribat uae ad noviciorum institutionem pertinent, ita ut potestas irritationis indirectae, seu potius suspensionis votorum quae novicii institutioni obstarent minime it neganda.

644. - Voti dispensatio (c. 1313). « Vota non reservata possunt iusta de causa dispensare, dummodo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum ;

« 1° Loci Ordinarius, quod attinet ad omnes suos subditos atque etiam peregrinos ;

« 2° Superior religionis clericalis exemptae, quod attinet ad personas quae can. 514, § 1 enumerantur ;

« 3° Ii quibus ab Apostolica Sede delegata fuerit dispensandi potestas ».

Haec dispensandi potestas, ut iam diximus, manat ex potestate quam habet auctoritas ecclesiastica relaxandi, nomine Dei, debitum quo fundatur applicatio legis divinae quae impletionem voti urget. Potestas ista continetur verbis : « Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis » (S. MATTH. 16, 19).

(1) Hoc faciunt ARREGUI, n. 213; GENICOT-SALSMANS, I, 235. — Codice ampliatam esse potestatem negat R. P. DAMEN, cum non nullis aliis, *Apollinaris*, 1929, 506. ss.
(2) Cf SUAREZ, *De religione*, tr. 6, l. 6, c. 7, n. 11 et c. 11, n. 8.
(3) Pendebat ex interpretatione c. *Noluit*, LEHMKUHL, II, 610, S. ALPHONS. L. 3, n. 233.

Cum dispensatio fiat nomine Dei, est semper actus inferioris, ac proin iustam causam requirit, qualis est, in hac re, praeter commune bonum Ecclesiae, rei publicae, familiae, maior ipsius voventis profectus, periculum transgressionis, magna exsecutionis difficultas, magni scrupuli in exsecutione, imperfectio actus qui satis inconsiderate effectus est.

Ac, ne nimii scrupuli nascantur, censent auctores valere dispensationem concessam bona fide, cum errore de *sufficientia* (non de exsistentia) causae.

Ius quaesitum, quod inferior S. Pontifice tollere nequit, habetur in votis in quibus intercedit quaedam ratio contractus onerosi, ut *in votis quae fiunt in religione* ; habetur quoque in *votis acceptatis a tertio et principaliter in eius utilitatem factis*. Nam, si honor Dei fuit principalis causa susceptae obligationis, alter non acquisivit ius nisi dependenter a Deo cui promissio servanda est.

Dum expresse permittit ut loci Ordinarius dispenset etiam *peregrinos*, Codex benigne solvit controversiam quae ante Codicem agitabatur.

Superior religiosus qui dispensare permittitur est etiam localis, dummodo pertineat ad religionem clericalem exemptam.

Personae quas dispensare potest sunt, ex c. 514, § 1, non solum professi et novicii, sed etiam laici qui diu noctuque in religiosa domo degunt causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis.

Etsi expresse potestas addicitur iis qui *ab Apostolica Sede* delegati fuerint, delegatio tamen concedi quoque potest ab Ordinariis loci, cum ordinariam habeant facultatem dispensandi. Atque in facultatibus communicatis a S. Sede, subdelegabilis potestas dispensandi vota contineri potest, v. g. in facultatibus Propagandae Fidei.

Delegari autem a S. Sede consueverunt Nuntii, Delegati Apostolici vel alii Legati S. Sedis, ac praeterea confessarii Ordinum mendicantium vel similiter privilegiatorum, secundum concessionem et moderationem suorum Superiorum : quae potestas etiam extra sacramentum exerceri potest. (Cf. *Per.* XII, (69) ss. commentarium facultatum Legatorum Apostolicorum.)

645. - Votorum commutatio. « Opus voto non reservato promissum potest in melius vel in aequale bonum ab ipso vovente commutari; in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi ad normam c. 1313 » **(c. 1314).**

Commutatio facta ab ipso vovente non est nisi alia oblatio pro re prius promissa. Ante Codicem permittebant substitutionem operis melioris, utpote quod Deo magis placeret. Codex nunc permittit etiam substitutionem spontaneam operis aequalis, excipiens tamen opus promissum voto reservato. Nihilo

minus arbitramur manere facultatem offerendi opus *certo melius*, in locum operis promissi etiam per votum reservatum.

Commutatio autem auctoritative facta ab eo qui facultatem habet, non est simpliciter partialis dispensatio, de qua dici possit : « qui potest plus, potest minus » ; ita ut qui dispensare possit, possit et commutare ; sed infert, praeter potestatem relaxandi, facultatem ligandi seu imponendi aliud opus. Attamen, ex intentione commutantis colligunt, integrum manere ei cui votum commutatum est ut ad pristinum opus redeat, quod ceterum erit per se opus melius.

Nulla causa requiritur ut commutatio fiat in opus melius ; ut fiat in opus aequale, sufficit causa levis ; immo, quando fit auctoritate Superioris, sufficit maior propensio ad aliud opus, minus transgrediendi periculum.

Et in dubio de aequalitate, sufficit notabilis molestia in opere implendo.

Observes quoque non esse reservatum opus in quod votum reservatum legitime commutatum fuerit.

Demum facultas data *dispensando commutandi*, facultatem commutandi extendit ad aliquam dispensationem ; facultas vero *commutando dispensandi* restringit facultatem dispensandi, cum opus quoddam substituendum sit ; dum in simplici dispensatione, nullum opus substituitur.

In c. 1314, norma canonis praecedentis inculcatur, ut memores simus iustam postulari causam quando commutatio fit in opus minus bonum, et attendendum quoque esse ne ius quaesitum laedatur.

646. - « Vota ante professionem religiosam emissa **suspenduntur**, donec vovens in religione permanserit » (**c. 1315**).

Canone isto ius praecedens non nihil mutatur. Antea enim, simplex professio vota per se intacta linquebat, dum omnia vota anteriora sollemni professione tollebantur. Nunc autem effectus communis statuitur omnis professionis religiosae, sed effectus tantum suspendendi vota, dum vovens in religione maneat. Id est, ad tollendos scrupulos et difficultates, non sola vota quibus sequenda vita religiosa impeditur, sed etiam ea quae vitae religiosae ducendae non nocent, suspenduntur durante ista vita religiosa, ita ut effectus suspensionis positiva lege extendatur ultra ea quae per se adduceret professio religiosa.

Verum, sicut ante Codicem, nunc quoque poterit religiosus omnia vota sua anteriora non reservata in professionem saltem perpetuam commutare, vel obtinere ut in eam commutentur. Quod ex ipso c. 1314 de commutatione colligitur.

Caput II. - De iureiurando

647. - Notio. Sicut in canone 1307, votum, sic in canone **1316**, § 1, iusiurandum incidenter definitur, consueta definitione, qua dicitur esse « *invocatio Nominis divini in testem veritatis* ».

Invocatio ista, quae ad essentiam iuramenti pertinet, in hoc consistit, quod iurans, quantum in se est, cupiat et velit quod Deus id quod

iurat testetur seu confirmet esse verum (si quando Ipsi placuerit), et simul poenas divinas seu ultionem divinam acceptet, si mentiatur : hoc probant interdum ipsa verba addita : « *Sic me Deus adiuvet* ».

Quatenus autem iuramentum humanam confirmationem adiungat ad narrationem vel promissionem, eius « philosophia » seu vis confirmandi sic explicatur. Qui Deum appellarit in confirmationem falsitatis, Dei reverentiae graviter derogarit, se ipse poenis divinis exponens. Homo religiosus haec non censetur facere velle ; quare, tali interpositione auctoritatis divinae, sua ipse dicta confirmat.

648. - Honestas autem iuramenti supponit observatas condiciones quae verbis consuetis in c. 1316, § 1, proponuntur : « Iusiurandum... praestari nequit nisi in veritate, in iudicio et in iustitia ».

Veritas postulat ut haec dicas quae vera esse putes ea certitudine quam sollemnitas rei prodit, ita ut nullius rationabilem exspectationem frustres. Talis certitudo tacite cum ipsa re, in talibus adiunctis affirmatur.

Iudicium requirit ut iusiurandum fiat cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, et sufficienti utilitate. Haec condicio omni seria causa impletur, eiusque defectus non est nisi venialis, similis vanae usurpationis nominis Dei.

Iustitia sedem propriam habet in iuramento *promissorio*, et vetat ne iures te facturum quod non licet. Accommodatur tamen etiam condicio ad iuramentum *assertorium*, quatenus vetat ne narres rem quam non possis licite, saltem sub iuramento referre. Ac grave foret velle auctoritatem divinam tamquam medium iniquitatis adhibere.

649. - Actus personalis est *iuramentum canonicum*. Quare « iusiurandum quod canones exigunt vel admittunt, *per procuratorem* praestari valide *nequit* » (c. **1316**, § 2).

650. - Divisiones iuramenti. 1) Ex *forma exteriore*, distinguunt iuramentum *verbale*, quod verbis, *reale*, quod actione, v. g. erigendi digitos, tangendi crucem vel evangelium continetur, et *mixtum*, quod utroque signo componitur.

2) Ex ipsa *vi formulae*, est *invocatorium* seu *contestatorium* aut *exsecratorium* seu *imprecatorium*. Priore Deus simpliciter ut testis invocatur ; altero *simul* (ac proin manet invocatorium) ut vindex falsitatis expresse appellatur : sive iurans se ipse, sive alterum dilectum, puta filium, poenis exponat.

3) Ex *ritu* distinguitur iuramentum *simplex* et *sollemne* : quod fit definito ritu coram Praelato, iudice, notario. Ad ritum canonicum pertinet ut fiat personaliter.

4) Ex *obiecto*, distinguitur *assertorium* et *promissorium*. Assertorio, praeterita vel praesentia affirmantur aut negantur ; promissorio, simul intentio praesens affirmatur, et promittitur factum futurum. — Promissorium potest esse *absolutum* vel *condicionatum*.

651. - Vis iurisiurandi (c. 1317). « § 1. Qui libere iurat se aliquid facturum, peculiari religionis obligatione tenetur implendi quod iureiurando firmaverit ».

Agens igitur de iuramento libere praestito, Codex asserit peculiarem obligationem quae inde exoritur, implendi promissum. Non eodem modo ab omnibus explicatur ista religionis obligatio. Communior sententia, post SUAREZ, *De religione*, tr. 5, L. II, c. 2, n. 3, Deum dicit esse quasi *fideiussorem* adimpletionis futurae, quatenus, facto iuramento, iam ipsa faciendi intentio sine irreverentia mutari nequit.

Simul, ut liquet, Deus est, in iuramento promissorio, *testis* invocatus praesentis intentionis seu sinceritatis in promittendo.

« § 2. Iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest ».

Idem ergo Codex qui vota metu gravi et iniusto emissa declarat nulla in c. 1307, § 3, hic valere dicit iuramenta extorta per vim et metum, salva tamen facultate iuramentum relaxandi, quam habet Superior ecclesiasticus competens ex c. 1320.

Discrimen istud iam antiquitus admittebatur. Atque haec ratio datur : ipsa vis irritandi vota non inest in metu secundum se, sed ex lege *positiva* ; cum autem iuramenta frequentius quam vota rebus humanis inserantur, ne, allegata metus excusatione, causa detur peierandi, Ecclesia aliter de iuramento ac de voto statuit. Cf. REIFFENSTUEL, L. I, t. 40, n. 58. 59.

Supponitur tamen fuisse verum iuramentum. Homo enim minis latronum perterritus potuit etiam verba sine animo iurandi pronuntiare, ita ut nullo iuramento teneatur. Atque, ut mox dicetur, si ipsa promissio pecuniae lege civili infirmetur, ipsa relaxatio iuramenti superflua videtur.

« § 3. Iusiurandum, nec vi nec dolo praestitum, quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso, servandum est quoties non vergit in dispendium salutis aeternae » i. e. quotiens id honeste fieri possit.

Communis hic iterum traditur doctrina. Verum si ipsa renuntiatio civiliter infirma fuerit, corruet ipsa vis iuramenti, quod proin non erit dispensandum.

Olim, non autem in praesenti, contractus civiliter nulli confirmabantur adiecto iuramento.

652. - Accessoria ratio iuramenti promissorii (c. 1318). Iuramentum *promissorium semper secumfert aliquam promissionem*, etiam

istud iuramentum quo velim confirmare promissionem anteriorem: nova tunc additur in ipso iurandi actu promissio. Quocirca c. 1318, § 1 hoc principium ponit: « Iusiurandum promissorium sequitur naturam et condiciones actus cui adicitur ».

Quare: *a*) non obligat ante acceptationem promissionis a parte cui offertur, et revocari potest utiliter ad hoc usque momentum; — *b*) explicatur eodem modo quo promissio non iurata explicaretur. Ideo iuramentum servandi decreta, regulas vel statuta cuiuspiam congregationis, universitatis, capituli, mere obligat ad subiectionem quae istis legibus intellegitur deberi. Intellegitur ergo *a*) de statutis editis, non de edendis; — *b*) quam diu et quatenus usu vigeant; — *c*) sub gravi, sub levi, sub consilio, sub poena, prout ipsa res aut lex vigens id postulet; — *d*) demum, corruente obligatione ipsius promissionis, vel ea impedita propter incapacitatem personae, corruit vel impeditur ipsum iuramentum.

Si minor, adhuc minor, iuraverit se non rescissurum pactionem nullam aut rescindibilem a se factam, cum leges nostrae istam confirmationem irritent, ipse nulla dispensatione stricte egere videtur. Nec dispensatio ista, si danda videtur, ullum ius quaesitum tollit.

Nec per iuramentum addi potest firmitas *ad actum lege morali prohibitum*. Quare ipse c. 1318, in § 2 id subiungit: « Si actui directi vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici vel salutis aeternae iusiurandum adiiciatur, nullam exinde actus consequitur firmitatem ».

Iuramentum *in Constitutiones civiles* afficere non potest leges iuri divino vel ecclesiastico contrarias. Quare, si leges huiusmodi ferantur aut urgeantur, clausula eas excludens iuramento addenda erit. Si vero quasi sepultae iaceant, iuramentum iam de se censetur rationabiliter legibus proprie vigentibus circumscribi (Cf. LEHMKUHL, I, 568). Atque hodie non ita raro fit, ut communis interpretatio iuramenti quale datur a catholicis nullam contineat approbationem quarundam legum quibus ipsi adversantur, sed mere earum legum tolerantiam, donec, legitima via, opportune mutari possint, sicut ipsi acatholici minime probare intendunt puncta quae cum suis partibus politicis non congruunt.

653. - Obligationis cessatio. « Obligatio iureiurando promissorio inducta desinit:

« 1° Si remittatur ab eo in cuius commodum iusiurandum emissum fuerit;

« 2° Si res iurata substantialiter mutetur, aut, mutatis adiunctis, fiat sive mala sive omnino indifferens, aut denique maius bonum impediat;

« 3° Deficiente causa finali aut condicione sub qua forte iusiurandum datum sit;

« 4° Irritatione, dispensatione, commutatione, ad normam can. 1320 » (c. 1319).

De secunda causa, id tamen est notandum. Qui, in gratiam alicuius aut quorundam ita iuravit se aliquid praestiturum ut, e. g. ex horum consensu, ipsis ius acquisitum sit, illud implere tenetur, quam diu honestum sit, etiamsi bonum melius, v. g. ingressum in religionem impediat.

Nec potest ipse iuramentum istud in melius commutare, sed dispensationem etere debet. Facile tamen in huiusmodi iuramentis subauditur condicio : nisi ad tatum perfectionis vocatus fuero (Cf. LUGO, *De Iust. et Iure*, d. 21, n. 67. 73). Sed . 542 invalidam declarat receptionem in noviciatum candidati qui ligatus est iurerando quo per certum tempus, missioni aut dioecesi, ex instituto S. Sedis tenetur.

654. - Potestas in iuramenta dissolvenda. « Qui irritare, dispensare, commutare possunt votum, eandem potestatem eademque ratione habent circa iusiurandum promissorium ; sed si iurisiurandi dispensatio vergat in praeiudicium aliorum qui obligationem remittere recusent, una Apostolica Sedes potest iusiurandum dispensare propter necessitatem aut utilitatem Ecclesiae » (c. 1320).

Potestas ergo in vota ad iuramenta extenditur; eadem tamen ratione. Quare etiam vota iuramento firmata, ab eo qui vota relaxare potest relaxari ob iustam causam poterunt. Si tamen votum istud fuerit reservatum, NOLDIN, *De Praeceptis*, n. 249, exigit in dispensante iuramentum potestatem in votum istud reservatum. Quamquam nullum iuramentum qua tale est reservatum. Unde iuramentum materiae quae votum efficeret reservatum, non est reservatum.

Ius quaesitum tamen tolli nequit nisi ab Apostolica Sede, idque propter causam publicam, propter quam, sicut alia onera, sic etiam renuntiationes quasdam rationabiliter civibus imponere potest. Inde restrictio quae in fine canonis additur.

655. - Interpretatio. « Iusiurandum *stricte* est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur » (c. 1321).

Aptissima hic traditur postremis verbis regula fori *externi*, quae iam legitur apud S. THOMAM, 2, 2, q. 89 art. 7 ad 4, fortasse quia intentio eius qui bona fide agit praesumitur accommodata ad naturalem verborum sensum. In foro autem *interiore*, obligatio iuramenti intentionem iurantis non excedet. Sed dolosi iuramenti erunt damna ipsi sarcienda.

Stricta autem, per se interpretatio est sequenda, quia pro minima obligatione respondendum est, cum voluntarie suscepta est.

PARS QUARTA

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

Ordo Codicis. Ista quarta pars libri III, in qua Codex doctrinalem partem iurisdictionis Ecclesiae explicat et ordinat, sic disposita videtur ut, post introductionem generalem de potestate magisterii, primo agatur de fidei diffusione potissimum per praedicationem (tit. XX), dein de institutione clericali et catholica in seminariis et scholis (tit. XXI et XXII), tum de protegenda fide per censuram et prohibitionem librorum (tit. XXIII), demum de canonica obligatione profitendi fidem sic procuratam et custoditam (tit. XXIV).

INTRODUCTIO GENERALIS DE MAGISTERIO
(c. 1322-1326)

Scriptores : WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, t. II, parte I n. 3, et parte II, n. 846. — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, in hos canones. — CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, nn. 872-874. — DE MEESTER, *Compendium*, nn. 1283-1285.

656. - Quia res in quinque prioribus canonibus huius partis contentae in theologia dogmatica et morali fuse proponi consueverunt, brevem earum summam hic tradere nobis satis erit.

§ 1. Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret.

« § 2. Ecclesiae, independenter a qualibet civili potestate, ius est et officium omnes evangelicam doctrinam docendi : hanc vero rite ediscere veramque Dei Ecclesiam amplecti omnes divina lege tenentur » (can. 1322).

1. Itaque primo canone **1322**, § 1 affirmatur ecclesiastica potestas magisterii, cuius origo repetitur *ex deposito fidei* quod Christus Ecclesiae suae concredidit, cum *duplici provincia* sancte *custodiendi* et fideliter *exponendi* doctrinam revelatam ; *addita*, ut ambae ab Ecclesia convenienter administrari possint, non aliqua nova inspiratione, sed *iugi assistentia Spiritus Sancti.*

Magisterium ecclesiasticum describi potest *ea pars potestatis qua Ecclesia adimplet munus suum docendi ;* complectitur autem definitiones infallibiles quae, pro fonte unde veritas hauritur, sunt stricte credendae vel pro veris admittendae, dein decreta doctrinalia, sacras praedicationes, lectiones theologicas, catecheses.

Quidam, praesertim PHILLIPS (*Kirchenrecht*, t. I, § 32), putarunt potestatem magisterii non esse referendam ad potestatem iurisdictionis, sed esse propriae rationis quae, praeter hierarchiam Ordinis et iurisdictionis, tertia foret agnoscenda. Verum, sententia ista, quae iam minus placet propter novitatem suam, non

videtur admittenda. Etenim, ut WERNZ. *l. c.* n. 3 ratiocinatur, quo modo potestas iurisdictionis, eodem acquiritur, augetur et amittitur potestas magisterii; imponit praecepta voluntati; quod, in persona publica, proprium est potestatis iurisdictionis; et certe a mente Patrum Concilii Vaticani fuit aliena. Cum enim, in sessione IV, c. 4 quidam postularent ut diceretur primatus iurisdictionis *et Magisterii*, additio fuit repudiata, quia: « potestas magisterii, cuiusmodi est potestas docendi... ad potestatem iurisdictionis pariter spectat ». Cf. plura WERNZ, *l. c.* Quia tamen non omnia explicantur iurisdictione Ecclesiae, v. g. ius docendi non baptizatos, sed non nulla ad ipsam potestatem Ordinis referenda sunt, ideo non diximus: pars iurisdictionis, sed pars potestatis.

2. Paragrapho vero altera eiusdem c. 1322 vindicatur Ecclesiae independens a qualibet civili potestate ius et officium evangelicam doctrinam docendi. Et quia Ecclesia, contra ac synagoga, non est societas unius gentis selectae et separatae, sed est catholica seu universalis, consequenter affirmatur officium divina lege impositum omnibus, doctrinam istam rite ediscendi et veram Dei Ecclesiam amplectendi.

657. - Quaenam credenda sint. Fide *divina*, explicite vel implicite credenda sunt quaecumque Deus ut credenda revelavit; fide *divina et catholica* credenda sunt, quae ab Ecclesia proposita sunt ut credenda tamquam omnibus revelata. Propositio ista fit vel sollemni sententia vel ordinario exercitio muneris pastoralis episcoporum consentientium cum episcopo romano in tradenda aliqua doctrina de fide vel moribus ut divinitus revelata. Quare c. **1323**, § 1. « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt quae verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive sollemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur ». Sollemne autem iudicium pertinet exclusive vel ad Concilium oecumenicum vel ad Romanum Pontificem ex cathedra loquentem ut dicitur c. 1323, § 2.

Valde opportune subiunxit idem canon § 3, ne perperam misceantur quae assensu super omnia firmo supernaturaliter honoranda sunt et quae minoris ordinis certitudine admitti debent vel possunt, *nihil dogmatice definitum accipiendum esse quod non manifeste constet esse sic declaratum vel definitum.*

658. - Oboedientiae religiosae officium canone **1324** memoratur. Infallibilitas enim Ecclesiae se extendit ad veritates quae, quamvis deposito fidei non contineantur, ita tamen sunt conexae cum veritatibus revelatis ut hae sine illis tutae non forent. Quamvis vera non revelata divina fide credi nequeant, virtus tamen fidei divinae oboedientiam etiam internam huiusmodi definitionibus reddit necessariam. *Motivum assensus* est *auctoritas infallibilis*, a Deo constituta, cui omnes subiecti sumus.

Immo etiam decretis *doctrinalibus* quae non procedunt ab auctoritate

infallibili, sed, v. g. a S. Congregatione Romana, sincere debetur oboedientia quae ex ipsis decretorum verbis postulari demonstratur. Cf. dicta, t. I, n. 321. Et quia plerumque constant reprobatione propositionum, ideo c. 1324 : « Satis non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere qui ad illam plus minusve accedunt ; quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quibus pravae huiusmodi opiniones a Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt ».

Cum autem varii sint proscriptionis gradus, ipsa prudentia requirit ut ad varias notas quibus propositiones notantur attendamus.

Itaque propositio damnari potest ut *haeretica ;* — dein ut *erronea*, cuius opposita thesis dicitur theologice certa, quia, mediante altera veritate naturaliter certa, certo ex doctrina revelata colligitur. — *Haeresi proxima* est quae non tantum est erronea sed quae etiam thesi opponitur quae fidei proxima dicitur, quia a multis, non tamen ab omnibus, pro revelata habetur. — *Errori proxima* opponitur ei quae probabilissime ex doctrina revelata eruitur (LEHMKUHL, I, 416). — *Temeraria* notatur quae temere, seu sine sufficienti ratione a communi theologorum placito recedit. — *Scandalosa, piarum aurium offensiva* non stricte damnantur ut *falsae ;* earum tamen defensio vel publica enuntiatio vetatur, sicut quando negatur aliqua propositio *tuto doceri posse.*

Fit interdum ut plures propositiones collective damnentur variis notis affectae, ita tamen ut S. Sedes non declaret qua nota singulae dignae sint. Tunc minima saltem nota in singulas incurrit ; quaenam autem severiore sint reprobandae privatis studiis linquitur demonstrandum.

659. - Divinitus praecepta professio fidei. Canon **1325**, § **1** naturalem seu divinam obligationem profitendi fidem sic declarat : « Fideles Christi fidem aperte profiteri tenentur quoties eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secumferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi ».

Formalis enim fidei professio ex iure naturae facienda est, quando, nisi fieret, magnus honor Deo debitus vel magna utilitas proximo procuranda *privative* vel *contrarie* subtraheretur ; quotiescumque ergo silentium aut tergiversatio aequivaleret negationi, vel formidinem aut inconstantiam aut erubescentiam denotaret. Observes tamen non esse per se grave ut meram formidinem manifestes, dum grave est indicium dare negationis vel inconstantiae. Nec omne scandalum indirectum vitandum est, sed istud tantum quod proportionata causa non compensatur. Quare, in canone, scandalum intellegendum est *culpandum.*

Ideo *regulariter* (1) censent aperta fidei professione respondendum esse publicae potestati interroganti de religione, saltem si ordo legalis ab interrogante observetur. Cf. prop. 18 damnatam ab INNOC. XI (*Denz.* n. 1168). Si enim lex ipsa

(1) Regulariter, inquam, quia, ut ait SUAREZ, *De Fide*, d. 14, s. 3, n. 6, obligatio professionis non oritur formaliter ex qualitate interrogantis, sed ex eo quod, in his adiunctis, debitus honor Dei et christianae religionis apertam confessionem plerumque postulant. In casu speciali non erit culpanda, etiam coram magistratu, callida tergiversatio quae nec scandalosa nec religionis honori damnosa fuerit. Cf. LUGO, *De Fide*, d. 14, n. 37. BALLERINI-PALMIERI, *Op. theol.* II, n. 48. 49.

quisitiones in res conscientiae vetuerit, satis erit responsum propter hanc tionem declinare. Ac repelli quoque potest privatus vir, qui de religione iscitetur.

660. - Quinam sint haeretici, apostatae, schismatici. Quinam ales sint in foro *canonico* docemur c. 1325, § 2. Condicio communis st ut sint *baptizati*. *Haereticus* autem fit baptizatus qui *externe* nanifestat iudicium quo *iudicat falsam* vel *dubiam* veritatem quam ovit ab Ecclesia proponi ut credendam. Externe, inquam; nam si mere interne, non est haereticus nisi coram Deo (supposita mala fide).

Apostata est *qui a fide christiana totaliter recedit*, sive transeat ad eligionem non christianam, sive simpliciter evadat incredulus vel theus.

Schismaticus est qui « *subesse renuit Summo Pontifici* aut *cum membris* Ecclesiae *ei subiectis communicare* recusat ». Observes, duplici ratione quempiam fieri schismaticum. Ad alteram rationem pertinet quoque separatio ab Episcopo. Separatio haec proinde non est schisma quatenus quis se separet ab episcopo qua tali, sed quatenus ipse episcopus est S. Pontifici subiectus seu in communione est cum S. Sede.

661. - Disputationes de fide per se licent quando ea sunt adiuncta doctrinae et personarum ut fructus saltem apud audientes sperari possit. Quia tamen imprudens disputatio valde nocere potest, **c. 1325, § 3**, haec sapienter edicit : « Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia **S. Sedis, aut, si casus urgeat, loci** Ordinarii ».

Agitur hic de disputatione quae ex professo ineatur de re dogmatica quam acatholici negent. Non attinguntur *disputationes quae obiter*, ex tempore, occasione data, *fiunt*, nec *collationes privatae* quae non ad vincendam personam sed ad eam convertendam diriguntur (1); nec *conferentiae* « *apologeticae* », etsi permittatur (quod caute faciendum est) ut proponantur difficultates seu obiectiones. De controversiis scriptis, solae regulae de censura librorum et scriptorum observandae sunt. Ac prohibitio cessat, cum aliud exigit necessitas aut, ut videtur, magna fidei utilitas, nec Ordinarius adiri potest.

S. Sedes se etiam alienam dixit ab « *exhibitionibus religionum* », quia per se fovent indifferentismum. Cf. epist. Leonis XIII ad Delegatum Apost. Stat. Foeder. Amer. septemtr. 18 sept. 1895 (v. g. in *N. R. T.*, XXVIII, 79).

662. - Canone 1326, docemur Episcopos singulos vel in conciliis particularibus congregatos, veros esse, sub auctoritate R. Pontificis, *doctores* seu magistros fidelium suis curis commissorum.

(1) Immo S. Pontifex vehementius rogavit devotas Deo ex utroque sexu familias... « ut curent in suis collegiis alumnos gradatim sic catechismo instruendos ut, cum plenius sapientiusque quam solent christianam doctrinam perceperint, et suam fidem contra ea quae obici vulgo consueverunt, possint defendere, et eandem aliis quam plurimis vel inculcare vel suadere nitantur ». Motu Proprio *Orbem catholicum*, 29 iun. 1923 (AAS., XV, 1923 327; *Per.* XII, 122).

Successores enim sunt apostolorum, quibus dictum est : « Docete omnes gentes ».

Non sunt tamen ut *singuli* doctores universales sed sui gregis.

Si sui gregis tantum sunt doctores, episcopi titulares qui, qua tales non habent gregem, non sunt ut *singuli*, huiusmodi doctores. Neque etiam pro suo grege fas est episcopis dogmaticas controversias auctoritative solvere. Cf. Wernz, II, n. 756, Scholion.

TITULUS XX

DE DIVINI VERBI PRAEDICATIONE

(c. 1327-1351)

Scriptores : Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, II, 2 parte, nn. 756. 830. 834. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, t. 6, in hos canones. — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 875-891. — De Meester, *Compendium*, nn. 1287-1293. — Prümmer, O. P. *Manuale*, Q. 403-407.

Ordo Codicis. Post tradita principia generalia de munere praedicandi, tria huius tituli capita deputantur primum catecheticae institutioni, alterum sacris contionibus, tertium, sacris missionibus.

INTRODUCTIO

663. - Legitimi praedicatores. Codex, duobus canonibus accurate distinguit eos quibus munus fidei catholicae praedicandae est divinitus commissum, aliosque qui a prioribus missionem recipere debent.

« Munus fidei catholicae praedicandae commissum praecipue est Romano Pontifici pro universa Ecclesia, Episcopis, pro suis dioecesibus » (c. **1327**, § 1).

Valent igitur de praedicatione quae dicta sunt de magisterio.

De officio conexo *S. Pontificis*, Codex tacet, ne videatur ansam dare violandae regulae universalis quam c. 1556, sic effert : « Prima Sedes a nemine iudicatur. »

Officium vero *episcoporum* inculcat his verbis, quae fere omnia desumpta sunt ex Tridentino Conc. s. XXIV, c. 4. « Episcopi tenentur officio praedicandi per se ipsi Evangelium, nisi legitimo prohibeantur impedimento ; et insuper, praeter parochos, debent alios quoque viros idoneos in auxilium assumere ad huiusmodi praedicationis munus salubriter exsequendum » (c. 1327, § 2).

Innocentius III, in Decr. c. 15, I, 31, haec numerat impedimenta : occupationes multiplices, invaletudines corporales, hostiles incursus « seu occasiones alias, ne dicamus defectum scientiae, quod in iis reprobandum est omnino, nec de cetero tolerandum ». Atque ipse Pontifex iam praecipit ut episcopi per idoneos viros officium istud plene impleant.

Ceteri omnes a legitimo Superiore missionem seu positivam deputationem recipere debent. Missio autem ista duplici via confertur, vel per facultatem peculiariter datam, vel per collationem officii cui, ex sacris canonibus, praedicandi munus inhaereat (c. **1328**).

Potissimi inter illos sunt Praelati *nullius*, cum, ex ordinatione S. Pontificis, munus pastorale quasi episcopi gerere debeant. Dein veniunt parochi, canonicus theologus, etc.

Caput I. - De catechetica institutione

664. - « Proprium ac gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est catecheticam populi christiani institutionem curare » (c. **1329**).

Catechetica institutio, cuius tradendae gravissimum declaratur esse officium pastorale, consistit in instructione, ad captum rudium et puerorum accommodata, de rebus fidei et morum, ut christiani discant ea quae explicite credere et profiteri et quae practice in vita sua religiosa et morali agere debent.

Si haec institutio curanda est, ergo dissimulari non possunt gravissima officia vitae christianae, etsi fortasse nimis sint neglecta, et timendum sit ne plures abeant, sicut olim inter audientes Dominum fuere qui recesserunt dicentes : « Durus est hic sermo » (1).

665. - Quid parochus erga pueros facere debeat (c. **1330** et **1331**). 1) « Statis temporibus, continenti per plures dies institutione, pueros ad sacramenta paenitentiae et confirmationis rite suscipienda singulis annis praeparare » (c. 1330, 1°).

Praecipitur igitur annua praeparatio puerorum ad sacramenta quae singulis annis in loco administrantur. Ubi ergo sacramentum confirmationis non administratur nisi post maiora intervalla, annua obligatio pro istius sacramenti praeparatione non imponitur.

Praeter autem instructionem maioribus intervallis separatam, vult Codex ut saltem per aliquot dies, morali continuitate coniunctis, haec praeparatio diligenter procuretur.

2) « Peculiari omnino studio, praesertim, si nihil obsit, Quadragesimae tempore, pueros sic instituere ut sancte Sancta primum de altari libent » (c. 1330, 2°).

Aliquam opportunioris temporis optionem Codex parochis non negat, qui, in hac re, statuta dioecesana et praescripta episcoporum observare debent ; simul tamen insinuat tempus paschale esse per se meliorem anni partem ducendis pueris ad s. mensam participandam.

---

(1) Ev. Ioan. 6, 61. Cf. ceterum enc. litteras BENEDICTI, XV, *Humani generis redemptionem* (AAS., IX, 305 ; *Per.* IX, 1 ss.)

3) Parochus quoque curare debet ut pueri qui primam communionem recenter receperint « uberius ac perfectius catechismo excolantur » (c. 1331).

666. - **Catechizatio adultorum** seu populi a parochis neglegi nequit. Quare praecipitur ut diebus dominicis aliisque festis de praecepto, hora quam iudicarint magis ad finem aptam, parochi doctrinam christianam explicent adultis, « sermone ad eorum captum accommodato » (**c. 1332**).

Fieri quidem potest ut in certis regionibus ipse parochus per se haec praestare nequeat. Tunc per alios spiritualem istum cibum, quem Pius X comparat lacti quo pueri privari non possunt, populo suo procurare debet, observando ordinationes episcopales.

667. - *Parochus* potest et debet sibi in suo territorio quaerere *adiutores* sufficienti numero, in primis ipsos clericos, non exclusis tamen laicis utriusque sexus, maxime si, ad pium quoddam sodalicium, quale *Doctrinae christianae*, ascripti, praesumendi sint apti, et rei studiosi (**c. 1333, § 1**).

Confraternitas *Doctrinae christianae*, Romae anno 1560 condita, probata fuit a S. Pio V, anno 1571. Et ex c. 711, § 2, episcopi curare debent ut in qualibet paroecia, forma magis apta, instituatur. Cf. *C. I. C.*, 6 mart. 1927, ad I De confr. SS. Sacramenti, AAS. XIX, 161 ; *Per.* XVI, 55.

Quare Codex presbyteros et clericos non impeditos hortatur ut *proprium* parochum « in hoc sanctissimo opere » adiuvent. Immo ab Ordinario sub poenis infligendis ad operam istam praestandam cogi possunt (c. 1333, § 2).

Canon iste clericis non exemptis circumscribendus est, cum agatur de adiuvando *proprio parocho,* qualem non habent religiosi exempti.

668. - **Interventus religiosorum** (**c. 1334**). Quatenus ipse hoc iudicet ad convenientem populi institutionem catecheticam necessarium, Ordinarius habet ius requirendi operam religiosorum etiam exemptorum.

Ipsi tamen non tenentur *cum regularis disciplinae detrimento :* ut si Constitutionibus prohiberentur, si contra Constitutiones suas deberent e claustris exire ; si non possent rem componere cum obligatione chori, etc.

Id facere debent « *praesertim* in propriis ecclesiis ». Ut alibi debeant, oportet ut magis manifesta necessitas id postulet. Immo Prümmer putat id ab exemptis exigi non posse.

Et quia, tamquam derogans exemptioni, canon est strictae interpretationis, et ipse, modo supra, institutionem puerorum ab institutione

populi Codex ipse distinxit, religiosi exempti cogi non possunt ut *in instituendis pueris* partem assumant. Quamquam summopere decet ut ad opus tam excellens libenter cooperentur. Cf. De Meester, n. 1292, nota 6.

Canone isto, praeter formalem sanctionem c. 1345, iam niti possunt Ordinarii locorum, ut ad religiosos etiam exemptos extendant ordinationem qua, diebus dominicis, in omnibus missis publicis, post evangelium fiat instructio catechetica ad populum directa.

669. - Canone **1335** officium, ipsa lege divina sancitum inculcatur, quo « non solum parentes aliique qui parentum locum tenent, sed heri quoque ac patrini obligatione astringuntur curandi ut omnes sibi subiecti vel commendati catechetica institutione erudiantur ».

Commendatio, de qua in fine canonis, intellegitur contenta in acceptata, ipso munere, cura institutionis religiosae.

670. - Canon **1336** definit competentiam Ordinarii loci, ut omnia in sua dioecesi edicat quae « ad populum in christiana doctrina instituendum spectent ; et etiam religiosi exempti, quoties non exemptos docent, eadem servare tenentur ».

Potest ergo loci Ordinarius imponere librum textus explicandi seu catechismum in scholis publicis quae a religiosis exemptis diriguntur ; potest minimum tempus definire quod in explicanda doctrina christiana singulis hebdomadis vel mensibus insumendum est.

N. B. 1. De isto argumento institutionis catecheticae legendae sunt gravissimae litterae encyclicae Pii X *Acerbo nimis,* 15 april. 1905, etsi praescripta particularia quae in iis ad principia generalia accesserunt non sint Codice confirmata, nec ubique servari possint, cum adiuncta locorum adeo inter se varient ; dein praescripta Conc. Mechliniensis IV.

2. Recens, 29 iun. 1923, SS. D. N. Pius Pp. XI, Motu proprio *Orbem catholicum,* ad urgendam ubique religiosam populi institutionem, *peculiare officium* apud *S. C. Concilii* instituit. Simul religiosas utriusque sexus familias, instituendae iuventuti devotas, rogavit ut alumnos catechismo hac ratione instruant, ut suam fidem ab obiectionibus defendere eamque aliis inculcare vel suadere queant. Vult etiam ut in principalibus earum sedibus curriculum studiorum accommodent quo adolescentes praeparentur et, facto periculo, habiles renuntientur ad magisterium doctrinae christianae historiaeque sacrae obtinendum. Triennalem denique Episcopis praecipit de scholis religionis relationem ad S. Congregationem Concilii. Haec autem, 24 iun. 1924, in AAS. promulgavit elenchum quaestionum quibus petit ut ab episcopis respondeatur quo melius, perspecto rerum statu, opportuna praestare possit. (Cf. AAS., XV, 1923, 327 ; XVI, 1924, 332 ; *Per.* XII, 122, XIII.)

3. De his opportune leguntur lucubrationes scriptae in *N. R. Th.,* 1925, p. 136. 163. 625.

Caput II. - De sacris contionibus

671. - Monumenta Codici anteriora. Iam anno 1894, 31 iulii, *S. C. Episcoporum et Regularium* ad Ordinarios Italiae et religionum moderatores litteras de sacris contionibus, iubente Leone XIII, miserat, in quibus, notatis variis vitiis hodiernae praedicationis, cautiones opportunas Episcopis et Superioribus praescribebat. Litteras istas suas fecit omnibusque Ordinariis commendavit Pius X, dum illas integras in Motu Proprio « *Sacrorum Antistitum* », 1 sept. 1910 (1) exscripsit. Dein 15 iun. 1917, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, Pontifex Benedictus XV, tertium novis litteris encyclicis *Humani generis Redemptionem*, idem argumentum urgendum duxit, ita ut summum rei momentum neminem catholicum iam fugere queat (2). In istis pulcherrimis litteris, tunc regnans Summus Pontifex, postquam, ex ipsa prima sua origine ingenitam nobilitatem atque apostolicam rationem demonstravit muneris praedicandi, quod proin episcopale esse declarat, duplex abusionum genus denuntiat: alterum ad delectum spectat ministrorum, alterum ad rationem qua sacro munere funguntur. Iubet proinde ut duplici examine facto de moribus et eruditione, probatis solummodo viris tantum munus committatur. Condemnat porro praedicationem qua propria vana gloria vel adeo quaestus captatur ; ac, repudiato vaniloquio et genere profano, vult ut praedicatores divini verbi solidam scientiam habere curent ; ut spiritum humilitatis sub Deo, laboris et orationis excolant, christianismum non ex parte solum sed totum qualis est praedicare ne dubitent, et e sacris fontibus rationes hauriant. Visum est huc referre summam istam quam, post ipsas litteras encyclicas, dedimus in *Per.* IX, 8.

Idem Pontifex, anno 1915, die 15 februarii, de eodem argumento disseruerat in annua adhortatione quam ad contionatores quadragesimales habere consuevit. Eius allocutionis summa est in *Per.* VIII, 126.

Neque id satis habens, S. *Congregatio Consistorialis*, instructione 28 iun. 1917, ergo post promulgatum sed nondum vigentem Codicem canonicum, normas praestituit pro sacra praedicatione, quibus voluit modo laudatas litteras encyclicas ad praxim deducere. Litterae istae exscriptae sunt in *Per.* IX, 31.

Ac normae istae, iubente SS. Domino, statim vigere coeperunt.

Quia *instructio* est et non lex proprie dicta, bene cum Codice concurrere potest ; nec quaestio movenda est utrum Codex praeferendus sit, quia post instructionem vigere coepit, an potius Instructio, quia post Codicem promulgata est. Natura sua, Codex semper praevalet. Ceterum unica contrarietas inter Instructionem et Codicem a nobis deprehensa est. Codex vult ut prima capituli dignitas contionatorem petat capitulo *assentiente*, ubi Instructio ponit « audito capitulo ». Dicemus igitur consensum capituli necessarium esse.

672. - Ordo Codicis. Codex primo agit de potestate quae facultatem contionandi tribuit vel datam facultatem reddit expediti usus (c. 1337-1339) ; dein de modo facultatem concedendi (c. 1340. 1341) et de subiecto cui dari potest (c. 1342) ; tum de iure Ordinarii loci et de officio parochi (c. 1343. 1344) ; postea de contionibus quae haberi et audiri debent (c. 1345. 1346 et 1348) ; demum de contionum argumento et modo (c. 1347).

De contionibus etiam utilititer consuluntur praescripta C. Mechliniensis IV.

673. - I. De auctoritate quae facultatem facit. Ad summam haec statuuntur. 1) Pro clericis e clero saeculari et pro religiosis non exemp-

(1) *Per.* V. 202, ss.

(2) AAS., IX, 1917, 305, *Per.*, IX, 1, ss.

is, facultatem *pro suo territorio* solus concedit loci *Ordinarius* (c. 1337). Ei ergo ius exclusivum, sed territorio circumscriptum addicitur. — 2) *Superior religionis clericalis exemptae,* quem Constitutiones faciunt competentem, facultatem dat contionandi tantum ad religiosos exemptos et ad personas quae de eorum familia sunt una ex rationibus indicatis c. 514. Atque hanc facultatem facere potest sive clerico saeculari sive iis qui de alia religione sunt, dummodo a proprio Ordinario vel Superiore (etiam non exempto) idonei fuerint iudicati (c. 1338, § 1). — 3) Ad alios si contio habenda sit, etiam si agatur de Monialibus quae Regularibus subiectae sunt, facultas pro ipsis religiosis exemptis manare debet ab Ordinario loci contionis ; « contionator autem, verba facturus monialibus exemptis, licentia Superioris regularis praeterea indiget » (c. 1338, § 2) — 4) Etiam Superioris religiosi non exempti licentia contionandi necessaria est religioso eius subdito. — 5) « Facultatem vero contionandi apud sodales religionis laicalis, quamvis exemptae, dat loci Ordinarius, sed contionator nequit facultate uti sine Superioris religiosi assensu » (c. 1338, § 3).

Dispositiones istae derogant iuri anteriori, quo a Regularibus contionantibus in propriis ecclesiis nihil aliud exigebatur, nisi ut ab episcopo benedictionem peterent, is autem praedicationi non obsisteret ; ut alibi contionarentur, postulabatur licentia scripta, quae nunc non requiritur.

Quid est contio ? Contio primo significat ipsum coetum populi convocatum ad audiendum oratorem ; dein, ipsam orationem coram tali coetu habitam. Strictius sumpta est *sollemnior oratio,* ac distinguitur a familiari adhortatione qualis fit ad coadunatos religiosos vel sorores. Sed quia c. 1338 agens de contionibus quae ad solos religiosos vel moniales fiunt, etiam huiusmodi hortationes includit, contio, in hoc capite, designat *quamlibet orationem de argumento sacro* directam immediate ad perficiendos mores, et habitam ex professo coram omni coetu in hunc finem audiendi convocato, si excipias catecheticam explicationem de qua in capite superiore. Orationes quae fiunt in sic dictis congressibus non sunt contiones.

Superior vero religiosus cuius, in religione laicali, assensus requiritur est etiam Superior religionis non exemptae, immo, contra ac putat R. P. Augustine, etiam Superiorissa ; non quod possint repudiare contionatorem quem Ordinarius loci expresso actu ad ipsos miserit, sed quia in facultate generali contionandi apud religiosos huiusmodi iussio episcopalis minime continetur. Si tamen Ordinarius cappellanum domus laicalis quadam sua auctoritate munierit, cappellanus quasi nomine Ordinarii vel ut Ordinarii delegatus contionatores designare poterit. Id ergo intererit inter religionem laicalem exemptam et non exemptam : Superiorem prioris religionis cogi non posse ad accipiendum contionatorem missum ab episcopo, dum religio non exempta episcopi decisioni obtemperare debet.

Simul, ex ipso canone demonstratur, mentem Codicis non esse ut ipse Ordinarius loci regulariter velit contionatorem quasi obtrudere religiosis, sed potius ipsis quandam optionem relinquat inter plures approbatos, praesertim cum agitur de sollemniore contione vel de exercitiis spiritualibus.

Observes etiam non promiscue, in praesenti capite, adhiberi voces *facultatis, licentiae, assensus.*

Facultas magis directe rem seu actionem respicit, vetitum ex parte rei tollens aut supplens impotentiam physicam vel moralem agendi.

Licentia illi qui iam, re considerata, potest, confert licitum usum, sive quia actio agentis est subordinata Superiori, sive quia actio independens tolleret aliquod alterius privilegium, vel ei noceret. Sic parochus, in suo territorio est competens ad assistendum matrimoniis, licentia tamen opus habet parochi proprii contrahentium ut licite sua competentia utatur. Sic, ex c. 1339, § 2, contionatores religiosi, ut facultate recepta licite utantur, indigent sui Superioris licentia (c. 1339, § 2).

Assensus denique id efficit ut actio per se iam expedita licite terminetur ad tale vel tale subiectum. Sic ut medicus me curet opus habet meo assensu ; atque ut coram determinatis audientibus contionem faciat, assensus Superioris auditorum praeterea necessarius est tum saeculari qui habet facultatem, tum religioso alieno, qui facultate et licentia est instructus.

674. - Suavis tamen et discretus usus suae potestatis Ordinariis locorum inculcatur. Quare monentur ut religiosis qui a proprio Superiore exhibentur, facultatem « sine gravi causa ne denegent concessamque ne revocent, praesertim una simul universis domus religiosae sacerdotibus », intacto tamen iure et officio experiendi idoneitatem eorum qui a Superiore praesentantur (c. 1339, § 1).

675. - II. Modus facultatem concedendi. 1. Solis probatis viris, probatione quae ad mores et ad doctrinam attinet, danda est a loci Ordinario facultas vel a Superiore religioso licentia, aut, prout casus fert, ipsa facultas. De hac re graviter oneratur conscientia Ordinarii loci et Superioris. Ac de doctrina probatio regulariter facienda est per examen, nisi scientiam « aliunde compertam habeant » (c. 1340, § 1, coll. c. 877, § 1).

Ordinarius contentus esse potest examine quod fecerit proprius Superior religiosus. Nihil prohibet quoque quin uno eodemque examine idoneitas ad confessiones audiendas et ad contiones habendas comprobetur.

Instructio *S. C. Consistorialis* postulat ut examen fiat coram tribus examinatoribus. Et vult ut simul fiat de doctrina et de actione, atque ut, pro vario examinis exitu, facultas plus vel minus ampla concedatur. Actio tamen iam ipsis exercitationibus seminarii cognosci potuit. Aliunde venientes specimine demonstrare debebunt quaenam futura sit eorum actio, nisi per famam publicam vel captas informationes, haec satis constent.

2. Concessa facultas vel licentia *revocari* non solum potest sed *debet*, si comperiatur necessarias dotes in contionatore desiderari ; dubitatio vero de idoneitate certis argumentis, etiam, si opus sit, novo examine excutienda erit (c. 1340, § 2).

3. Recursus tamen « ob revocatam contionandi facultatem vel licentiam » datur, sed non in suspensivo (c. 1340, § 3).

Recursus iste conceditur, quia revocatio facultatis saepe cum aliqua infamia coniungitur. Ceterum personae distinguendae sunt. Propter maiorem dependentiam a nutu Superioris, minus odiosa erit revocatio imposita religioso quam viro saeculari.

676. - Invitatio sacerdotis extradioecesani (c. 1341). 1) Nec saecularis nec religiosus invitari possunt sine praevia licentia Ordinarii loci in quo contio habenda est. Ordinarius iste, nisi aliunde ipsi comperta sit idoneitas, de ea certior faciendus est per testimonium proprii Ordinarii de doctrina, pietate et moribus : quod testimonium, graviter onerata conscientia respondentis, secundum veritatem dandum est (c. 1341, § 1).

Instructio *S. C. Consistorialis*, cum agitur de religioso, favorabile postulat responsum ipsius quoque Superioris religiosi : hoc tamen iam tacite habebitur si ab ipso Superiore mittitur. Addit Instructio, oportere ut Ordinarius loci ad informationes receptas sese accommodet, nec diversimode agat.

« § 2. Licentiam tempestive petere debet parochus, si agatur de paroeciali ecclesia aliave eidem subiecta ; rector ecclesiae, si de ecclesia parochi auctoritati non obnoxia ; prima dignitas, de capituli consensu, si de ecclesia capitulari ; moderator seu cappellanus confraternitatis, si de ecclesia eiusdem confraternitatis propria.

« § 3. Si ecclesia paroecialis sit simul capitularis aut confraternitatis propria, ille licentiam petat, qui sacras functiones iure peragit ».

Ut petitio *tempestive* fiat, Instructio *S. C. Consistorialis* determinat bimestre tempus vel illud quod episcopus definierit, tamquam illud quod inter petitionem et contionem intercedere debeat. Ac puniendum dicit tam illum qui sine facultate quempiam invitaverit, quam contionatorem qui, conscius omissae facultatis, praedicaverit. Contionator tamen ipse nullam licentiam Ordinarii loci petere debet.

Dum Codex praecipit ut prima dignitas capituli obtineat capituli *consensum*, idem capitulum *mere audiri debet*, secundum Instructionem : id iam supra monuimus, addendo standum esse Codici.

Ad quemnam spectat invitare contionatorem, si oratorium vel ecclesia sit religiosorum laicorum vel Sororum ? Hoc per se spectat ad sacerdotem rectorem ecclesiae, « quique sacras ibidem functiones de iure peragit ». Ita Instr. *S. C. Consist.*, art 5, f.

Saepe laudata Instructio, art. 17, absolute vetat ne *diploma praedicationis* sive honoris causa sive non subditis propriis tribuatur.

Diploma istud est quidpiam diversum a simplici pagella qua facultas praedicandi conceditur. Potius cum diplomate quo gradus academicus confertur comparari potest. Per ipsum, in quibusdam Ordinibus (namque in Curiis dioecesanis usus iste numquam fortasse habetur), nomen et titulus praedicatoris tribuitur : qui tamen titulus a nulla licentia petenda eximit.

Verum integrum arbitramur esse Ordinariis ut bene notis et a proprio Superiore approbatis sacerdotibus facultatem generalem dent, quamvis sint extranei, praedicandi in sua dioecesi, sicut ipsa pagella confessionis extraneis quoque concedi consuevit.

Quem vero extraneum generaliter approbatum noverint, poterunt parochi et rectores ecclesiarum sine alia licentia invitare. Iisdem licebit etiam petere in genere a Superiore religioso subditum approbatum.

Sed in modum quo contiones sollemniores in suo territorio habentur, Ordinarius speciali attentione vigilabit.

Prümmer, Q. 405, n. 4, sic de c. 1342 opinatur : « Haec statuta videntur esse

lata pro contionibus sollemnioribus et rarioribus ; nam est nimis onerosum qualibet vice petere ab episcopo licentiam, ad invitandum aliquem sacerdotem extradioecesanum pro contionibus ordinariis et frequenter occurrentibus. Quare tunc videtur esse sufficiens licentia Ordinarii habitualiter concessa. »

Nihil etiam nobis videtur obstare, quin Ordinarius loci parocho prudenter concedat facultatem generalem invitandi contionatorem extradioecesanum, in ipsum transferendo onus inquirendi in debitam idoneitatem et licentiam proprii Ordinarii vel Superioris.

677. - Subiectum cui facultas dari possit (c. 1342). « § 1. Contionandi facultas solis *sacerdotibus* vel *diaconis* fiat, non vero ceteris clericis, nisi rationabili de causa, iudicio Ordinarii et in casibus singularibus.

« § 2. Contionari in ecclesia vetantur *laici omnes*, etsi religiosi ».

Itaque habitualis facultas etiam *diaconis* tribui potest, quod antea, ut ait Ferreres, n. 310, insuetum erat, et, ni fallimur, insuetum manebit. Ceteris *clericis* Ordinarius ad quem spectat, facultatem facere potest in casibus singulis propter iustam causam, et supposita ceterum idoneitate.

Absolute autem vetatur praedicatio *laicorum* in ecclesia. In *ecclesia*, ac proin etiam in sacello publico, quia, ut supra vidimus, ex c. 1191, § 1, haec oratoria publica eodem iure quo ecclesiae utuntur. Minus impeditur contio laici in alio loco ; v. g. novicii in oratorio semi-publico noviciatus.

678. - III. De iure Ordinarii loci et de officio parochi 1. *De iure Ordinarii. Ius* **c. 1343**, § 1 tribuitur *Ordinariis locorum* contionandi in qualibet sui territorii ecclesia quamvis exempta.

Immo, nisi agatur de magnis civitatibus, « potest quoque episcopus prohibere ne in aliis eiusdem loci ecclesiis verba fiant ad fideles, quo tempore vel concionem ipse habet vel coram se, ex causa publica atque extraordinaria, convocatis fidelibus, habendam curat » (c. 1343, § 2).

Quid magnae sint civitates, in morali existimatione est. Tales esse videntur quae ultra centum milia animarum continent. Neque (contra atque existimat R. P. Augustine) soli catholici numerandi sunt. Namque, etiam si maior pars fuerit acatholica, si catholici in variis civitatis regionibus fuerint dispersi, aderit ratio exceptionis.

Observes, in magnis civitatibus episcopali prohibitioni ne in regione quidem vel in paroecia in qua episcopus contionatur locum dari. Sed suadebit ipsa virtus observantiae ut omnis vitetur occasio nocendi efficaciae contionis habitae a proprio Pastore

Verba canonis, per se, possint ita intellegi ut etiam si ipse episcopus verba faciat, altera contio non possit vetari, nisi quando ex causa publica atque extraordinaria contio episcopalis habeatur. Atque ita canonem interpretantur Prümmer, Q. 405, 5, et Augustine. Voces tamen : « ex causa publica atque extraordinaria » ita positae sunt ut potius ad solum casum referendae sint, ubi coram episcopo praedicetur. Omne autem dubium evacuatur inspectis fontibus

nde canon desumptus est. Satis est legere quae de ista quaestione refert Benedictus XIV, *De Synodo*, L. 7, c. 43, n. 7.

Numquam, ait, in S. Congregatione difficultas fuit circa prohibitionem factam Regularibus contiones habendi ea hora qua episcopus ipse praedicat ; obscurior vero visus est casus quo coram ipso contio sollemnis habeatur ; ac tunc facultas prohibendi limitata est ad casum ubi ex causa publica coram convocato clero, magistratu et populo coram se praedicare faciat. — Manifestum igitur est alteram contionem, eadem hora semper prohiberi posse quando ipse episcopus praedicat. Oportet tamen ut verba faciat ad fideles. Non satis est si communitatem aliquam alloquatur.

Quod autem episcopo conceditur, videtur quoque pertinere ad Praelatum *nullius* vel ad alium quasi-episcopum.

679. - 2. *De officio parochi* (c. **1344**). « § 1. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto, proprium cuiusque parochi officium est, consueta homilia, praesertim intra missam in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare.

« § 2. Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam.

« § 3. Potest Ordinarius permittere ut sollemnioribus quibusdam festis, aut etiam, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis contio omittatur. »

Proprium dicitur istud parochorum officium, quatenus omni parocho per se incumbit, neque aliud est in Ecclesia catholica munus cui immediate instructio et institutio christiana populi sit ita coniuncta.

Inculcatur in Conc. Trid. s. V, c. 2. Ref. et s. XXIV, c. 4. 7. Ref. atque a naviter impleto isto officio fides et salus populi plurimum pendent.

Rationabiles tamen causae possunt esse cur magis expediat officium istud per alium expleri, ut puta si, aliis dotibus instructus, parochus ipse deficiente voce vel simili corporali impedimento impediatur. Causa autem ab Ordinario probari debet, si agatur de habituali omissione.

Ob iustas causas hebdomadaria homilia interrumpi potest ex auctoritate Ordinarii : sive expressa et peculiaris detur licentia, sive contineatur in generali edicto synodali vel dioecesano usu.

Homilia dicitur potissimum pastoralis adhortatio ex explanato textu evangelico deprompta.

680. - IV. Contiones habendae et audiendae. 1. Optat Legislator ut, diebus festis de praecepto, in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis, fiat, in singulis missis publicis, brevis explicatio evangelii vel alicuius partis doctrinae christianae ; atque ipsi religiosi exempti debent, in suis ipsorum ecclesiis, legi communi dioecesis quam de hac re Ordinarius tulerit, ipsiusque opportunis instructionibus obtemperare (c. **1345**).

2. Ordinarii curare debent ut, tempore Quadragesimae atque etiam, si id expedire videatur, tempore Adventus, in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus sacrae contiones frequentius ad fideles habeantur (c. **1346**, § 1).

Ac si in propria ecclesia continuo post chorum habeatur, canonici et alii de capitulo, nisi iusto impedimento detineantur, huic contioni interesse debent et poenis ab Ordinario ad id adigi possunt (c. 1346, § 2).

Estne obligatio ista propria canonicorum *ecclesiae cathedralis*, an communis ecclesiae (seu capituli) *collegiatae?* In § 1 non est sermo nisi de ecclesia cathedrali. Quare per se curare non debet Ordinarius ut contiones istae habeantur quoque in ecclesiis collegialibus. Sed si fiant, dixeris tunc canonicos, in iisdem adiunctis, obligari sicut canonicos ecclesiae cathedralis. Namque annexa videtur obligationi chori. Id sentit R. P. Augustine, et *S. Rituum Congregatio*, 10 dec. 1718, ad 4, in causa particulari respondit canonicos sub mulctis teneri.

Obligatio non est nisi contio fiat in propria ecclesia et continenter post chorum. Tunc enim non possint canonici sine aliqua scandali ratione collective contionem deserere. Verum in propria ecclesia censetur contio facta, si habeatur in ecclesia ubi transeunter, v. g. ob reparationes faciendas, ipse chorus celebratur. Cf. v. g. resp. *S. C. Rituum*, 22 mart. 1643 (*Decr. auth.* n. 944).

3. « Monendi et adhortandi diligenter fideles sunt ut sacris contionibus frequenter intersint » (c. 1348).

Observes explanationes doctrinae christianae saepe esse fere unicam rationem qua plurimi fideles in fide satis instrui queant, ita ut confessarii rudium, assistentiam istis explanationibus omni modo urgere debeant.

681. - V. Contionum argumentum et modus (c. 1347). « § 1. In sacris contionibus exponenda in primis sunt quae fideles credere et facere ad salutem oportet.

« § 2. Divini verbi praecones abstineant profanis aut abstrusis argumentis communem audientium captum excedentibus; et evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis exerceant, non semetipsos, sed Christum crucifixum praedicantes. »

Fere verbis apostoli Pauli ad Corinthios (I, c. 2) genuina ratio contionis sacrae commendatur. In quibus observes, voces « in ostensione spiritus et virtutis » non debere intellegi de portentoso et miraculoso modo, qui frustra plerorumque imitationi proponeretur. Vocabulo *spiritus*, sic fere Cornely, in hunc locum, designatur gratia divina quae Paulum adiuvat ut auditores convincat ; *virtus* autem est interna gratia qua auditores ad doctrinam propositam fide recipiendam permoventur. Huc ergo spectat commendatio, ut sacri praedicatores magis in Dei auxilio quam in mediis humanis et profanis nitantur ; et consequenter, ipsa ratione vivendi et dicendi viam gratiae praeparent.

De praeparatione contionatoris, de materia contionum et modo eam proponendi, plura magis particularia continet instructio *S. C. Consistorialis*. Quae in pauca sic contraximus in *Per.* IX, p. 40 : « Art. 15 praeparatio exigitur proxima, digna et supernaturalis : studio et oratione. — Ex art. 16, argumenta sacra esse debent, ita ut res politicae absolute excludantur ; alia, convenientia tamen domui Dei, ab Ordinario, post maturam considerationem permitti possint : v. g. collatio de opere sociali. Hodie res sunt politicae quae simul, ob respectum religiosum, in ecclesia interdum tractari poterunt et debebunt : utputa officia

hae ius suffragii civibus imponit. — Sine praevio et explicito assensu Ordinarii, ogia funebria fieri prohibentur. Cautio illa sumitur, quia, in Italia praesertim, emonstrationes politicae, ista occasione, timendae sunt. Ubi tale periculum fuerit, possit Ordinarius, modo generali, definire quaenam elogia ab ipso permittantur. Prohibitio illa omnes, etiam non clericos, afficit : in loco tamen acro vel in sacra functione.

Divertens ad rationes quibus contio confirmanda et texenda est, *Instructio* ult, art. 22. 23, ut sermo presbyteri Scriptura conditus sit, ac proin, ut contioator assiduus sit in studio S. Scripturae et Patrum (1). Contra, profanae auctoitates maxima sobrietate adhibendae sunt, maxime si extra Ecclesiam sint : umquam tunc auctoritates viventium personarum allegentur.

Ex art. 24. 25, non plausus auditorum, sed animarum salus et commendatio pud Deum et Ecclesiam quaerendae sunt. Ergo, sive ante sive post contionem, eprobatur id quod dicitur « *réclame* ».

Quare, ex art. 26. 27, fugienda quoque est actio declamatoria ; fugiendus nodus qui mere admirationem oratoris provocet. Sermo sit captui auditorum ccommodatus, modestus et gravis.

Nec proprium quaestum nec propriam gloriam ambienda esse, art. 28 monemur.

Exemplo vitae dicta confirmentur.

Art. 34-39 commendationes de praeparatione remota contionatorum continenur, quatenus ab Ordinariis et Superioribus curanda est. Ipsis permittitur ut lericis per aliquot annos examen annuum voce et scripto in curia subeundum mponant (art. 4).

Omnium usui proponuntur aurea consilia *Instructionis* ; si autem de stricta bligatione servandi particularia eius praescripta sermo fiat, non videtur *Instructio* afficere loca subiecta *S. C. Propagandae Fidei*. Haec enim Congregatio, si c. 248 et 252 conferamus, videtur pro locis sibi subiectis, Consistorialem supplere.

Valde optandum est ut sacri contionatores ad saluberrima monita et directiones *Instructionis* sedulo se accommodent.

« § 3. Si, quod absit, contionator errores aut scandala disseminet, servetur praescriptum c. 2317 ; si haereses, in eum praeterea, ad normam iuris agatur » (**c. 1347**).

Canon 2317 de erroribus agit non formaliter haereticis, praescribit autem ut a ministerio praedicandi verbum Dei et a quolibet docendi munere et a ministerio audiendi confessiones isti praedicatores arceantur, salvis aliis poenis infligendis.

Caput III. - De sacris missionibus

682. - Missiones sunt *sacrae expeditiones* quae, sive ad renovandum fervorem christianum et convertendos peccatores, sive ad dilatandam fidem catholicam inter haereticos vel infideles, *directe* instituuntur. Inde distinguuntur missiones *internae*, seu quae in regione catholica, et missiones *externae*, quae in regione acatholicorum vel infidelium celebrantur.

Canon **1349** ius confert, et officium definit Ordinariorum advigilandi

(1) In quo studio valde iuvari poterunt menstruis fasciculis v. g. « Verbum Domini » quae, ab anno 1921 ab Instituto Biblico publici iuris fiunt (Romae, Piazza Pilotta), aut supplemento ad ephemeridem Lovaniensem : *Les questions liturgiques et paroissiales.*

ut « saltem decimo quoque anno, sacram quam vocant, missionem, ad gregem sibi commissum habendam parochi curent ». Ac mandatis Ordinarii loci parochus etiam religiosus stare debet.

Saluberrimis istis exercitiis infensus fuit spiritus iansenisticus. Quare, C. *Auctorem Fidei*, 28 aug. 1794, a Pio VI ut « temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie ac salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato iniuriosa », reprobata est 65ª propositio synodi Pistoriensis, enuntians, « irregularem strepitum novarum institutionum quae dictae sunt exercitia vel missiones..., forte numquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur ; et exteriores illos commotionis actus qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura ». (Denz. n. 1565.)

683. - Propagatio evangelii per se ad provinciam pertinet Sedis quae etiam hac ratione dicitur *Apostolica*. Quare in territoriis ubi non sunt Ordinarii locorum, universa missionum cura apud acatholicos ei reservatur (c. **1350**, § 2).

Ubi autem sunt Ordinarii locorum vel etiam parochi, vult idem c. 1350, § 1, ut sibi in Domino commendatos habeant acatholicos in suis dioecesibus et paroeciis degentes.

His igitur verbis quasi missio Apostolica Ordinariis et parochis concreditur, qua meliore et efficaciore quam poterunt ratione conversionem acatholicorum procurent.

Damnanda igitur fuerit socordia qua, fovendis catholicis contenti, omne studium revocandi acatholicos deponerent. Quia tamen, pro adiunctis, variant modi possibiles prudenter adhibendi, ideo Codex circumspecte utitur voce generali « commendatos sibi in Domino habeant acatholicos », ita ut ipsum vocabulum « conversionis » evitetur.

Ad missiones exteras instituendas et regendas, est ab anno 1622 constituta *S. Congregatio de Propaganda Fide* (2).

684. - « Ad amplexandam fidem catholicam nemo *invitus cogatur* » (c. **1351**).

Sententia ista, Codex normam agendi proclamat quam Ecclesia a prima origine tenuit, et iam S. Augustinus professus est (1). Ceterum, cum fides sit donum Dei, nulla vi humana gratia ista obtrudi potest.

Non ideo tamen prohibetur societas christiana suam fidem protegere contra eius perturbatores, impugnatores et hostes. Qua ratione ? Ea quae secundum temporum varietatem et mores populorum magis iudicatur ad salutem animarum conferre. Nolimus dicere alterutro inopportunae atque etiam iniustae severitatis vel incautae benignitatis vitio numquam fuisse peccatum. Sed vehementer decipiuntur qui modernis oculis praeteritas leges et institutiones spectare et iudicare velint. De hoc argumento scripsimus librum « *La Tolérance* » (3).

(1) *Contra litteras Petitiani*, L. 2, c. 82 (P. L. 43. 315).
(2) Exstat etiam *Pia Unio cleri pro missionibus*, cuius statuta et privilegia promulgata sunt decreto 4 apr. 1926, S.C.P.F. (AAS., XVIII, 230; *Per.*, XV, 122). Cfr quoque decl. S.C.P.F., 28 mart. 1927 (*Per.*, XVII, 140 ss.). — Instante Supremo Consilio Pontificii Operis Prop. Fid., instituendam esse quotannis diem Missionalem, decretum est S.R.C. rescripto 14 apr. 1926 (AAS., XIX, 23 ; *Per.*, XVI, 31 ss.). — Indulgentias orantibus pro missionibus cfr decr. S. *Paenit.* 18 maii 1926 (AAS., XVIII, 322. *Per.*, XV, 167.168).
(3) Lovanii, Uytspruyst (2 ed. 1922). Exstat etiam anglice, germanice, hispanice.

TITULUS XXI

DE SEMINARIIS

(c. 1352-1371)

Scriptores : Poüan, *De Seminario clericorum*, dissertatio historico-canonica, Lovanii, 1876. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, II, n. 33 ; III, n. 90-94. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, t. VI, in hos canones. — Ferreres, S. I., *Institutiones can.* t. II, n. 320-358 bis. — Prümmer, O. P., *Manuale*, Q. 408-411. — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 892-912. — De Meester, *Compendium*, nn. 1306-1323.

Ordo Codicis. Vindicato iure Ecclesiae, Codex ordine agit primo de seminariorum constitutione et praeparatione candidatorum (c. 1352-1356) ; de auctoritate qua reguntur et administrantur (c. 1357-1359) ; de spirituali cura alumnorum (c. 1360. 1361) ; de cooptatione seminaristarum (c. 1362. 1363) ; de interna seminarii ordinatione (c. 1364-1369) ; de alumnis qui extra seminarium versantur (c. 1370) ; de alumnis dimittendis e seminario (c. 1371).

I. SEMINARIORUM CONSTITUTIO ET PRAEPARATIO CANDIDATORUM

685. - Notiones. *Seminarium,* (1) hoc loco, ut constat ex **c. 1354,** § 1, intellegitur *collegium in quo certus adolescentium numerus ad statum clericalem instituitur*. Proprie igitur constat convictoribus.

Nomen, teste Augustine, primum est a Concilio Tridentino usurpatum ; ipsa autem institutio efficaciter promota est in s. XXIII, c. 18 eiusdem Concilii.

Distinguitur, ex *disciplinis* quae in eo traduntur, *maius,* in quo philosophia et theologia ; *minus,* in quo litterae docentur.

In Belgio tamen consuevit disciplina philosophica annecti seminario quod minus dicitur.

Ex alumnis quibus componitur, in seminarium *purum,* in quo non alii admittuntur praeter eos qui spem dant fore ut statum clericalem amplectantur, et *mixtum,* in quo etiam alii studiis operam dant : sic, saltem hactenus, fuere pleraque seminaria minora Belgii. Institutio tamen alumnorum talis est qualis eam esse iubet SS. D. in litteris *Officiorum omnium,* quibus imperat ut seminaria minora sint exclusive destinata iis qui in spem quandam sacerdotii adolescunt. Cf. Claeys-Simenon, n. 894.

Pro *extensione territorii* cui per seminarium providetur, est *dioecesanum* et *interdioecesanum* seu *regionale,* vel etiam *centrale.*

Pro *auctoritate* qua vel ab initio erectum est vel qua postea nititur, est *episcopale* vel *pontificium.* Atque ex c. 1354, § 3, collato cum 1357,

(1) De vi canonica vocis cf. A. S., in *Nederlandsche Kath. Stemmen,* 1927, 91 ss.

§ 4, seminarium regionale seu interdioecesanum iam non constituitur nisi auctoritate Apostolica.

Potest autem, et casus est frequens, simul exsistere seminarium quodpiam centrale et seminarium dioecesanum. Sic, in Urbe, plura sunt seminaria quae dici possunt centralia, ad quae episcopi mittunt alumnos, etsi propium seminarium ipsis non desit. Sic etiam in Indiis, seminarium centrale, pontificia auctoritate erectum in insula Ceylan, in loco dicto Kandy, erectionem seminariorum dioecesanorum nullatenus prohibuit.

686. - Ius Ecclesiae. « Ecclesiae est ius proprium et exclusivum eos instituendi qui ecclesiasticis ministeriis se devovere cupiunt » (c. **1352**).

Praeparatio et cooptatio enim ministrorum sacrorum res est quae manifesto ad eam solam auctoritatem pertinet quae sacra ministeria regit et ordinat. Non defuere tamen usurpationes potestatis civilis, v. g. imperatoris Iosephi II; atque, in ipso Belgio, regis Batavi Guillelmi, volentium, saltem ex parte, praescribere modum quo clerici instituendi essent. Quare reprobata est in Syllabo haec propositio 46 : « Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subicitur » (Denzinger, n. 1746).

687. - Partes sacerdotum, praesertim parochi (c. **1353**). « Dent operam sacerdotes, praesertim parochi, ut pueros qui indicia praebeant ecclesiasticae vocationis, peculiaribus curis a saeculi contagiis arceant, ad pietatem informent, primis litterarum studiis imbuant divinaeque in iis vocationis germen foveant. »

Etenim, cum nequaquam necessaria sit interna quaedam aspiratio subiecti seu sensibilis invitatio Spiritus Sancti, ad ineundum sacerdotium (1), vocatus dici vere potest iuvenis aptus, nullo officio impeditus, qui seria et satis firma voluntate Deo in statu ecclesiastico velit servire. Ipsa *vocatio* prudenter *praeparari* vel *perfici potest* duplici ratione, sive procurando *aptitudinem* : haec postulat adolescentes immunes a saeculi contagiis, ad pietatem informatos, litteris imbutos (virtualiter hic commendatur labor ab ipsis sacerdotibus seu parochis susceptus tradendi prima elementa litterarum) ; sive *ipsam voluntatem prudenter stimulando* ad talem statum eligendum, germen vocationis fovendo, quod maxime fit dum animus ad generosas res et actus informatur.

Ecclesiastica autem vocatio non est tantum cleri saecularis, sed etiam religiosi. Quare de canonis significatione vehementer deciperetur qui ad eum provocaret ut ingressum in religionem dissuaderet ; nec ad mentem canonis ageret qui de sola alterutrius cleri ratione esset sollicitus.

Actio moderatorum spiritus debet, in hac re, esse non solum constans sed etiam prudens, ne sacerdos umquam postea vocationem sibi obtrusam fuisse

(1) Sic respondit peculiaris commissio Cardinalium in causa libri R. D. Lahitton, 2 iul. 1912. Cf. *Per.*, VI, 262.

fingere possit ; ac sedulo cavendum est ne vindicta divina formidanda exhibeatur iuvenibus quibus Deus plerumque liberam optionem status esse sinit (1).

Indicia, germina vocationis nihil aliud sunt nisi mores, inclinationes et actiones ex quibus navus aestimator conicere potest adolescentem esse vel fore aptum et a proposito clericalis vitae non esse nimis alienum.

688. - Obligatio procurandae institutionis in seminario (c. 1354). 1. Per se, in singulis dioecesibus habendum est « seminarium seu collegium in quo, pro modo facultatum et dioecesis amplitudine, certus adolescentium numerus ad statum clericalem instituatur » (c. 1354, § 1). Non quidem Codice, sed epistola Apostolica *Officiorum omnium*, 1 aug. 1922, exigitur ut sit collegium reservatum futuris clericis. De ista reservatione, et de praeparatione alumnorum ad perfunctionem divini muneris S. Pontifex subiungit : « Haec esto seminariorum omnium, nullo excepto, sanctissima lex. »

2. « Curandum ut in maioribus praesertim dioecesibus bina constituantur seminaria » (c. 1354, § 2). Sive enim scientificum profectum sive ipsam morum informationem spectes, optanda est haec studiorum et adolescentium separatio.

3. « Si constitui seminarium dioecesanum nequeat, aut in constituto seminario conveniens institutio, praesertim in philosophicis ac theologicis disciplinis, desideretur, episcopus alumnos in alienum seminarium mittat, nisi seminarium interdioecesanum vel regionale, auctoritate Apostolica, constitutum fuerit » (c. 1354, § 3).

Estne, post erectionem seminarii regionalis, sublata facultas mittendi alumnos ad aliud seminarium ? Id putat R. P. Augustine ; in Codice tamen non dicitur. Canon enim hoc tantum habet ut, si exsistat seminarium interdioecesanum, iam cesset istud monitum mittendi in alienum seminarium. Verum ipsum decretum S. Sedis est attendendum, quod potest facultatem episcoporum ampliare vel restringere.

689. - Modi procurandi reditus. Ut episcopus alendis suis alumnis efficaciter consulere queat, triplex ei potestas canone 1355 tribuitur.

1) Potest statis temporibus imperare collectas pecuniarum in ecclesiis non tantum parochialibus, sed etiam in exemptis : parochi et rectores debent in hac re episcopo iubenti obtemperare.

2) Potest tributum seu *taxam* in sua dioecesi imponere solvendam. Taxa dicitur « *seminaristicum* ».

3) « Si haec non sufficiant, attribuere seminario aliqua beneficia simplicia » etiam potest. Verum haec unio seu incorporatio non per-

---

(1) Cf. nostrum *De vocatione religiosa et sacerdotali*, Brugis, Beyaert, ed. 3, paratur ; A. Mulders, *La Vocation au sacerdoce*, Bruges, 1925 et ephem. *Le Recrutement sacerdotal*. Toulouse. Apostolat de la Prière.

mittitur, nisi deficientibus prioribus mediis. De natura beneficii simplicis, cf. infra, n. 744.

690. - De tributo seminaristico. 1) « § 1. Tributo pro seminario obnoxia sunt, quavis appellatione remota, reprobata qualibet contraria consuetudine et abrogato quolibet contrario privilegio, mensa episcopalis, omnia beneficia, etiam regularia aut iurispatronatus, paroeciae aut quasi paroeciae, quamvis alios reditus praeter fidelium oblationes non habeant, domus hospitalis auctoritate ecclesiastica erecta, sodalitates canonice erectae et fabricae ecclesiarum, si suos reditus habeant, quaelibet religiosa domus, etsi exempta, nisi solis eleemosynis vivat aut in ea collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu habeatur » (c. 1356, § 1).

Satis ampla et clara est haec Codicis numeratio. Pauca tamen explicanda sunt. « *Quavis appellatione* remota » : excluditur igitur etiam appellatio in devolutivo. Recursus tamen ad S. Sedem semper manet apertus. Haec potest imperare restitutionem soluti tributi.

Mensa episcopalis omnes reditus quos, qua episcopus, antistes percipit, complectitur.

Sodalitates canonice erectae distinguendae sunt ab iis quae mere sunt approbatae vel indulgentiis dotatae.

Quid sint *fabricae ecclesiae* supra, n. 493, diximus explicando c. 1183 et 1184. Interdum sunt personae morales cum propriis reditibus, interdum mera consilia ad administranda bona quorum subiectum possidens est diversum. Quare Codex condicionem ponit : « si suos reditus habeant ».

Tributo exemptae sunt domus religiosae *mendicantium* quae, etiam nunc, non possint habere reditus stabiles.

Paulo minus constat quid sit *collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum.* Tale est ipsum seminarium proprium in quo instituuntur religiosi clerici (Cf. resp. *S. C. Concilii*, 30 mart. et 9 sept. 1594, in ed. Neapolitana 1859, n. 18 ad c. 18, s. XXIII Ref. C. Trid.). Tale videtur etiam esse collegium catholicum omnibus adolescentibus apertum. De hac re dubitat De Meester, n. 1313, nota 7.

R. P. Augustine in severiorem sententiam inclinat, quando collegium reservatum sit propriis familiae religiosae alumnis. Quid autem intendat, non adeo perspicue apparet. Rationem dat quod quae sunt in utilitatem immediatam religiosae familiae, non sunt ad bonum commune Ecclesiae. Sed hoc negandum est. Sin minus, ipsa seminaria propria religiosorum forent tributo obnoxia. Responsa autem *S. C. Concilii* ab ipso allata illi conclusioni non favent. Resolutio enim 24 april. 1723 declarat beneficia monasteriis Ordinum exemptorum unita subiecta esse taxae seminarii, licet in monasteriis habeantur lectiones grammaticae et casuum conscientiae. Quis non videt talibus lectionibus non verum constitui collegium ? Altera solutio a cl. auctore allegata, 3 ian. 1594, negat exemptionem postulatam « *praetextu* collegii pauperum » ab abbate et monachis erecti. Neque hic videtur sermo fuisse de vero collegio. Quare, sive solis religiosis sive etiam aliis inserviant, vera collegia discentium vel docentium arbitramur esse exempta.

Verum non sufficit ut monasterium contribuat sui Ordinis seminario quod in ipso monasterio non habeatur. Tunc enim de reditibus qui supersunt contribuere debent, ut responsum est a *S. C. Concilii*, in Monasterien. 7 sept. 1714. (Responsa ista reperiuntur v. g. in ed. Richter, Conc. Tridentini.)

2) Tributum istud debet esse *generale*, eiusdemque proportionis pro omnibus ; nec potest excedere quinas quotannis centesimas partes (5 p. c.) reditus vectigalis, i. e. obnoxii isti tributo. Ac minui debet si reditus Seminarii augeantur (c. 1356, § 2).

3) « § 3. Reditus tributo obnoxius is est qui, deductis oneribus et necessariis expensis, supersit in anno ; nec in eo reditu computari debent distributiones cotidianae, vel, si omnes beneficii fructus distributionibus constent, tertia earundem pars ; nec fidelium oblationes, nec, si omnes paroeciae reditus coalescant fidelium oblationibus, tertia earundem pars. »

Observes stipendia missarum inter istos reditus non computari.

Itaque omnibus aliis oneribus vel obligationibus et necessariis expensis satisfieri potest. Quod dein superest tributo oneratur. Per se etiam non computantur distributiones canonicae cotidianae, nec fidelium oblationes. Si tamen alii non sint beneficii fructus nisi cotidianae distributiones, vel nulli sint alii reditus nisi oblationes fidelium, tunc quidem, ne § 3 contradicat § I, distributiones istae et oblationes obnoxiae sunt tributo, ita tamen ut tertia earum pars maneat exempta.

Nescimus cur R. P. Augustine partem obnoxiam tributo aliter computet quando agitur de distributionibus et aliter quando sermo est de oblationibus, cum canon iisdem verbis in utroque casu partem obnoxiam definiat. Monet idem scriptor, nomine oblationum non venire tantum quae liberali manu donantur in aliqua collecta in ecclesia, sed etiam sic dictum *pew rent* (taxa solvenda pro usu scamni).

II. AUCTORITAS RECTRIX ET ADMINISTRANS SEMINARII

691. - Canon **1357** seminarium *dioecesanum* in primis ponit *in manu episcopi*, cuius est « omnia et singula quae ad rectam seminarii dioecesani administrationem, regimen, profectum necessaria et opportuna videantur decernere, eaque ut fideliter observentur curare, » salvis peculiaribus praescriptis S. Sedis (c. 1357, § 1).

Personalis vero sollicitudo de seminariis et alumnis seminariorum Antistiti his verbis inculcatur : « Potissimum studeat episcopus frequenter seminarium ipse per se visitare, in institutionem quae alumnis traditur sive litterariam et scientificam sive ecclesiasticam sedulo vigilare, et de alumnorum indole, pietate, vocatione ac profectu pleniorem sibi comparare notitiam, maxime occasione sacrarum ordinationum » (c. 1357).

Vult demum Codex ut, non secus ac singulis confraternitatibus, sic unicuique seminario *suae sint leges* ab episcopo approbatae, « in quibus quid agere, quid observare debeant, doceantur tum qui in eodem seminario in spem Ecclesiae instituuntur, tum qui in horum institutionem operam suam impendunt » (c. 1357, § 3).

De seminario autem *interdioecesano* vel *regionali*, S. Sedes definit

regimen universum et administrationis modum. S. Sedis normae sunt observandae (**c. 1357**, § 4).

Decreto *Quo uberiore*, 2 febr. 1924, quod de mandato SS. D. N. Pii Pp. XI edidit *S. C. de Seminariis et studiorum Universitatibus*, triennalem praescripsit relationem, latine scribendam, et sibi faciendam super statu Seminarii, secundum formulam ipsi decreto annexam. Triennia sunt fixa et a 1 ian. 1924 computantur, ita ut hoc primo anno relationem exhibere debeant Ordinarii Italiae, Galliae, Hispaniae insularumque adiacentium ; in altero, ceteri Europae Ordinarii ; in tertio, Ordinarii Americae universi.

Si per triennium quod relationem sequetur textus praelectionum mutetur, id statim ad S. Congregationem referri debet.

Triennalis ista relatio non derogat quinquennali relationi de statu dioecesis ac proinde de seminario exhibendae S. C. Consistoriali.

Relatio seminarii regionalis fit ab Ordinario qui Seminario praeest.

692. - Rector et Officiales. « Curandum ut in quolibet seminario adsint rector pro disciplina, magistri pro instructione, oeconomus pro curanda re familiari, *a rectore distinctus*, duo saltem confessarii ordinarii et director spiritus » (**c. 1358**).

Cum ipse director spiritus confessiones audire soleat, immo plerumque sit confessarius principalis, tres saltem confessarii sunt assignandi. Non est tamen necesse ut tres in ipso seminario habitent.

In formula relationis triennalis, n. 10 quaeritur : « Utrum sit Magister pietatis, seu Director spiritualis, debita prudentia, doctrina, pietate ornatus, qui in seminario degat, nulloque alio officio implicetur (c. 642, § 1, n. 2 ; 1358 ; 1360). »

Quaestio ista posita est secundum usum Italiae, quo unus tantum nominatur Director spiritus qui, *in ipso seminario*, nullo alio officio fungi potest, excepto munere magistri religionis in seminario minore, vel scholae cuiuspiam secundariae in seminario maiore. — Non ideo tamen S. Congregatio istam disciplinam extra Italiam urgere intendit, sed suos usus aliis regionibus permisit, dummodo curae spirituali apto modo prospiciatur. Sic fit, in Gallia, ut iidem qui professores sunt, etiam (plures numero) vocentur *Directores*, inter quos seminaristae sibi quisque proprium Patrem spiritualem eligunt. Declarandum igitur est quo pacto res ordinetur : S. Congregatio ordinationem vel tacite approbabit vel quae mutanda sint indicabit.

693. - Superior procuratio per deputatos (**c. 1359**). « § 1. Dioecesanis seminariis *bini* constituantur *coetus deputatorum*, alter pro disciplina, alter pro administratione bonorum temporalium.

« § 2. Utrumque deputatorum coetum constituunt bini sacerdotes, ab episcopo, audito capitulo, electi ; sed excluduntur Vicarius Generalis, familiares episcopi, rector seminarii, oeconomus et confessarii ordinarii.

« § 3. Munus deputatorum per sexennium durat, nec electi sine gravi causa amoveantur ; sed rursus eligi poterunt.

« § 4. Episcopus debet consilium deputatorum in negotiis maioris momenti petere. »

Utrumque consilium in ipso capite 18 s. XXIII, de Ref., Concilii Tridentini praevidebatur erigendum, sed Codex eorum compositionem et constitutionem non nihil mutavit. Consilium enim pro disciplina constabat duobus canonicis, ab episcopo electis ; consilium vero pro administratione temporali conflabatur quattuor sacerdotibus, quorum duo erant de capitulo et duo de clero civitatis ; episcopus vero nominabat unum capitularem et unum de clero civitatis ; alter canonicus designabatur a capitulo, alter de clero ab ipso clero eligebatur.

Consilium istud non est nisi consultivum ; sed episcopus *debet* consilium deputatorum in rebus maioris momenti petere. An sub poena nullitatis ? Sub iure anteriore, *S. C. C.*, 14 febr. 1594, nullam declaravit unionem beneficiorum factam sine petito consilio deputatorum. Cum tamen sanctio nullitatis in Codice expresse non addatur, regula generalis canonis 11 vult ut nullitatem negemus nisi pro actu peculiari consilium ad valorem dicatur requirendum. Addas coetus istos non ubique exsistere. Cf. De Meester, n. 1315.

Quid autem si seminarium sit religiosis concreditum vel societati quae religionem imitatur, cf. appendicem hic mox infra.

Observes demum pro solo seminario *dioecesano* coetus deputatorum esse constituendos.

III. SPIRITUALIS SEMINARIORUM CURA

694. - Cura per selectionem personarum (c. 1360). « § 1. Firmo praescripto can. 891, ad munus rectoris, directoris spiritus, confessariorum et magistrorum seminarii eligantur sacerdotes non doctrina tantum sed etiam virtutibus ac prudentia praestantes, qui verbo et exemplo alumnis prodesse possint.

« § 2. Rectori seminarii, in propriis muneribus implendis obtemperare omnes debent. »

Hac collata auctoritate prospicitur unitati et concordiae, quae non parum ad spiritualem aedificationem, ac proin ad bonum spirituale seminaristarum confert.

695. - Forum sacramentale (c. 1361). Praeter confessarios ordinarios, alii confessarii designandi sunt ad quos libere alumni accedere possint (c. 1361, § 1).

Tales igitur nominandi sunt ad quos liber pateat accessus. Ideo :

Si degant extra seminarium, rector, quotiens id postulet alumnus, electum ab ipso alumno confessarium inter istos designatos, arcessere debet, « nullo modo petitionis rationem inquirens neque se aegre id ferre demonstrans ; si in seminario habitent, ipsos alumnus libere adire potest, salva seminarii disciplina » (c. 1361, § 2).

« Quando agitur de alumno ad ordines admittendo vel e seminario expellendo, numquam confessariorum votum exquiratur » (c. 1361, § 3).

Non ergo in omni casu vel ad quemlibet finem prohibetur interrogatio confessarii, quamvis melius sit ut ipse consiliis dandis de suis paenitentibus abstineat, etiam si votum favorabile dare voluerit. Si enim cognoscatur ut favens suis paenitentibus, occasionem praebet, non solum vanae adulationi sed etiam sacrilegis fictionibus.

Cum vero nulla peculiaris iurisdictio ad absolvendos clericos requiratur, liquet seminaristis integrum quoque esse ut occasione alius confessarii utantur.

Si quis vero, non notus ut confessarius, interrogetur de ordinatione vel expulsione, ipse ultro votum recusare debebit.

Ut salva sit disciplina seminarii, praestitui possunt certae horae, extra quas alumni indigeant peculiari licentia ad adeundum confessarium : sufficiens sed rationabilis libertas iis procuranda est.

IV. SEMINARISTARUM COOPTATIO

696. - Redituum applicatio. « Reditus legati pro clericis instituendis tribui possint alumnis in seminarium sive maius sive minus rite receptis, licet nondum clericali tonsura initiatis, nisi aliud in tabulis fundationis expresse caveatur » (**c. 1362**).

Ipsa facultate applicandi reditus legatos providetur cooptationi seminaristarum. Opportuna est autem dispositio praesentis canonis, postquam, c. 976, § 1, inceptum cursum theologicum postulavit pro tonsurandis.

697. - **Dotes requisitae (c. 1363).** « § 1. In seminarium ab Ordinario ne admittantur nisi filii legitimi (1) quorum indoles et voluntas spem afferant eos cum fructu ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. »

Legitimi etiam iuridice sunt *legitimati*, nisi exceptio diserte apponatur.

Cooptari igitur possunt etiam legitimati. Prudens et potius severus delectus maximi est momenti pro bono Ecclesiae. Atque etiam tales admittendi sunt qui videntur perseveraturi in suo proposito vitae clericalis, ne, relinquendo statum superiorem pro inferiore, in vita sua morali et sociali, quandam, ut ita dicam, capitis deminutionem patiantur.

« § 2. Antequam recipiantur, documenta exhibere debent de legitimitate natalium, de susceptis baptismate et confirmatione ac de vita et moribus. »

Legitimati debebunt documentum legitimationis exhibere. Testimonia de vita et moribus a personis competentibus impetranda sunt. Tales erunt in primis proprius parochus, Superior collegii vel scholae ab ipsis frequentatae.

« § 3. Dimissi ex aliis seminariis vel ex aliqua religione ne admittantur, nisi prius episcopus, etiam secreto a Superioribus aliisve notitias requisierit de causa dimissionis, ac de moribus, indole et ingenio dimissorum et certo compererit nihil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat; quas notitias, veritati conformes, eorum conscientia graviter onerata, suppeditare Superiores debent. »

---

(1) Nihilo minus, in *Theol. prakt. Qtschft.* 1923, 691, R. D. I. HARING, sub titulo « *Bedürfen Illegitimi, bei Aufnahme in ein Seminar der päpstlichen Dispensation?* », contendit illegitimos sine dispensatione S. Sedis, ab Episcopis cooptari posse. Redarguitur autem a Prof. HILLING, in *Archiv für kath. Kirchenrecht*, 1925, p. 291.

Canone isto nobis videtur confirmari interpretatio quam in *Epitome*, I, 648, dedimus vocis *collegii*, in c. 544, § 3, quo nomine ibi intelleximus tantum institutum quo clerici, religiosi vel religiosae praeparantur. Nam, quando agitur de cooptatione clericorum, specialis notificatio non postulatur nisi de iis qui fuere in *seminario* vel in *religione*. Cur, in simili causa, severior regula poneretur pro cooptatione religiosorum quam eorum qui ad ipsum sacerdotium aspirant? Atque in c. 1354, § 1 collegium iuxtaponitur seminario, ut idem significans : « dioecesis.... seminarium seu collegium habeat ».

V. INTERNA SEMINARII ORDINATIO

698. - Tradendae disciplinae. « In *inferioribus* seminarii *scholis* : 1° praecipuum locum obtineat religionis disciplina, quae, modo singulorum ingenio et aetati accommodato, diligentissime explicetur ; — 2° linguas praesertim latinam et patriam alumni accurate addiscant ; — 3° ea in ceteris disciplinis institutio tradatur quae conveniat communi omnium culturae et statui clericorum in regione ubi alumni sacrum ministerium exercere debent » (**c. 1364**).

Valde prudenter conscriptus est is canon. Cum enim tanta sit adiunctorum diversitas, satius profecto est pauca generaliter definire, et sinere ut competens auctoritas omnia ad regionum necessitates attemperet.

699. - De studiis superioribus (c. 1365). « § 1. In philosophiam rationalem cum affinibus disciplinis alumni per integrum saltem biennium incumbant. — § 2. Cursus theologicus saltem integro quadriennio contineatur, et, praeter theologiam dogmaticam et moralem, complecti praesertim debet studium sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici. — § 3. Habeantur etiam lectiones de theologia pastorali, additis practicis exercitationibus praesertim de ratione tradendi pueris aliisve catechismum, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis. »

Observes duos philosophiae et quattuor theologiae annos exhiberi ut tempus minimum quod istis studiis sit insumendum. Distinguit canon in ipso cursu theologico disciplinas stricte principales, quas duas tamquam essentiales indicat : theologiam dogmaticam et moralem. Non necessarium est ut omnes quae indicantur tradendae disciplinae locum formalem obtineant in proprie dictis praelectionibus ; vel ut tradantur in ipso instituto ubi materiae essentiales proponuntur. Sic notiones de sacra eloquentia dari possunt inter exercitationes practicas contionum quae seminariorum alumnis imponi consueverunt. Disciplina pastoralis quod ad magnam partem coniungi potest cum theologia morali ; quod vero desideratur, suppleri potest in domo habitationis per instructiones vel exercitationes.

Ceterum vocabulum « habeantur », non tam de absoluto praecepto quam de re quae valde optanda et, prout copia datur, procuranda sit, videtur intellegi posse ; quasi dicatur : Curent, pro viribus.

Quamvis, excepta dispositione c. 1366, § 2, id non stricte praecipiatur, mens sane est Legislatoris ut Superiores religiosi in domibus studiorum praescripta de ordinatione studiorum observent, quantum ratio propriae religionis id ferat.

Die 27-29 apr. 1927, *S. C. de Seminariis et Studiorum Universi-*

tatibus declaravit, probante Pontifice, vigere praescriptionem, litt. enc. *Pascendi*, 8 sept. 1907, secundum quam laurea theologiae vel iuris canonici valide donari non possit qui curriculum philosophiae scholasticae non emensus fuerit (AAS., XIX, 194; *Per.*, XVI, 53): curriculum, vi huius can. 1365, saltem duos annos requirit. Verum, u 11 apr. 1928, eadem S. C. declaravit, praescriptio ista est propria clericorum, ita ut in laicos non cadat (AAS., XX, 157; *Per.*,XVII, 146).

700. - Delectus magistrorum (c. 1366). « § 1. Ad magisterii munus in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis, ii, ceteris paribus, iudicio episcopi et deputatorum seminarii, praeferantur, qui laurea doctorali potiti sint in Universitate studiorum vel Facultate a S. Sede recognitis, aut, si agatur de religiosis, qui simile testimonium a suis Superioribus maioribus habeant. — § 2. Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant. — § 3. Curandum ut saltem sacrae Scripturae, theologiae dogmaticae, theologiae moralis et historiae ecclesiasticae, totidem habeantur distincti magistri. »

Itaque non stricte requiritur ut magistri gradum philosophiae vel theologiae sint consecuti; immo casus non excluditur quo non laureatus propter iustas causas laureato praeferatur. Scite autem de istis laureatis sermo fit qui in aliqua probata a S. Sede facultate vel universitate studiorum, facto periculo, doctores sint renuntiati; minime vero de doctoribus quos, fere honoris causa, quaedam collegia Praelatorum creare possunt.

Testimonium autem Superiorum religiosorum quod gradum suppleat testari debet candidatum probatum fuisse examine quod moraliter aequivaleat examini doctoris in Universitate.

Motu Proprio *Bibliorum scientiam*, 27 april. 1924, S. Pontifex vetuit ne quis in seminariis sacrarum Litterarum disciplinam doceret nisi gradus academicos apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum adeptus legitime esset; sufficere tamen declaravit ut qui primum et alterum curriculi annum in Instituto Biblico peregerint titulum ibi baccalaurei consequerentur. (AAS., XVI, 1924, 180; *Per.*, XIII, 105.) Post Motu proprio *Quod maxime*, 30 sept. 1928, doctoratus in scientia Biblica non iam a sola Pont. Commissione Biblica sed etiam ab Instituto Biblico conferri potest (AAS., XX, 309, *Per.*, XVII, 186).

In § 3 curandum dicitur ut, saltem pro disciplinis superioribus, quattuor sint distincti professores. Hoc igitur providendum est prout copia habebitur: proprie dictum praeceptum non profertur.

Omnes autem philosophiae et theologiae professores bene affecti esse debent ad S. Thomam. Vult enim ut sancte teneant rationem, doctrinam et principia Angelici Doctoris et, secundum ea, studia alumnorum dirigantur. Quod etiam, vi c. 589, in studia religiosorum cadit.

Ratio designat hic methodum, quae debet esse scholastica. — *Doctrina* indicat ipsas sententias seu theses S. Doctoris. — *Principia* significant hic theses fundamentales eiusdem Doctoris.

Opportune observat R. P. Augustine non esse opus ut singulae theses S. Thomae doceantur; immo, quaedam sunt quae communiter deseruntur, vel adeo deseri debent. Verum consulto ad vocabulum *doctrinam* apponitur voca-

bulum *principia* : sensus igitur est, fideliter inhaerendum esse doctrinae Angelici Doctoris, ita ut numquam ab eius principiis seu punctis quibus aedificium eius theologicum superstruitur recedatur.

Quo pacto autem R. P. AUGUSTINE Molinismum opponat doctrinae et principiis S. THOMAE, minime capimus. An ignoret fortasse Molinam fuisse egregium sectatorem S. THOMAE, et in sola quaestione propter quam Molinismi nomen est inventum, de genuina mente Angelici Doctoris certari ? An hoc fugerit memoriam eiusdem scriptoris, in restauratione philosophiae et theologiae, S. THOMAE partes minime secundarias obtigisse sic dictis Molinistis ?

De can. 1366 disseruit R. P. RAUS, C. SS. R. in *N. R. Th.*, 1925, 269, ss.

701. - Institutio ad pietatem (c. 1367). « Curent episcopi ut alumni seminarii : 1° singulis diebus communiter matutinas et serotinas preces recitent, per aliquod tempus mentali orationi vacent, sacrificio missae intersint ; — 2° semel saltem in hebdomada ad sacramentum paenitentiae accedant et frequenter, qua par est pietate, Eucharistico pane se reficiant ; — 3° Dominicis et festis diebus, sacris missarum et vesperarum sollemnibus adsint, altari inserviant sacrasque caerimonias exerceant, praesertim in ecclesia cathedrali, si id, iudicio episcopi, sine disciplinae et studiorum detrimento fieri possit ; — 4° singulis annis per aliquot dies continuos exercitiis spiritualibus vacent ; — 5° semel saltem in hebdomada adsint instructioni de rebus spiritualibus quae pia exhortatione claudatur. »

In istis praescriptis nihil est quod per se non possit tam in minore quam in maiore seminario observari. Sane in caerimoniis exercendis *magis maioris* quam *minoris seminarii* alumni incumbent. Huiusmodi distinctio minime Codicis menti vel verbis repugnat. In collegiis mixtis urgenda non erit omnium alumnorum confessio hebdomadaria ; sed nihil obstat quin obtineatur ab istis convictoribus qui intentionem clericatus manifestarunt. Perinde dicendum est de cotidiana oratione mentali. Cetera omnia in omnibus collegiis catholicis facilem exsecutionem habebunt, etiam hebdomadaria instructio, cui forma contionis in ecclesia dari potest.

702. - Iurisdictio spiritualis et consequens exemptio (c. 1368) (1). Sub iure superiore, nulla generalis sanctio seminarium a iurisdictione parochiali eximebat. Hanc nunc concedit rectori eiusve delegato c. 1368 ; et consequenter officium parochi tribuit pro omnibus qui in seminario sunt, excepta materia matrimoniali, et excluso ministerio confessionum, quas rector non potest ipse per se excipere, nisi alumni, ex gravi et urgenti causa, in casibus particularibus sponte id petant.

Exemptio ista communis est minori et maiori seminario, et habetur a momento quo seminarium legitime erectum est.

(1) *De exemptione seminariorum* peculiarem lucubrationem scripsimus in *Ius Pontificium*, t. II, p. 67, ss.

Si ergo de seminario dioecesano agitur, seminarium dici poterit erectum ex quo designatis, cum Superiore, magistris et iam cooptatis vel saltem cooptandis alumnis, exsistere coepit domus seu collegium quod, ex manifestata episcopi voluntate, institutioni clericorum destinatur. Antea exigebant, praeter comparatam domum, constitutionem duplicis coetus consultorum; immo id non sufficere declaraverat Rota (apud FERRARIS, *Bibliotheca*, verbo *Seminarium*, n. 129), fortasse quia ante constitutam communitatem haec pertinent potius ad seminarii praeparationem. Cf. POÜAN, p. 161. Estne autem hodie essentialis ea consultorum deputatio quae sane est praescripta? Id minime constat. Si domus habetur qualis c. 1354, § 1 describitur, i. e. collegium in quo certus adolescentium numerus ad statum clericalem instituitur, nonne tota essentia haberi videtur? Ceterum, haec accurate librare minus hodie refert, cum possit semper episcopus uti c. 464, § 2 ad piam domum parocho subducendam.

Ipsum nomen *seminarii* minime essentiale est, dummodo *res* habeatur. Quare varia ista Urbis collegia, S. Sedi probata, in quibus aluntur futuri sacerdotes, qui aliquam probatam Urbis Universitatem studiorum clericalium frequentant, exemptionem c. 1368 plene participant.

Quid autem dicendum est de collegiis *mixtis?* Oportet, ait AUGUSTINE, ut natura clericalis sit saltem principalis. Quod recte dictum existimavimus, quia res a potiore parte nominantur. Non putamus tamen requiri ut re vera maior pars alumnorum ad sacerdotium aspirent, dummodo finis institutionis hanc praeparationem clericorum principaliter respexerit, et ordinatio interior talis sit qualis c. 1364 et 1367 exigitur.

Exemptio autem afficit omnes personas « quae in seminario sunt ». Per se verba ista latius patent quam, pro religiosis, verba c. 514, quo professis (quod ad usum sacramentorum a Superiore) assimulantur ii tantum qui diu noctuque in religiosa domo degunt. Satis ergo videtur, ut aliquo titulo sint actu in seminario. Verum, nisi ibi habitualiter diu noctuque versentur, exemptio circumscripta erit tempore per quod ibi versantur. Fruuntur ergo ista exemptione magistri, alumni convictores, famuli domestici, Sorores quae servitia quaedam secundaria praestant; immo, ut veri simile est, ipsi alumni externi, si actu sint in seminario praesentes.

Vis autem exemptionis haec est, ut Superior eiusve delegatus omnia sacramenta istis personis conferre possit; easdem, sicut parochus in legibus Temporum sacrorum dispensare; immo in seminario mortuos sepelire permittatur (1).

Observes sola iura parochi a Superiore exerceri posse erga Sorores quae in seminario degunt. Intactae itaque et applicandae manent leges de foro sacramentali apud religiosas, de contionibus apud ipsas habendis.

Materia tamen *matrimonialis* reservata manet parocho, ita ut Superior, nisi fuerit a parocho loci specialiter delegatus pro aliquo matri-

(1) Funera tamen eorum externorum qui casu moriantur in seminario spectare ad parochum, autumat CLAEYS-SIMENON, n. 900, contra MATTH. A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, p. 179.

nio, non posset, tamquam testis qualificatus, parochum valide oplere. Ceterum, e c. 1109, § 2, excepta urgente necessitate Ordirio probata, matrimonia extra ecclesiam vel oratorium Seminarii ebranda sunt.

Sive Superior sit de clero saeculari, sive sit religiosus, exemptio dem modo ab ipsis possidebitur, dummodo agatur de seminario oecesano, vel quod pro clero praesertim saeculari instituendo sit ectum.

Haec omnia valent, nisi S. Sedes aliter rem ordinaverit.

703. - Moderatorum officia (c. **1369**). « § 1. Seminarii rector et i omnes moderatores sub eius auctoritate curent ut alumni statuta episcopo probata studiorumque rationem adamussim servent ac iritu vere ecclesiastico imbuantur.

« § 2. Saepius eis verae et christianae urbanitatis leges tradant, eosque emplo ad illas colendas excitent ; hortentur praeterea ut praecepta ygienica, vestium et corporis munditiam et, quandam in conversando mitatem cum modestia et gravitate coniunctam, iugiter servent.

« § 3. Sedulo vigilent ut magistri suo munere rite fungantur ».

Quam pretiosa sint haec monita, quam opportuna hodie ubi, magis quam ante, erici et sacerdotes spectaculum facti sunt hominibus ; ubi tam facile propter odum agendi non urbanum vel propter neglectum personae cultum ab ipsa regione et fide animi fiunt alieni, et frequens conflictus cum partibus politicis atholicis occasio simul est zeli exterius intemperantis, supervacaneum est notare. Servum Domini, aiebat Apostolus, non oportet litigare ; sed mansuetum esse l omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt ritati, ne quando Deus det illis paenitentiam ad cognoscendam veritatem et sipiscant a diaboli laqueis. » (Ep. 2 Tim., 2, 24-26).

VI. DE ALUMNIS EXTRA SEMINARIUM

704. - Communis condicio aspirantium ad sacros ordines haec esse ebet, ut a teneris annis in seminario recipiantur, vel saltem catholice istituantur et superiora studia in maiore seminario obeant. Permittit umen Codex ut ob gravem causam, v. g. studiorum, episcopus in asibus particularibus dispenset. Sed dispensati commendandi sunt pio t idoneo sacerdoti qui iis invigilet eosque ad pietatem informet. bservatio istius praescripti c. 972, § 2, canone **1370** commendatur.

VII. DE ALUMNIS DIMITTENDIS

705. - « E seminario dimittantur dyscoli, incorrigibiles, seditiosi, qui ob mores atque indolem ad statum ecclesiasticum idonei non ideantur ; itemque, qui in studiis adeo parum proficiunt ut spes non ffulgeat eos sufficientem doctrinam fore assecuturos ; praesertim vero tatim dimittantur qui forte contra bonos mores aut fidem deliqueint » (c. **1371**).

Iam ipsum C. Trid. in c. 18 s. XXIII dyscolos et incorrigibiles ac malorum morum seminatores dicebat acriter puniendos, « eos etiam si opus fuerit, expellendo ». Severiora igitur nunc verba adhibet Codex ; ac, praeter causas morales, ipsam minorem ingenii capacitatem ut causam dimissionis addit.

Observes tamen non omnes qui peccaverint habendos esse ut *delinquentes* contra bonos mores. Peccatum enim potest esse omnino secretum et solitarium. Tunc regulae prudentiae supernaturalis erunt a confessario adhibendae, ut prius emendationi fragilis iuvenis operam det; tempestive tamen procuret ut discedant qui sacras status futuri obligationes nimis difficulter impleturi praevidentur. Cfr quae *Per.*, XVII, 231* ss., scripsimus sub titulo : Partes Confessarii in diiudicanda virtute necessaria ad sacros ordines.

APPENDIX

DE SEMINARIIS PLURIBUS, PROVINCIALIBUS ET CONCREDITIS INSTITUTO RELIGIOSO

706. - Seminariorum pluralitas. Regula erat Tridentina, ut si plura haberentur seminaria, ab illo quod in civitate episcopali erectum sit, reliqua in omnibus dependerent. (S. XXIII, c. 18, Ref.)

Regula ista Codice non confirmatur. Atque scriptores qui eam, ante Codicem, urgebant, laborare videbantur in explicanda illa omnimoda dependentia, cum ipsa singulorum seminariorum bona manerent distincta. Cf. Poüan, p. 163.

Sane, duo coetus qui pro uno seminario constituti sunt, iidem numerice consiliis suis adiuvabunt episcopum in suprema administratione aliorum. Prout leges civiles id suadebunt, unum vel plura erunt subiecta dominii. Cavendum tamen erit ut unicuique applicentur reditus pro singulis comparati. Regimen erit plerumque simile in omnibus, demptis accidentalibus differentiis ; nullo tamen modo Superior unius seminarii erit Superiori seminarii civitatis episcopalis subordinatus : huic non competet nisi quaedam praecedentia honoris.

Sic iam ipsi legi Tridentinae satisfiebat.

Saepius unum erit seminarium pro studiis sacris ; ad haec vero studia, plura praeparabunt seminaria minora.

Quamvis autem pro institutis mixtis allegari possint non nulla commoda, in priore editione recitata, S. Pontifex, epistola Apostolica 1 aug. 1922, de seminariis et de studiis clericorum tamquam sanctissimam omnium seminariorum legem voluit ut nullus in eis locus daretur pueris vel adolescentulis qui nullam ad sacerdotium propensionem voluntatis praeferrent ; et omnia huc spectarent ut ad perfunctionem divini muneris accommodatae alumnorum animi praepararentur. Cf. AAS, XIV, 1922, 451 ; — *Per.*, XI, 143.

707. - Seminaria interdioecesana. Ab ipso Concilio Tridentino, in dicto c. 18, permittitur in provinciis paupertate laborantibus ut Concilium Provinciale, vel metropolita cum duobus suffraganeis antiquio-

ribus erigenda curet seminaria communia ecclesiis quae non possent singulae seminarium proprium commode erigere. Expressa correctio istius iuris in Codice non legitur. Nec apparet cur non possent episcopi, communi consensu, huiusmodi seminarium erigere. Modo tamen universali statuit **c. 1357**, § 4, seminaria interdioecesana normis regi S. Sedis. Cum igitur prohibitio talis institutionis episcopis facta nulla legatur, dispositionem c. 1357 explicamus per modum facti. Re vera episcopi non convenerunt de seminariis communibus ; re vera S. Sedes ea instituit, ergo normis S. Sedis reguntur.

708. - Seminaria commissa religiosis. Seminaria possunt ab episcopo curis alicuius religionis vel societatis quae, sine votis, religionem imitatur committi. Nulla enim exstat in iure prohibitio (1). Sic, in Gallia, nota Societas S. Sulpicii (*Compagnie de Saint Sulpice*) non pauca seminaria administrat ; ac procurationem seminariorum tamquam principalem suum finem intendit. Facile fit ut in pactione de regendo seminario, proponantur clausulae quae Codici derogent, ut si excludantur coetus deputatorum pro disciplina et pro re temporali, vel si ipsi successores episcopi a pactione ista non possint sine aequa causa recedere. Opus tunc erit dispensatione et approbatione S. Sedis (2).

Videtur tamen etiam sine derogatione Codici facta provinciam istam tribui posse Congregationi vel Ordini religioso. Ambo enim coetus deputatorum exsistere possunt, et annuam relationem de disciplina et de statu temporali excipere, examinare, et de utraque, sua proponere consilia. Rector nominari potest a Superiore Generali, assentiente Ordinario. Nec videmus cur non possit Ordinarius ita Superiori Generali fidere ut ei committat designationem rectoris, et magistrorum qui debitis qualitatibus sint instructi, reservata sibi, in casu particulari, facultate repudiandi vel revocandi personam a Superiore Generali electam. Ius visitandi seminarium integrum manet episcopo, qui, si res bene procedent, discrete suo iure utetur. Ipse Superior religiosus seminarium sicut alias domos visitat. Quacumque autem ratione seminarium religiosis committatur, valde clarae et distinctae fiant stipulationes, ne qua obscuritas occasio sit vel paenitendi vel litigandi.

P. Ferreres, agens de pactionibus a S. Sede probatis, *Inst. can.*, n. 358, bis, has condiciones ut satis communes indicat : Ut Superior Generalis rectorem et professores deputet ; ut administratio seminarii fiat indepedenter a duplici coetu

(1) Poüan, p. 219, videtur exigere semper interventum S. Sedis, quia iure communi necessario derogetur.

(2) Brevi 23 dec. 1921, Benedictus XV Societati a S. Sulpicio perpetuum concessit privilegium accipiendi regimen seminariorum atque eadem, tam in temporalibus quam in spiritualibus libere administrandi sine deputatorum interventu. Annuam tamen redituum rationem Ordinario loci, astantibus duobus canonicis ecclesiae cathedralis reddere debent (AAS., XIV, 1922 37).

consultorum ; ut pactio non permittat episcopo praesenti et futuris arbitrariam recissionem.

Ius et officium visitandi suum seminarium manet penes episcopum.

Societas tamen dicta a S. Sulpicio maiorem interventum episcopi, v. g. in nominando rectore et constituendo corpore magistrorum admittit.

TITULUS XXII

DE SCHOLIS

(c. 1372-1383).

Scriptores : De Robiano, O. P., *De iure Ecclesiae in Universitates studiorum.* — Wernz, S. I., *Ius Decretalium,* III, n. 68-89. — Augustine, O. S. B., *A Commentary,* in hos canones. — Claeys-Simenon, *Manuale,* nn. 904-912, — De Meester, *Compendium,* nn. 1324-1332. — Ferreres, S. I., *Institutiones can.,* II, n. 359-379. — Prümmer, O. P., *Manuale,* Q. 412. 413, — *De argumento isto nunc in primis adeundae sunt litterae enc. SS. D. N. Pii Pp. XI, 31 dec. 1929, De christiana iuventae educatione* (AAS., XXI, 723 ; *Per.*, XIX, 45).

Ordo Codicis. — Codex primo partes definit quae institutioni religiosae et morali fidelium, in scholis reservandae sunt (c. 1372-1374) ; dein de iure agit Ecclesiae condendi scholas, et de usu istius iuris (c. 1375-1379) ; tum de frequentatione universitatum a clericis (c. 1380) ; postea de ecclesiastica scholarum inspectione (c. 1381. 1382) ; demum regulam commemorat de foro sacramentali in collegiis (c. 1383).

I. RELIGIOSA ET MORALIS FIDELIUM INSTITUTIO

709. - Scholarum notio et divisio. *Communi* scholarum *nomine* designantur *quaelibet instituta in quibus, aliquo gradu, fit communis et methodica rerum cognoscendarum propositio.* Sic ipsae quae nunc vocantur Universitates, olim dicebantur scholae.

Attenta *scientiae communicatione* seu fine proximo, aliae scholae sunt *elementariae,* quae pueris et rudibus destinantur ; aliae *mediae*, quae adolescentes excipiunt post absolutum cursum elementarium ; aliae *superiores,* quae litterariam vel scientificam eruditionem ita perficiunt ut etiam ad varia socialia munera vel officia gerenda proxime praeparent. Quare scholae tum elementariae tum mediae dicuntur communi qualificatione *inferiores.*

Scholae superiores hodie dicuntur *Universitates studiorum* vel etiam *Studia generalia,* referendo voces *Universitates* et *generalia*, ad ipsam pluralitatem disciplinarum quae ibi traduntur ; dum olim, usque ad saec. XIII, *Universitas* designabat morale corpus pluribus hominibus consociatis tamquam membris compositum, ita ut universitate discentium et docentium vel alterutra universitate constare possent. Studium vero dicebatur *generale*, quatenus omnium regionum discipulos admittebat. Iam a saec. XII, *studium* significavit institutum disciplinis ample seu profunde docendis destinatum. A saec. XIII, Universitas designavit ipsum aedificium scholarum superiorum vel etiam ipsas praelectiones.

Hodie *Facultas* distinguitur ab *Universitate*, quatenus haec plura scientiarum

genera, illa vero unum tantum genus excolit. Vocem Facultatis, quae per se significat potentiam vel vim, dixeris translatam ad designandam scientiam cuius tradendae copia facta est. Atque Universitas varias Facultates complectitur.

Attenta *origine*, aliae scholae sunt *privatae*, aliae *publicae*. Publicae sunt vel *civili* vel *ecclesiastica* auctoritate conditae. Quae a civili potestate pendent dicuntur *laicae*, atque inter *res mixtas* sunt numerandae, propter religiosum momentum quod habet recta earum ordinatio ; quae vero obnoxiae sunt Ecclesiae, propter naturam societatis perfectae et supremae tribuendam Ecclesiae, sunt *res ecclesiasticae*. Quamquam Ecclesia, in suis scholis erigendis et moderandis, rationabilibus postulatis legis civilis libenter obtemperat. In scholas publicas civiles, Ecclesiae ius est prospiciendi efficaciter incolumitati fidei et morum, ita ut sibi reservare possit licentiam aperiendi certas scholas.

710. - 1. **Principium fundamentale**, ipsi praesentis vitae rationi consentaneum, hoc est, in fidelium educatione, idque *a pueritia*, *principalem locum* esse positive *reservandum institutioni morali et religiosae* (c. 1372, § 1).

Canone isto reprobatur educatio quae a religione vel ab institutione morali praescindit ; reprobatur quoque ea quae cultum religiosum vel moralem velit in aetatem adultam differre. Et iure ac merito : educatio sine religione religiosam hominis naturam violat ; educatio amoralis, solis brutis conveniens, naturam liberam et moralem hominis offendit ; deliberata vero dilatio educationis moralis et religiosae, negat traditionalem continuationem generis humani atque in docibilem naturam humanam peccat ; et dum electionem maturae aetati reservare praetendit, iam scepticismum vel atheismum inculcat.

Haec non satis praedicari possunt nostra aetate, qua tam multi errore institutionis neutralis decipiuntur.

Principium istud est fundamentale, non solum in aetate puerili sed per omne stadium institutionis. Quare ut ordo iste prioritatis servetur, merito postulat can. 1373 ut, crescente generali cultu et eruditione, crescat etiam eruditio religiosa. Obtinetne tamen semper religio istam principalitatem in collegiis (1) ? Et quid dicam de scholis superioribus seu Universitatibus ?

711. - **Corollaria.** 1. « Non modo parentibus, ad normam c. 1113, sed etiam omnibus qui eorum locum tenent, ius et gravissimum officium est curandi christianam liberorum educationem » (c. 1372, § 2).

Canon 1113 gravitatem obligationis mere inculcat, ita ut verba « ad normam » idem valeant quod : sicut iam c. 1113 dictum est.

2. « § 1. In qualibet elementaria schola, *pueris* pro eorum aetate

(1) Cf. *N. R. Th.*, 1925, p. 135 ss. lucubrationem G. LEBACQZ, S. I. *L'enseignement religieux dans les collèges.*

tradenda est institutio religiosa. — § 2. *Iuventus*, quae medias vel superiores scholas frequentat, pleniore religionis doctrina excolatur, et locorum Ordinarii curent ut id fiat per sacerdotes zelo et doctrina praestantes » (c. **1373**).

3. « Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent » (c. **1374**).

Mixtae interdum vocantur quoque scholae utrique sexui communes. Quare Codex explicationem addit. Non autem sunt mixtae, scholae quae per se destinantur catholicis, quamvis, certis legibus, admittantur selecti pueri acatholicorum ; sin aliter plures scholae religiosorum vel Sororum in hanc canonis reprobationem incurrerent. Ratio autem reprobationis haec est, quia nec in acatholica, nec in neutra, nec in mixta schola, principio fundamentali institutionis catholicorum per se satisfieri potest.

Adiuncta tamen, sive privatorum sive communia, talia esse possunt, ut etiam hic minus malum prae maiore eligendum sit, vel causa proportionata excuset permissionem periculi quod debitis cautionibus satis arceatur. Quare idem c. 1374 committit Ordinario loci, sed ei soli, ut decernat « ad normam instructionum Apostolicae Sedis, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut eae scholae celebrentur ».

« *Celebrentur,* » i. e. frequententur.

Conferendae in primis sunt tres instructiones S. Officii : 21 mart. 1866 ad episcopos Helvetiae (*Coll. P. F.* n. 1286) ; 24 nov. 1875, ad episc. Amer. Sept. (*Coll. P. F.* n. 1449) ; 22 aug. 1900, ad episc. Iassen. in Rumenia. (*Coll. P. F.* n. 2093.)

Quid si Ordinarius nullas regulas praestituit ? Deficiente norma generali, etiam in casibus particularibus adeundus est Ordinarius (cf. *Instr. S. Off.*, 24 nov. 1875. *Coll. P. F.*, n. 1449). Si ne hoc quidem fieri queat, prudentis confessarii tunc erit causas perpendere propter quas parentes excusari possint a vetito can. 1374, et simul modum ab ipsis servandum indicare.

De hac re, Conc. Mechliniense IV, n. 223, haec habet : « Ut scholae huiusmodi neutrae aditus tolerari possit, oportet 1° « vel nulla praesto sit schola « catholica, vel quae suppetit parum sit idonea erudiendis convenienter condi- « cioni suae congruenterque adolescentulis » (*Instr. S. Off.*, 24 nov. 1879), vel grave damnum secus timendum sit ; oportet 2° parentes adhibeant hasce cautelas : invigilent, sive per se sive per alios, libris quibus utuntur pueri, doctrinis quibus imbuuntur ; curent ut extra scholam doctrina christiana eo solidius informentur quo gravius incurrant periculum fidei amittendae ; removeant quoque consortium discipulorum ex quibus fides aut mores in discrimen adducerentur. (Cf. *S. Inquis.*, 26 mart. 1895 ; Epist. *S. C. de P. F.*, ad Archiep. Westmonasteriensem, 17 apr. 1895.) »

Ac merito subiungit : « Hae regulae valent non tantum pro scholis elementariis, sed etiam pro mediis et superioribus ».

Etenim, ut scribebamus *Theol. mor.*, II, n. 299, « Ex falsae doctrinae iuridicae vel moralis expositione, maiora damna timenda sunt in scholis superioribus, nisi quod facilius remedia adhiberi possunt. Maxime tamen iis qui ingenio praestant frequens insinuatio erroris venenum instillabit quod vix in reliqua vita

evacuabitur. Nec iam leve detrimentum accipiunt ex quo veritatis propositione privantur. »

Satis diu catholici iuvenes Angliae prohibiti sunt Universitatem Londinensem adire. Quid de non nullis Universitatibus Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis pronuntiandum sit, Ordinariorum est definire.

Remedium tutandi fidem ac mores. Iuvenes qui Universitates frequentant, praeter assiduum usum sacramentorum, consilia prudentis confessarii (etiam extra sacramentum petita et obtenta), caute delectos amicos probos et castos, reperient in coetibus actionis catholicae, quibus zelus stimuletur, dein in coetibus litterariis vel scientificis, in quibus etiam probatas de religione theses proponere et tueri assuescant.

II. IUS ECCLESIAE ATQUE USUS IURIS

712. - I. Ius Ecclesiae. « Ecclesiae ius est scholas cuiusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi » (c. **1375**). Brevis ratio est religiosum omnis scholae momentum, quod catholicis omnibus facile persuadetur.

713. - II. Usus iuris 1. quod ad scholas superiores. S. Sedes sibi reservat : 1) canonicam constitutionem catholicae studiorum Universitatis vel Facultatis (c. **1376**, § 1) ;

2) Approbationem statutorum ; atque omnis Universitas vel Facultas catholica, etiam religiosis familiis quibuslibet concredita, sua statuta habere debet (c. 1376, § 2) ;

3) Concessionem facultatis conferendi gradus academicos qui effectus canonicos in Ecclesia habeant (c. **1377**).

Ea concessio fit vel immediate a S. Pontifice, atque haec via est magis expedita, vel per *S. C. de Seminariis et Universitatibus studiorum.*

Universitas vel Facultas catholica ea est quae fidem catholicam suo modo profitetur, quatenus in omni disciplina concordiam curat cum fide et doctrina catholica, ac proin cum S. Sedis decretis doctrinalibus, in rebus fidei vel morum ; et quae praeterea debitum religiosae institutioni honorem servat.

Effectus canonici graduum academicorum sunt potissimum prioritas quae laureatis agnoscitur ad varia munera ecclesiastica, v. g. Vicarii generalis, professoris scientiae sacrae ; ac dein insignia honorifica, ut in proxime sequenti canone explicatur.

714. - **Graduum privilegia** (1). « Ius est doctoribus rite creatis deferendi, extra sacras functiones, anulum etiam cum gemma et biretum doctorale, firmo praeterea praescripto sacrorum canonum, qui in collatione quorundam officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum, statuunt eos, ceteris paribus, iudicio Ordinarii, esse praeferendos qui lauream vel licentiam obtinuerint » (c. **1378**).

Ius *insignium* per se omnibus doctoribus competit, nulla distinc-

---

(1) Cf. A. TROMBETTA, *De iuribus et privilegiis doctorum ecclesiasticorum*, Surrenti, 1900.

tione facta inter religiosos et saeculares. Religiosi tamen Constitutionibus ab istis insignibus deferendis prohiberi possunt.

Biretum doctorale quattuor cornibus dignoscitur : quamvis in certis locis omnes clerici tale biretum deferre consueverint.

Privilegia etiam per se communia sunt doctoribus vel licentiatis, tam iis qui facto periculo gradum meriti sunt, quam qui honoris causa tales renuntiati sunt.

Observes demum canonice non haberi hodie effectum qui nomine licentiae vel doctoratus videtur significari, cum gradus academicus nec necessarius sit nec sufficiens, ut quis possit sacras scientias praelegere.

Motu Proprio tamen *Bibliorum scientiam*, 27 apr. 1924, SS. D. N. Pius Pp. XI, statuit : « III. Nullus item Sacrarum Litterarum disciplinae in Seminariis tradendae doctor esto nisi, confecto peculiari eiusdem disciplinae curriculo gradus academicos apud Commissionem Biblicam vel Institutum Biblicum adeptus legitime sit ». Gradus academicus *licentiae* saltem, requiritur. Sufficit tamen titulus Baccalaurei ab Instituto Biblico tributus iis qui ibidem duos priores annos studiorum peregerint. Cf. AAS., XVI, 1924, 180 ; *Per.* XIII, 105.

715. - Scholae catholicae promovendae (c. **1379**). « § 1. Si scholae catholicae ad normam c. 1373 sive elementariae sive mediae desint, curandum, praesertim a locorum Ordinariis, ut condantur.

« § 2. Itemque, si publicae studiorum Universitates doctrina sensuque catholico imbutae non sint, optandum ut in natione vel regione Universitas catholica condatur.

« § 3. Fideles ne omittant adiutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas condendas et sustentandas. »

In hoc canone suadetur forma caritatis christianae quae non tantum in se praestantior est multis aliis, sed etiam spirituali necessitati plurimorum opportunissime occurrit. Atque officium eleemosynae, quod, si corporales indigentias consideres, saepe hodie publicis institutionibus satis curatur, reperit hic usum cui moralistae non satis attendere solent.

Opportunissime igitur Conc. Prov. Mechlin. IV, de *Catholica Universitate Lovaniensi* haec tradit, n. 224 : Universitati isti « omnimodo favere ac subvenire, cunctis fidelibus maximeque sacerdotibus cordi esse debet.

« Huic favere in primis tenentur, ad eam adducendo iuvenes catholicos qui superioribus studiis incumbere cupiunt. Sacerdotes confessarii, magistri collegiorum, tam religiosi quam saeculares, ipsique parentes prae oculis habeant normas theologicas de frequentatione scholarum acatholicarum vel neutrarum sub n. 223 (hic sub n. 711) positas. »

III. DE CLERO FREQUENTANTE UNIVERSITATES

716. - Scientiae, praesertim sacrae, diffundendae inter clericos studiosa, Ecclesia optandum dicit ut non pauci clerici sua studia philo-

sophica, theologica et canonica in quadam Universitate vel Facultate perficiant. Sed vult ut id fiat fructuose et sine dispendio vitae clericalis. Quare : *a*) prudentiam Ordinariorum appellat ut clericos pietate et ingenio praestantes mittat ; *b*) eligenda est Universitas vel Facultas ab Ecclesia condita vel approbata. (c. 1380.)

Hodie tamen, adiuncta non raro postulant ut clerici Universitatem laicam frequentent. *Laicam*, i. e. quae sine ullo S. Sedis interventu est condita et sine ulla positiva eius approbatione exsistit. Quia autem haec celebratio non paucis periculis est obnoxia, ideo, mandante S. Pontifice, *S. C. Consistorialis*, 30 april. 1918 (1), specialem edidit Instructionem quae ad haec summa capita redigi potest : *a*) Res ista omnis in manu posita est episcoporum ut eam prudenter ordinent. Nec propter privatam alicuius utilitatem, sed propter communem dioecesis necessitatem vel utilitatem tantum sunt clerici ad tales Universitates mittendi. — *b*) Nemo mittendus est quin sacerdotio sit auctus ac « spem bonam ingerat fore ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem tam ingenii vi ac perspicacia quam sanctitate morum adiciat ». — *c*) Frequentatio ista a nullo examine praescripto c. 130 et 590 novensiles sacerdotes eximit. — *d*) Expletis studiis, sacerdotes isti aeque manent suae dioecesi mancipati.

« Quam ob rem nemini fas erit magisteria saecularia aliave officia pro suo lubitu, maxime contra Ordinarii sui voluntatem, suscipere ; quod si quis fecerit, congruis poenis, non exclusa suspensione a divinis, plectatur. »

Haec etiam, « congrua congruis referendo » applicanda dicuntur religiosis. Quare res ista componenda erit cum Superiore maiore religionis ; non tamen necessario cum Superiore Generali, cum ipse Provincialis religionis clericalis exemptae dicatur Ordinarius (2).

Die autem 22 febr. 1927, *S. C. Concilii*, decretum edidit de sacerdotibus magisterii munus gerentibus in scholis civilis potestatis auctoritate constitutis. Postquam acta anteriora confirmavit, S. Congr. ab hoc principio proficiscitur, iuridicam sacerdotis condicionem minime mutari eo quod titulum magistri sit consecutus. Praefert dein ut sacerdotes isti sacra seminaria et scholas privatas adiuvent, et munus in dioecesi propria exerceant. Licentia proprii Ordinarii sacerdos opus habet, non solum ut acceptet sed etiam petat munus magistri ; ac licentia docendi extra dioecesim est ad nutum utriusque Ordinarii. Extendit dein subordinationem qua sacerdos Ordinario loci vincitur, ita ut is possit sacerdotem alicui ecclesiae praeceptive addicere, eidem assignare religiosam domum in qua degat, iubere ut parochum in religiosa puerorum vel populi institutione adiuvet. De notabili discessu Ordinarius iste monendus est, et ante ferias aestivas adiri debet. Ipse Ordinario proprio relationem annuam, in fine anni scholastici, de sacerdote facere debet. Cf. *Per.* XVI, 23 ss., ubi decretum refertur cum annotationibus, et 61 ss., ubi exhibentur litterae 18 nov. 1920 *Secr. Status*, pro Italia, de aditu scholarum normalium. (AAS., XIX, 99).

IV. IUS INSPECTIONIS ET VIGILANTIAE ECCLESIASTICAE

717. - « § 1. Religiosa iuventutis institutio in scholis quibuslibet auctoritati et inspectioni Ecclesiae subicitur. — § 2. Ordinariis locorum ius et officium est vigilandi ne in quibusvis scholis sui territorii quid-

(1) Cf. *Per.* IX, 119.

(2) Nescio cur R. P. PRÜMMER, Q. 413, expressam licentiam postulet Superioris Generalis, cum religionis exemptae omnis Superior maior sit Ordinarius.

quam contra fidem vel bonos mores tradatur aut fiat. — § 3. Iisdem similiter ius est approbandi religionis magistros et libros; itemque, religionis morumque causa, exigendi ut tum magistri tum libri removeantur » (c. **1381**).

Haec Codicis asserta negari nequeunt, nisi neges Ecclesiam esse societatem perfectam vel ei commissum esse munus docendi res fidei et morum. Observes, quando non agitur de disciplina religiosa, ab Ecclesia non vindicari ius libros positive approbandi, sed solum arcendi quos deprehenderit fidei vel moribus noxios.

718. - Consequens ius visitationis (**c. 1382**). « Ordinarii locorum sive ipsi per se sive per alios possunt quoque scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus, etc. in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare; a qua visitatione quorumlibet religiosorum scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae. »

Oratoria, recreatoria, patronatus, varia designant instituta in quibus vel adolescentes vel senes, vel pauperes aut rudes, praeter alios fines v. g. honestae relaxationis, quandam religiosam conformationem recipiunt.

Etsi scholae religiosorum exemptorum per se obnoxiae dicantur visitationi Ordinarii loci, non tamen revocantur privilegia, in ipsa C. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881, n. 20, supposita et confirmata (1).

V. FORUM SACRAMENTALE IN SCHOLIS

719. - Canone **1383** memoratur prohibitio facta Superiori collegii excipiendi confessiones alumnorum secum in eadem domo commorantium, nisi, ex gravi et urgenti causa, alumni id in casibus particularibus petierint. Cf. c. 891, qui nullam tamen iurisdictionem adimit.

(1) Sic etiam DE MEESTER, p. 241, nota 4. Cf. nostrum *De Religiosis*, II, 589; et in *Per.* XV, p. (57) lucubrationem : De permanente vi C. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881, post can. 1382.

TITULUS XXIII

DE PRAEVIA CENSURA LIBRORUM EORUMQUE PROHIBITIONE

(c. 1384-1405)

Scriptores : Pennacchi, *In Const. Officiorum ac Munerum*. — Périès, *L'Index*. — Vermeersch, S. I., *De prohibitione et censura librorum*. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, n. 96-131. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, VI, in hos canones. — Boudinhon, *La nouvelle législation de l'Index*. — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 913-937. — De Meester, *Compendium*, nn. 1333-1387. — Ferreres, S. I., *Institutiones can*. n. 380-406. — Prümmer, O. P., *Manuale*, Q. 414-420. — Salsmans, S. I., *De Index en de kerkelijke boekenwetten*.

INTRODUCTIO

Ordo Codicis. — Post canonem generalem de iure Ecclesiae et de scriptis quibus normae praestituendae et prohibitiones applicantur, Codex omne argumentum in duo capita dividit, quorum alterum de praevia censura, alterum de prohibitione librorum tractat.

720. - Relatio ad ius antiquum. In praesenti titulo, Codex retractat argumentum de censura et prohibitione librorum, quod Leo XIII penitus denuo ordinaverat celebri Constitutione *Officiorum ac Munerum*, 25 ian. 1897. Et quia argumentum istud retractat, secundum c. 22, abrogat omnem legem anteriorem (Cf. *Epitome*, I, n. 102, c). Quamquam re parum differt a superiore Constitutione, quae etiam, ex c. 6, 2°-4°, subsidia affert ad praesentes canones rite interpretandos. Constitutio tamen Leonis XIII prius de prohibitione dein de censura librorum agebat, dum nunc, inverso ordine, caput de censura capiti de prohibitione praeponitur : quod magis logicum videtur et benigniorem praesentis Legislatoris mentem saltem insinuat, cum magis de arcendo periculo quam de poena vel prohibitione sit sollicitus.

721. - Ecclesia ius habet *censurae* in libros *fidelium et prohibitionis*, ob iustam causam, librorum a *quibuslibet* editorum. Ius istud vindicatur canone **1384**.

[1] Fideles a quibus solis Ecclesia exigere potest ne librum edant quem iudicio suo antea non recognoverit, ii sunt omnes quibus leges positivas legitime imponit. Quare per se sunt omnes baptizati. Cf. *Epitome*, I, n. 78. 79.

722. - Praescriptionum extensio. « Quae sub hoc titulo de libris praescribuntur, publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet » (c. 1384, § 2).

Sic, clarius et severius quam ante Codicem definitur vis extensiva praescriptionum et prohibitionum, ita ut, variis neglectis distinctionibus, regulae cadant in folia et libellos sicut in libros ; in periodica sicut in separata opera ; in lithographice exarata sicut in typis scripta, dummodo tamen *edantur*, i. e. publici iuris fiant, seu in vulgus spargantur, seu omnibus promiscue prostent, et non mere destinentur selectis personis, v. g. auditoribus professoris (quamvis alii per accidens forte adiungantur) ita ut pro manuscripto haberi possint.

Tanta tamen extensio illas solas praescriptiones afficit quae sub hoc *titulo* continentur, ita ut de poenis contra quorundam librorum lectores vel editores benignior interpretatio secundum ius antiquum valere pergat.

Regula praeterea non est stricte universalis, cum ipse canon 1384 addat « nisi aliud constet ». Sed exceptiones probandae sunt, ut praesumptio iuris elidatur.

Exceptio autem, sicut in alio argumento religiosorum c. 488, 7° dicitur, ex rei natura vel ex contextu sermonis constare potest. Ex *rei natura* : sic censura praevia diarii et imaginis, aliter ac censura libri facienda erit ; ex *contextu sermonis* : sic, ipse c. 1386 distinguit libros a diariis et libellis periodicis.

723. - Quid liber, libellus. Has notiones accurate in opere *De prohibitione et censura librorum*, n. 33-38, proponere studuimus fere his verbis : Ex vulgari acceptione, liber designat volumen certae *molis*, et quod legentibus offerat argumentum *certae unitatis*. — *a*) *Certae molis*. Quare non intelleguntur ephemerides, etiam ampliores, *folia (foglietti, imprimés)*, et exigua opuscula, quae potius vocantur *elegiae, epistolae, orationes*, quam libri. Molis aestimatio satis aequa, sed *materialis* nobis praebetur a SCHMALZGRUEBER (1), qui decem folia requirit : folia intellegimus *integra*, ita ut operis in-8 sint 160 paginae, operis in-16, 320. *Formalem* tamen rationem solutionis potius ex usu communi, cum LUGO (2) repetendam ducimus. — *b*) *Certa* quoque requiritur *unitas*. Quare libri non sunt minores libelli *casu* simul ligati. Si vero, ab initio in unum volumen componendum destinentur, quod sic per partes edatur, pro libro habendum est volumen totum sic compositum, non tamen singulae partes, separatim sumptae, nisi libri molem attingant.

Plerumque etiam obstat desiderata unitas quominus libelli periodici libri dicantur, cum disparia, immo diversa soleant complecti argumenta et tractatus. Si tamen, ex suo habituali argumento, unitatem quandam generis seu tendentiae nanciscantur, sub hoc respectu, *non sub alio*, erunt libris aequiperandi, statim

(1) *Ius can.* L. 5, t. 7, n. 55.
(2) *De Fide*, d. 21, n. 38.

sque ad libri molem pertingant. Itaque libelli periodici scientiis physicis vel hilosophicis excolendis dicati pro libris *scientiarum* vel *philosophiae* sunt abendi. Volumen autem quod, praeter alias, lucubrationem contineat ab haereco conscriptam, non est ut *liber* haeretici tractandum. Verum periodici libelli ui ab haereticis auctoribus edi consueverint et haeresim habitualiter propugent, dicendi sunt libri haereticorum haeresim propugnantes. Cf. resp. *S. Officii* 3 ian. 1892, *Coll. P. F.*, n. 1777, ad 1.

Nec libri nomine veniunt, propter ipsam *exteriorem figuram*, *calendarium* uius folia sint singulis diebus decerpenda, nec *collectio imaginum*, nec plura olia a libro *separata*.

Et cum hodie, attento usu vulgari, libri a manuscriptis distinguantur, opus nanuscriptum probabiliter non censetur esse liber ; nulla autem ratio est cur bri indolem abiudicemus ab operibus quae typis quidem non imprimuntur, ed aliis modis (*lithographia*, *hectographia*) similem vulgati libri diffusionem abere possunt. Ut tamen praesentibus legibus sint obnoxia, oportet ut re vera int edita. — Plura cf. nostrum *De censura et prohibitione librorum*.

Libellus minus volumen designat, aliquot tamen paginis constans.

Caput I. - De praevia librorum censura

724. - I. Notio censurae et licentiae. *Censura* libri a *licentia* eum edendi distinguenda est. Censura dicit, vi vocis, sententiam, iudicium ; atque est, ex **c. 1384**, auctoritativa recognitio libri a potestate ecclesiastica : quare licentiam logice praecedit. Censura librum, licentia personam scribentis immediate attingit. Censura est necessario particularis et praevia ; licentia potest esse generalis, expressa, tacita, praesumpta (1) ; eiusque defectus ratihabitione suppleri potest. Censura ecclesiastica iuris communis tribuitur Ordinario loci, quia fit de operibus quae publici iuris fiunt ; licentia, ex ipso Codice, danda quoque est a Superiore maiore religionis. Est ergo licentia quae cum censura coniungitur, et licentia separata. Prior sola, ex c. 1384 est in ipso opere imprimenda. Demum voluntaria omissio censurae sicut et licentiae per se quidem gravis est ; facilius tamen haec quam illa omissio, propter levitatem materiae, a gravi peccato excusabitur.

725. - II. Opera censurae subicienda, etiam si a laicis edantur. « 1° Libri *sacrarum Scripturarum* vel eorundem *annotationes* et *commentaria* » (c. **1385**, § 1).

Attinguntur hic omnes S. Scripturarum editiones et commentationes. De versionibus habetur specialis canon 1391.

« 2° Libri qui *divinas Scripturas*, sacram *theologiam*, *historiam ecclesiasticam*, *ius canonicum*, *theologiam naturalem*, *ethicen* aliasve huiusmodi religiosas ac morales disciplinas spectant ; libri ac libelli precum,

(1) Sic in Conc. prov. Mechliniensi IV, n. 232, *Sectio disciplinaris*, generalem quandam licentiam dat clericis, ac modum praesumendi licentiam in casu urgenti praefinit.

devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique huiusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur ; ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit » (**c. 1385**, § 1).

Secundum ea quae observavimus n. 723, cum ipse Legislator hic distinguat libros, libellos ac scripta, dicemus in prima enumeratione solos attingi libros ; in altera solos libros et libellos, exclusis foliis separatis (1). — Parvi tamen refert utrum sint opera periodica annon : utrumque genus attingitur.

Tres porro classes operum in hoc 2° attinguntur. In prima classe, in qua *de solis libris* agitur, opera numerantur potissimum theoretica seu saltem ad praxim potius fori externi spectantia : ita libri iuris canonici. In altera classe, ponuntur *libri et libelli* vel qui formaliter respiciunt institutionem christianam, ut libri precum, libri ascetici, vel qui doctrinam tradunt quae proxime ad ipsos mores attinet, ut libri ac libelli doctrinae religiosae, quales catechismi, libri ac libelli doctrinae moralis. In tertia demum classe, quae *omnia cuiuslibet formae et mensurae opera complectitur*, scripta praevidentur « in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit ».

Valde ampla est ista clausula « in quibus aliquid peculiariter intersit ». Etiam si, considerato argumento generali, opus a censura praevia sit immune, ei tamen subiacet si vel in una pagina aliquid sit peculiaris momenti pro religione vel morum honestate. Const. Leonis XIII simpliciter habebat : « In quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit » (art. 41).

Porro adiuncta locorum et temporum respicienda sunt ut dignoscatur quid peculiariter intersit ad religionem vel mores. Potest esse quaestio politici regiminis vel socialis ; acceptationis novae cuiuspiam legis ; saepius erit quaestio moralis, ut hodie de divortio, de onanismo coniugali. Ordinariorum iudicio, ut patet, in dubio standum erit, manente recursu in devolutivo ad S. Sedem.

« 3° Imagines sacrae quovis modo imprimendae, sive preces adiunctas habeant, sive sine illis edantur. »

Imagines *sacrae* eae sunt quae pio cuipiam usui destinantur, non quae mere ad artem colendam vel propagandam, factae sunt (2). Dum Const. Leonis XIII, art. 15, censuram non postulabat nisi pro novis imaginibus, nunc omnes imagines sacrae prius approbandae sunt quam imprimantur et in lucem edantur. Solae tamen *imprimendae* imagines nostro canone attenduntur. Impressio multas istas rationes complectitur quibus, per impositionem et compressionem, effigies mechanice multiplicantur. Ad rem non refert, prius aere fuisse incisum exemplar, aut per « lithographiam », « phototypiam », « photographiam » confectas esse imitationes.

Non comprehenduntur *statuae, picturae*, cum ad genus impressarum imaginum minime pertineant. Hae speciali dispositione Tridentina

(1) Severiorem sententiam temperate proferunt Claeys-Simenon, *Manuale*, n. 917, et De Meester, *Compendium*, n. 1341 (cf. tamen eius 1339,2 de principio).

(2) Imagines materialiter eaedem usui sacro vel profano destinari possunt.

s. XXV, et c. 1279 reguntur. « Excluduntur imagines manu factae » (De Meester, *o. c.*, 1341).

De *numismatibus* disputari potest. Ferunt quidem in nummo impressam imaginem ; facillime etiam vulgantur. Sed potius cuduntur quam imprimuntur. Et potius peculiari vocabulo *numismatis* designantur. Cf. nostrum *De prohibitione*, etc. n. 85, et De Meester, *l. c.*

« 4° Quae ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei quoquo modo pertinent » (**c. 1387**).

Acta intellegenda videntur *iuridica*, seu quae utilia sunt vel proxime erunt *causae pendenti* apud S. Rituum Congregationem. Sic etiam De Meester, n. 1344. Cf. Monitum *S. R. C.* 12 feb. 1909, AAS., I, 238.

« 5° Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia, etc. » (**c. 1388**, § 1).

Authentica collectio precum et operum quibus S. Sedes annexuit indulgentias ; elenchus indulgentiarum apostolicarum, summarium indulgentiarum nondum approbatum, expressam S. Sedis licentiam postulant (c. 1388, § 2).

Attamen, ex *Decr. auth.* n. 388, S. C. Indulg. 8 ian. 1861, sufficit approbatio Ordinarii loci ubi Ordo regularis erigens vel archiconfraternitas aggregans sedem habet, ut vulgetur elenchus indulgentiarum confraternitatis, etiam si ex pluribus actis indulgentiae depromptae sint (cf. De Meester, n. 1345).

Imagines in piam memoriam cuiuspiam confectae non sunt folia indulgentiarum, etsi indulgentiam memorent cuiuspiam orationis.

« 6° Collectiones decretorum Romanorum Congregationum rursus » edendae. Licentia postulatur Moderatorum uniuscuiusque Congregationis (**c. 1389**).

Collectio dicit ordinatam et satis amplam seriem decretorum, formaliter ut talis edita. Collectiones igitur non efficiunt decreta SS. Congregationum quae in ephemeridibus congesta leguntur. Ceterum canon non agit nisi de iterata editione collectionum exstantium, v. g. *Gardellini* de S. Rituum Congregatione. Const. Leonis XIII, art. 73, de omni editione agebat. Cf. nostrum *De Prohibitione*, n. 108.

7° Libri liturgici eorumque partes et litaniae a S. Sede approbatae. Haec nequeunt publici iuris fieri, quin, ex attestatione Ordinarii loci in quo imprimuntur vel eduntur, constet de concordantia cum editionibus approbatis (**c. 1390**).

Quinam sint libri liturgici, diximus n. 575 ; quaenam litaniae sint a S. Sede approbatae, indicavimus, n. 580. *Partes* autem non sunt quaecumque in libro continentur, v. g. aliquot psalmi, sed quae, etiam separata, aliquid unum efficiunt, ut dici queant editiones partiales libri liturgici. Exemplo sint *Diurnale*, *Officium hebdomadae sacrae*. De Meester, n. 1347 censet nobiscum, canone non attingi libri devotionis privatae in quibus pro fidelium commodo continentur quaedam partes Missalis vel Breviarii, vel litaniae sine testimonio de concordantia.

[725]

8° « Versiones sacrarum Scripturarum in linguam vulgarem. » Typis imprimi vetantur nisi sint a Sede Apostolica probatae, aut nisi sub vigilantia Episcoporum edantur cum annotationibus ex SS. Patribus et doctis catholicisque scriptoribus (c. 1391).

9° Omnis nova editio aut translatio in aliam linguam approbati operis (c. 1392, § 1).

Monet tamen ipse Codex excerpta ex periodicis capita, separatim edita, non censeri novas editiones, nec proin nova approbatione indigere (c. 1392, § 2).

726. - III. Quinam dent licentiam de qua in numero 725, iuvat hic distinctius repetere.

1° Pro operibus 1°, 2° et 3° loco in numero proxime superiore numeratis, « licentiam... dare potest vel loci Ordinarius *proprius auctoris*, vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines *publici iuris fiant* vel in quo *imprimantur*, ita tamen ut si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario auctor petere nequeat, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia » (c. 1385, § 2).

Optio igitur inter tres Ordinarios loci hic conceditur, sed si is qui primus rogatus fuerit licentiam denegaverit, alius adiri vetatur nisi conscius factus sit de iam denegata licentia.

Proprius autem Ordinarius loci, pro religiosis exemptis, est Ordinarius loci ubi est conventus cui sunt ascripti.

2° Pro operibus 4° loco indicatis, licentia requiritur *S. Rituum Congregationis.*

3° Pro libris, summariis, libellis, foliis indulgentiarum, etc. in quibus earum concessiones continentur, requiritur licentia *Ordinarii loci* (c. 1388, § 1).

Cuiusnam loci ? Si attendas ad verba c. 1388, § 1, respondebis : loci ubi publici iuris fiunt, cum vocabulum « edantur » duobus tantum vocabulis separetur a vocabulo : Ordinarius loci. Accedit confirmatio ex iure anteriore quod ita praecipiebat. Atque in his editionibus minus attenditur ad personalem operam scribentis, propter quam adiri permittitur Ordinarius proprius, quam ad diffusionem indulgentiarum authenticarum. R. P. Prümmer tamen et Ferreres existimant hic etiam haberi optionem de qua in c. 1385 : quod non videtur improbabile. Attamen, in c. 1390, in quo Ordinarius loci magis definitur, mentio Ordinarii proprii etiam omittitur. Extensio igitur ad c. 1388 et 1390 optionis concessae c. 1385 pro libris et imaginibus « de quibus in § 1 » ut expresse additur, est satis arbitraria (Sic etiam De Meester, n. 1345, 5°).

« Requiritur vero *expressa licentia Sedis Apostolicae* ut typis edere liceat, quovis idiomate, tum collectionem authenticam precum priorumque operum quibus Sedes Apostolica indulgentias annexuit, tum elenchum indulgentiarum Apostolicarum, tum summarium indulgentiarum

[v]el antea collectum, sed numquam approbatum, vel nunc primum ex [d]iversis concessionibus colligendum » (c. 1388, § 2).

Elenchus indulgentiarum Apostolicarum designat catalogum brevem quem, [i]n Pontificatus initio, solent SS. Pontifices promulgare, ut indicent quasnam [i]ndulgentias ipsi annectant rebus quas ipsi vel habentes facultatem, benedictione [A]postolica ditaverint. — Die 22 febr. 1929, *a S. Poenitentiaria Apostolica* edita [e]st « *Collectio precum piorumque operum quibus RR. PP. in favorem omnium [C]hristifidelium aut quorumdam coetuum personarum indulgentias annexuerunt [a]b anno 1899 ad 1928*. Quae collectio declarata est authentica et exclusiva, ita ut [a]brogarentur generales indulgentiarum concessiones post 1899 facta et non relatae [i]n eam collectionem.

Summarium iam approbatum nulli speciali legi subiacet.

4° Collectiones decretorum SS. Congregationum non possunt rursus [e]di sine praevia *licentia* et servatis condicionibus a moderatoribus [s]*ingularum Congregationum* praescriptis (c. **1389**).

5° « In edendis libris liturgicis eorumque partibus, itemque litaniis [a] S. Sede approbatis, debet de concordantia cum editionibus approbatis constare ex attestatione *Ordinarii loci in quo imprimuntur* aut *publici* [i]*uris fiunt* » (c. **1390**).

Observes igitur lege affici etiam partes librorum liturgicorum ; attestationem autem conformitatis cum editione approbata dandam esse vel ab Ordinario loci in quo imprimuntur, vel ab Ordinario loci in quo publici iuris fiunt. Reticetur Ordinarius proprius auctoris, quia, stricte loquendo, non fit quispiam libri liturgici auctor nisi editione. Prümmer tamen et Ferreres competentem putant etiam Ordinarium proprium auctoris seu eius qui editionem curat.

Nova ista lege supprimitur necessitas collationis faciendae in Urbe et approbationis obtinendae ab ipsa S. Congregatione Rituum.

6° « *Versiones* sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam typis imprimi nequeunt nisi sint *a Sede Apostolica* probatae, aut nisi edantur *sub vigilantia episcoporum et cum annotationibus* praecipue excerptis ex sanctis Ecclesiae Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus » (c. **1391**).

Canon iste repetit quod iam continebatur art. 7, C. Leonis XIII. Specialis igitur cura de istis versionibus ab episcopis habenda est. Satis autem est ut annotationes e SS. Patribus desumantur mediate et aequivalenter. *Mediate*, si notas ponas consentaneas traditioni Ecclesiae unde scriptores catholici suas explicationes haurire solent ; *aequivalenter*, si, pro notis, versionem edas « paraphrasticam », qualem fecit Carrière. Ubi usus sic se habet, quaedam partes videntur hodie etiam sine istis scholiis verti et edi posse : v. g. liber Tobiae, epistolae, evangelia anni, quae in multis euchologiis inseruntur (Cf. nostrum *De prohibitione*, n. 71).

7° Nova approbatione muniri debent *translationes* et *novae editiones* operis approbati (c. **1392**, § 1).

Dispositio ista, desumpta ex art. 44, C. Leonis XIII, etiam iis editionibus applicanda est quae anterioris editionis plane similes sint : lex non distinguit, et causae nasci potuerunt propter quas opus iam non opportune ederetur.

N. B. Praetermittitur obligatio, si qua re vera fuit, pro auctoribus qui in Urbe degunt, impetrandi approbationem Card. Vicarii Urbis vel Magistri S. Palatii (C. *Officiorum ac Munerum*, art. 37).

727. - IV. Censorum munus et mentio (c. 1393).

1. In omnibus curiis episcopalibus censores ex officio adesse debent; eligendi sunt ex utroque clero, aetate, eruditione et prudentia commendati « qui in doctrinis probandis improbandisque medio tutoque itinere eant » : nimio enim rigore et nimia facilitate peccari potest; temeritas, non progressus impediendus est.

2. Si sola canonis verba (1) respicias, censoris munus est *de doctrina* libri secundum probatos fontes iudicare, *non de* eius *opportunitate*. Sententiam autem scripto dare debet. Renovatur commendatio ut censores, in ferendo iudicio proprio, non privatas aut suae scholae opiniones, sed doctrinam communem catholicorum et probatorum auctorum, omni personarum acceptione seposita, sequantur.

Licentiae edendi praeponatur censoris iudicium, et, exceptis rarissimis casibus, eius nomen. Hoc tamen auctori numquam pateliat ante quam faventem sententiam tulerit.

Ex hac praescriptione, quae ex Enc. *Pascendi*, 8 sept. 1907, n. IV, confirmata per Motu Proprio *Sacrorum Antistitum*, 1 sept. 1910 (*Per.*, IV, 34), desumpta est, R. P. PRÜMMER, Q. 416, AUGUSTINE, in c. 1393, DE MEESTER, n. 1351, colligunt verba *Non obstat*, addito nomine censoris, esse in ipso libro folio vel imagine imprimenda. Id tamen nec verba canonis, nec ratio postulant. Non *verba* canonis, namque c. 1394 non exigit nisi ut ipsa licentia vulgetur; non *ratio* : ideo enim mentio censoris requiritur ut de aliquo libri sponsore constet. Ad hoc autem satis est ut nomen censoris in archivo servetur. Ac re vera, tum in Urbe, tum extra Urbem, nomen censoris in multis libris non apparet.

728. - V. De licentia separata a censura. 1. Ordinario loci reservatur iudicium de iusta ac rationabili causa ob quam etiam laici catholici « in diariis, foliis vel libellis periodicis qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent, quidpiam conscribant » (c. 1386, § 2).

Proinde per se, nihil est a catholicis in huiusmodi foliis *scribendum*; i. e. omnis scribentis cooperatio impediatur. Quod fortiore ratione valet de clericis. In casu tamen urgente, approbationem praesumere licebit. — De insertione nuntii nihil *positive* edicitur : iure naturae standum igitur est.

2. « Vetantur *clerici saeculares* sine consensu *suorum* Ordinariorum... libros quoque qui de rebus profanis tractant, edere, et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari » (c. 1386, § 1).

Proprius clerici saecularis Ordinarius est Ordinarius dioecesis cui ascriptus est : ita CLAEYS-SIMENON, *Manual.*, n. 819; vel in cuius dioecesi domicilium vel quasi-domicilium habet (can. 94). Huius igitur licentia generalis vel particularis impetranda est. Itaque clerici saeculares, etiam si alium Ordinarium habeant pro praevia

(1) Ex mente sane legis erit, etiam ad plura vitanda mala, ut censor qui librum inopportunum aestimet Ordinarium de re moneat. Sic etiam DE MEESTER, n. 1381.

censura, generali vel speciali licentia Ordinarii proprii indigent ut libros vulgent vel in periodicis libris, libellis, foliis aut in diariis scribant, satis habitualiter vel de argumento peculiaris momenti religiosi vel moralis. Conc. Mechliniense IV, n. 232 praeviam licentiam postulat *a*) ut clericus *habitualiter* aut *repetitis viribus* scribat; *b*) ut *respondeat* calumniis aut contumeliis; *c*) ut vel unum articulum de re *religiosa, sociali* vel *politica actu agitata* aut peculiaris momenti conscribat. — Haec tamen licentia, ut infra dicemus, non est imprimenda.

3. *Religiosi*, ut librum de quacumque materia edant aut in diariis, foliis vel libellis periodicis scribant eave moderentur, prius sui Superioris maioris licentia opus habent, et dein Ordinarii loci (c. 1385, § 3, et 1386, § 1). Sic etiam Prümmer, q. 415, nota 2.

Cum religiosi, obtenta licentia proprii Superioris maioris, debitae personali oboedientiae satisfecerint, existimamus hic Ordinarium loci esse posse unum ex tribus inter quos optio datur, cum liber censurae obnoxius est. Fatemur tamen, verba « Ordinarii loci » per se intellegenda esse de Ordinario loci ubi est conventus cui religiosus ascriptus est (1). Et sane is Ordinarius possit religiosis non exemptis imponere ut sine eius licentia nullum librum edant.

His tribus praescriptis auctam esse legum severitatem omnes facile perspicient. Iudicio enim Ordinarii subicitur causa quidquam scribendi in periodicis quae religioni vel bonis moribus sunt habitualiter infensa. Clericis prohibitio, olim facta, diaria vel periodica *moderandi*, nunc ad omnem alicuius momenti cooperationem extenditur, quae iam v. g. repetitis etiam minoribus lucubrationibus habebitur. Ita enim interpretamur verbum « *scribere* », cum ipse Codex, quando severiorem prohibitionem pro periodicis malae notae urgere vult, tunc alia verba adhibeat; « Ne quidquam conscribant ». Ne quis tamen hac interpretatione abutatur, notanda est prohibitio supra facta, c. 1385, 2°, ne sine praevia censura edatur quidquid « religionis ac morum honestatis peculiariter intersit ». — Tandem Religiosi *omnes* clericis saecularibus in hac materia assimulantur, ita ut etiam pro libro profano, v. g. de rebus mathematicis, licentia proprii Superioris iam non sufficiat.

Proprii autem Superioris licentia licentiam Ordinarii loci praecedere debet. Dicit enim c. 1385, § 2 (agens tamen de operibus praeviae censurae obnoxiis), « Religiosi... licentiam... sui Superioris maioris *antea* consequi debent ».

729. - VI. Licentiae forma. « Licentia, qua Ordinarius potestatem edendi facit, in scriptis concedatur, in principio aut in fine libri, folii vel imaginis imprimenda, expresso nomine concedentis itemque loco et tempore concessionis » **(c. 1394, § 1).**

Agitur hic, ni fallimur, de sola licentia quae conectitur cum censura librorum, ita ut libri a censura immunes, hoc canone non attingantur. Licentia separata a censura nulli formae est obnoxia, cum possit dari generalis.

Suppressa autem est obligatio C. *Officiorum ac Munerum*, art. 43, imprimendi in titulo libri approbati nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris, locum insuper et annum impressionis atque editionis.

(1) Quia tamen non additur « Ordinarius loci in quo est conventus », manet solida sua probabilitas sententiae benignioris, quae optionem esse sinit Ordinarii loci vel conventus vel editionis vel typographiae. Valde quoque severa foret lex quae plus exigeret.

730. - « Si licentia deneganda videtur, roganti auctori, nisi gravis causa aliud exigat, rationes indicentur » (c. 1394, § 2).

Suaviore ista gubernatione id etiam obtinetur ut auctor non raro possit, quibusdam correctis vel emendatis, fructum laboris saepe ingrati ex felici libri editione percipere.

Caput II. - De prohibitione librorum

Ordo dicendi. Praesens caput in duos articulos commode dividitur : alterum de prohibitionibus, alterum de exemptionibus et licentiis quae prohibitiones auferunt vel temperant.

In priore articulo ordine agemus : I. De prohibitionum auctore ; II. De prohibitionis vi ; III. De libris ipso iure prohibitis, seu de decretis generalibus ; IV. De decretis particularibus.

In altero distinguendi erunt exempti ab iis qui licentia indigent ; licentiae fontes et vis erunt paucis exponenda.

Sanctio poenalis legis mere insinuabitur, cum hoc argumentum ad librum V Codicis pertineat.

Art. I. - De prohibitionibus

731. - I. Competens auctor prohibitionis (c. 1395).

Ius et officium libros ex iusta causa prohibendi competit :

1) Romano Pontifici (per se vel per SS. CC.) et Conciliis generalibus pro universa Ecclesia ;

2) Conciliis particularibus et locorum Ordinariis pro suis subditis ;

A prohibitione Ordinarii immunes esse religiosos *exemptos* eo probabilius nunc admittitur, quod iam de facultate agendi « tamquam S. Sedis delegati » tacetur. Praeterea « pro suis subditis » dicuntur valere Ordinariorum prohibitiones.

3) Abbati monasterii sui iuris et supremo Moderatori religionis clericalis exemptae cum suo capitulo vel Consilio pro suis subditis « idemque, si periculum sit in mora, possunt alii Superiores maiores cum proprio Consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad supremum Moderatorem ».

Dispositione prorsus nova, cum causae fidei reserventur Ordinariis locorum, Superiores exemptae religionis clericalis in partem vocantur iurisdictionis ecclesiasticae etiam ad libros prohibendos. Antea iidem non poterant nisi ex potestate dominativa non tam librum prohibere quam cuiquam vetare lectiones ipsi periculosas vel damnosas.

« § 5. Libros qui subtilius examen exigant vel de quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videatur ad Apostolicae Sedis iudicium Ordinarii deferant » (c. 1397).

Prohibitionem a qua quis ad S. Sedem appellaverit, observare debet, donec in suum favorem res non dirimatur.

732. - II. Vis prohibitionis. 1. Quae passim nec complete dicebantur in veteri iure, nunc clare proponuntur : « Prohibitio librorum id

efficit ut liber sine debita licentia nec *edi*, nec *legi*, nec *retineri*, nec *vendi*, nec *in aliam linguam* verti, nec *ullo modo* cum aliis *communicari* possit » (**c. 1398**, § 1).

Edit, qui librum publici iuris efficit, ut is qui nomen habet *editoris*, et plerumque ipse *auctor*; non autem typographus, ne dominus quidem typographiae, ut dicimus cum DE MEESTER, n. 1160, contra CLAEYS-SIMENON, n. 926, 1 ; sed is inter cooperatores principales numerandus est.

Legit, qui opus saltem oculis perlustret, res scriptas intellegens. Non legit ergo qui, linguae ignarus, mere verba pronuntiat, vel qui mere audit legentem.

Retinet, qui librum apud se servat, vel nomine proprio apud alium. Non est igitur retinens, custos bibliothecae publicae vel alienae, nec ipse compactor librorum, qui non ad legendum sed ad opus adornandum, istud transeunter in manibus habet.

Vendere libros minus significat quam libros habitualiter venales habere. Venditio libri si ei fiat qui licentiam legendi et retinendi libros prohibitos habeat non prohibetur. *Venales* autem habere libros prohibitos nemo potest nisi debitam licentiam a Sede Apostolica impetraverit ; nec tunc cuiquam vendat libros prohibitos, nisi prudenter existimare possit ab emptore *legitime* peti. Excluduntur praeterea libri ex professo obscoeni (**c. 1404**).

2. « Liber quoquo modo prohibitus rursus in lucem edi nequit, nisi factis correctionibus, licentiam is dederit qui librum prohibuerat eiusve Superior vel successor » (c. 1398, § 2).

Manet igitur prohibitus, etiamsi in libello periodico contineatur. Non ideo tamen ipse libellus periodicus prohibetur, vel mutilanda est collectio seu series voluminum. Cf. nostrum *De prohibitione*, etc. p. 27 ss. et DE MEESTER, n. 1356.

3. « Libri ab Apostolica Sede damnati ubique locorum et in quodcumque vertantur idioma, prohibiti censeantur » (**c. 1396**).

4. Prohibitiones episcoporum per legem factae subditos solos, — non ergo peregrinos, — obligabunt in territorio prohibentis ; per modum praecepti, singulos quibus datum est, etiam extra territorium obligabunt (c. 24).

Episcopus autem potest omnes actus c. 1398, § 1 sua prohibitione complecti, aut solum aliquos, v. g. editionem et emptionem, prohibere. Semper requiritur iusta causa, eaque religiosa, seu quae interest ad fidem et mores : verum horum pars est caritas.

733. - III. Libri ipso iure prohibiti (**c. 1399**). Ipso iure prohibentur :

1. S. Scripturae editio textus vel cuiusvis versionis ab acatholicis confecta vel publicata.

2. Libri *quorumvis* scriptorum, haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nitentes.

Non omnis qui haeresim profert eam propugnat, sed is tantum qui eam additis rationibus tueri vel defendere conatur.

Fundamenta religionis sunt veritates istae ordinis naturalis praeliminares

ipsi cultui religioso : ut sunt exsistentia Dei, liberum arbitrium, spiritualitas animae ; et veritates quae adulto infideli necessariae sunt ut ad fidem amplectendam ducatur : vis probandi miraculorum, motiva credibilitatis in genere ; non autem sunt simul praecipua dogmata ipsius fidei.

« *Utcumque* evertere » nullo definito modo circumscribitur, dummodo intentio seu conatus evertendi demonstretur.

3. « Libri qui religionem aut bonos mores, data opera, impetunt. »

Quamvis plerique nomine *religionis* intellegant fidem catholicam, arbitramur potius hic agi de cultu divino qua tali, qui libris aut diariis atheisticis, materialisticis impugnantur. *Boni mores* eam signant vitae rationem quae naturalis honestatis legibus congruat, praesertim quod attinet ad castitatem. Proscribuntur igitur opera pornographica et etiam quae bonos mores theoretice evertere satagunt, dummodo id faciant *data opera*, seu intentione directe contraria, idque in parte notabili.

Prohibitione excipi possunt libri antiquiorum scriptorum qui haereses protestantismo anteriores propugnant, immo, secundum BOUDINHON, *La nouvelle législation de l'Index*, 316, libri iansenistarum, quia commune periculum fidei inde iam non oriatur.

4. « Libri *quorumvis* acatholicorum qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in iis contra fidem catholicam contineri. »

Quivis *acatholici* sunt etiam non baptizati. Libri eorum de argumento religioso, damnantur propter praesumptionem, quae tamen cedit veritati.

5. Nisi debitam approbationem prae se ferant : *a*) textus, annotationes, commentaria, versiones S. Scripturae ; *b*) libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, vel novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae.

Lege superiore prohibebantur quoque, ob solum approbationis defectum, libri ac libelli precum, vel qui institutionem asceticam aut mysticam tradebant.

6. « Libri qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident ; — qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur ; — qui cultui divino detrahunt ; — qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt ; — et qui data opera ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt. »

Nomine *Apostolicae Sedis* veniunt etiam per se Congregationes et Officia per quae R. Pontifex negotia universae Ecclesiae expedire solet (c. 7).

7. « Libri qui cuiusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum, aliaque id genus docent vel commendant. »

« Alia id genus » forent artes habendi somnia prophetica.

8. « Libri qui duellum vel suicidium vel divortium licita statuunt ; qui, de sectis massonicis vel aliis eiusdem generis societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt. »

Ut sectis massonicis sint similes, oportet ut sint *secretae* et simul *machinentur*, aperte vel occulto, contra Ecclesiam vel Statum.

9. « Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent ».

10. Novae editiones librorum liturgicorum qui non congruant cum authenticis a S. Sede approbatis.

Quia suo loco quaedam maioris commoditatis gratia repetantur, non ideo censebitur mutata editio.

11. « Libri quibus divulgantur indulgentiae apocryphae vel a S. Sede proscriptae aut revocatae ».

12. Imagines piae « quoquo modo impressae... ab Ecclesiae sensu et decretis alienae ».

Ita imagines quaedam mysteria viae crucis nova ratione exhibentes ut ipso iure prohibitae declaratae sunt *C. S. Officii* decreto 23-24 feb. 1921, quod 30 mart. datum est. AAS., XIII, 1921, 197 ; *Per.*, X, 287.

734. - IV. Libri decretis particularibus proscripti. 1. Per se nunc pertinet ad Sectionem specialem *S. C. S. Officii*, recepta denuntiatione, vel propria inquisitione, examinare et prohibere libros, et Ordinariorum zelum in hac re fovere (c. 247, § 4). Non repugnat quin *per accidens* alia Congregatio proscribat librum de materia suae competentiae. Et sunt exempla huiusmodi proscriptionis.

2. Librorum denuntiatio. C. 1397, § 1 monet, peculiari titulo ad Legatos S. Sedis, ad locorum Ordinarios et Rectores Universitatum catholicarum spectare quod, ceterum, est officium omnium fidelium, maxime clericorum, eorum qui dignitatem occupant vel doctrina praecellunt, ut, quantum copia est, indicatis etiam causis, deferant libros quos perniciosos iudicent ad locorum Ordinarios vel S. Sedem. Ipsis de secreto cavetur. Ac monentur Ordinarii ut de libris qui in suo territorio eduntur sint solliciti.

3. Ad solam tamen S. Sedem pertinet hodie conficere *Indicem* seu catalogum librorum prohibitorum. Qui catalogus, cum contineat decreta particularia, minime est per Codicem suppressus. Quare admitti non potest quod affirmat R. P. Prümmer, *Manuale iuris eccl.* Q. 419, propter silentium Codicis libros in Indicem relatos iam non aliter prohiberi nisi quatenus cadant sub unam ex modo memoratis classibus librorum prohibitorum. Ceterum, iussu tum Benedicti XV, tum SS. D. Pii Pp. XI, novae Indicis editiones prodierunt.

4. Ex praefatione Indicis Leonis XIII (1) novimus : *a*) prohibito aliquo libro, prohiberi, salva formali exceptione, omnes eius editiones et translationes ; *b*) volumina posteriora operis cuius primum proscribitur pro suspectis habenda esse nisi constet de auctoris resipiscentia ;

(1) Cum praeponatur Indicis editioni, iussu Benedicti XV confectae et nuperrimae quae iussu SS. D. Pii Pp. XI prodiit a° 1925, liquet eam adhuc valere tamquam commentarium Indicis in punctis quae novo Codici non adversantur.

c) clausulam *Opera omnia* non stricte singula auctoris opera damnare, sed opera quae de religione tractant, et quae decreto generali vel speciali prohibeantur. Singula autem suspecta reddit donec constet eadem nulla regula generali damnari. I. e. directe prohibetur ne legantur *omnia*, non autem *singula*.

Art. II. - De exemptionibus et licentiis

735. - I. Personae a lege exemptae.

1. « S. R. E. Cardinales, episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis adhibitis cautelis, ecclesiastica prohibitione librorum non astringuntur » **(c. 1401)**.

2. Qui theologicis vel biblicis studiis *quovis modo* operam dant, possunt, ut antea, uti textibus et versionibus quibuslibet S. Scripturae, modo dogmata catholicae fidei in prolegomenis aut annotationibus ne impugnentur et « iidem libri (sc. textus et versiones S. Script.) fideliter et integre editi sint » **(c. 1400)**.

Cum agitur de antiquis versionibus acatholicis, fidelitas ista *relative* accipi posse videtur, in hoc consistens ut antiqua edatur qualis erat, etiamsi non nulla falsa contineat.

Quae facultas ad omnes fere sacerdotes videtur extendi posse si, praescriptis et commendationibus iuris morem gerentes, quae in theologicis studiis didicerint privato studio et lectionibus colere et augere pergant. Facultas enim conceditur iis qui « quovis modo » eiusmodi studiis operam dant.

N. B. Licentia generalis legendi libros classicos, etiam obscenos, iis quos magisterii aut officii ratio excusat, olim concessa, iam silentio premitur. Quam omissionem sic interpretari licet. Ubi copia non est petendae licentiae particularis (generalis regulariter non conceditur), si officii aut magisterii ratio huiusmodi lectionem quasi necessariam facit, lex *positiva* desinit obligare, sive quia nimium creat incommodum, sive quia eius finis cessat tunc contrarie. Suppressa autem generali licentia, magis attenti fiunt omnes in gravem causam requisitam ut quis libros ex professo obscenos legat; et libertas, qua forte non nulli, muneris ratione decepti, abuti poterant, magis restringitur.

Ceterum canone **1405**, § 1, regula in hac materia semper servanda opportune in memoriam revocatur : « Licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione iuris naturalis legendi libros qui ipsi proximum periculum spirituale praestant ».

736. - II. De licentiis. 1. *Licentiae auctor. a) S. Pontifex*, qui, ut liquet, sibi facultatem reservare potest.

In audientia concessa Em. Cardinali Parisiensi, cum is Pontificem interrogasset de damnatione ephemeridis « *L'Action française* », declaravit, 24 feb. 1927, se solum « huiusmodi interdictione ac vetito exsolvere » posse. Simul tamen Galliae Episcopis potestatem fecit dandi veniam « raro... ac gravibus tantum de causis ». (AAS, XIX, 185; *N. R. Th.*, 1927, p. 238 ss.; *Per.*, XVI, 15 ss.). Idem deinde concessit Episcopis Belgii, ut constat ex litteris 18 ap. 1928, Nuntii Ap. apud Regem Belgarum, quibus simul Nuntius testatur universalem vim superioris declarationis. Cfr *Per.*, XVII, 200.

b) Licentiam omnis generis dare, quod antea pertinebat ad peculiarem Congregationem *Indicis*, nunc, suppressa ista Congregatione, iam spectat ad specialem sectionem *S. C. S. Officii.*

Ex praesenti eius stylo haec referre iuvabit. Supplex petentis libellus, si petit sacerdos vel clericus saecularis, commendari debet a proprio Ordinario loci; si petit religiosus, a proprio Superiore commendandus est. Laicis autem sufficit commendatio confessarii.

Finem cur petatur indicare, iam non sufficit, nisi qualitas reveletur quae ipsam finis intentionem explicat. Itaque non satis erit licentiam petere *ratione studiorum*, nisi subiungas : Sum professor vel magister talis disciplinae, alumnus talis Universitatis ; scriptor talis operis ; addictus tali bibliothecae.

In rescripto concessionis iam non excipiuntur nominatim quaedam opera, qualia olim : Volnay. De Potter, etc., sed excipiuntur, salva rarissima causa, libri ex professo obsceni. Mulieri petenti non simpliciter annuitur, sed, nisi habeat peculiarem omnino qualitatem, confessario committitur ut singulos libros prudenter permittat.

Formulae fere eaedem manserunt quales istas descripsimus in opere *De prohibitione*, etc. n. 134-166. Initium tamen formularum sic mutatum est, ut nunc dicatur : « SSmus D. N. D...... Divina Providentia Pp. per facultates R. P. D. Assessori S. Officii impertitas, si vera sunt exposita, benigne annuit pro gratia ut liceat oratori, etc. »

Nuper generalis facultas data per S. Officium oratori Belgae hanc clausulam continebat « Quoad *Action française*, recurrat ad Ordinarium ».

S. Sedi quoque reservatur licentia, pro librorum *venditoribus* venales habendi libros prohibitos. De licentia ista egimus n. 732, 1.

c) Vi n. 14 facultatum suarum, possunt Nuntii, Internuntii et Delegati Apostolici « concedere facultatem retinendi ac legendi prohibitos libros et ephemerides, cum cautelis et sub limitationibus quae necessaria vel utilia in singulis casibus videbuntur, et in usu penes S. Congr. S. Officii sunt ».

d) *Ordinarii*, — tam locorum quam Superiores maiores religionis clericalis exemptae, — quod attinet ad libros ipso iure vel decreto Sedis Apostolicae prohibitos, licentiam concedere possunt suis subditis pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentibus **(c. 1402, § 1).**

Facultas ista est ordinaria, ac proin delegabilis.

Simul tamen idem canon 1402, § 2, praevidet fore ut Ordinarii a S. Sede obtineant generalem facultatem permittendi suis subditis ut libros proscriptos retineant ac legant.

Ac re vera facultas huiusmodi per S. Officium conceditur episcopis qui amplis dioecesibus praesunt vel in quorum dioecesi exsistit institutum, puta Universitatem studiorum, propter quod frequens sit ratio permittendi usum librorum prohibitorum (1). In Urbe tamen, Cardinalis Vicarius non solet nisi commendare preces porrigendas S. Officio.

(1) Facultas dicitur per ipsos Ordinarios exercenda ac proin nemini subdeleganda; concessio non potest fieri ultra triennium; et excipiuntur opera quae haeresim vel schisma ex professo propugnant, vel ipsa religionis fundamenta evertere nituntur, vel de obscoenis ex professo tractant.

Ordinarii qui talem facultatem obtinuerunt monentur c. 1402, § 2 ut eam non nisi cum delectu et iusta ac rationabili causa concedant.

2. *Licentiae interpretatio.* Licentia legendi etc. libros prohibitos non est dispensatio a lege, cum ipse c. 1398 non absolute vetet ne libri prohibiti edantur, legantur, etc., sed ne haec fiant sine debita licentia. Quare facultas amplae subest interpretationi. Et cum recidat in privilegium personale, per se fas est ea ubique uti per tempus in quod est legitime concessa (Cf. opus nostrum cit., n. 95 bis).

Id tamen ex **c. 1403**, § 1, habemus, facultate Apostolica non contineri facultatem legendi et retinendi libros quoslibet a propriis Ordinariis proscriptos, « nisi in Apostolico indulto expressa... facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuslibet damnatos ».

Facultas autem legendi libros continet facultatem legendi ephemerides vel libellos periodicos.

3. *Obligatio licentiam consequens.* Ex **c. 1403**, § 2, qui licentia sunt donati « gravi praecepto tenentur libros prohibitos ita custodiendi, ut hi ad aliorum manus non perveniant ».

Quod ex ipsa lege naturali urgendum est apud Ordinarios et alios qui ecclesiastica librorum prohibitione non astringuntur.

« Licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione iuris naturalis legendi libros qui ipsis proximum spirituale periculum praestant » (**c. 1405**, § 1).

737. - Titulus XXIII hoc monito concluditur : « Ordinarii locorum aliique curam animarum habentes opportune moneant fideles de periculo et damno lectionis librorum pravorum, praesertim prohibitorum » (c. 1405, § 2).

738. - De poenis id unum hic observabimus, neque editionem neque lectionem aut asservationem librorum prohibitorum poenis latae sententiae puniri, nisi agatur de libris qui apostasiam, haeresim aut schisma propugnant, vel qui per Apostolicas litteras fuerint nominatim prohibiti. Praeterea, soli scienter sine debita licentia legentes vel retinentes excommunicatione plectuntur ; et cum agitur de libris SS. Scripturarum vel commentariorum sine debita licentia editis, soli auctores et editores. Sed cfr expositionem c. 2318, in libro quinto.

N. B. Codice tacite suppressa est clausula peculiaris quae respiciebat in C. *Officiorum ac munerum* art. 1, libros ante annum 1600 a SS. Pontificibus vel Conciliis oecumenicis damnatos.

TITULUS XXIV

DE FIDEI PROFESSIONE

(c. 1406-1408)

Scriptores : WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, III, n. 7-22. — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, VI, in hos canones. — FERRERES, S. I. *Institutiones*, II, n. 497. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, Q. 421. — CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, nn. 935-937. — DE MEESTER, *Compendium*, nn. 1388-1392.

Cum Codex antea, c. 1325, de *divinitus* praecepta professione fidei egerit, hic solam *ecclesiasticam* definit. Itaque :

739. - Canonice obligati. Ex iure *ecclesiastico* (c. 1406-1408), reprobata consuetudine contraria, *personaliter* et secundum formulam a Sede Apostolica probatam (qualis initio Codicis exhibetur) fidem profiteri debent :

1° Coram praeside, eiusve delegato : quicumque concilio vel synodo etiam cum solo voto consultivo intersunt ; praeses autem coram eodem concilio vel synodo ;

2° Coram sacri collegii decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario : promoti ad cardinaliciam dignitatem ;

3° Coram delegato ab Apostolica Sede : promoti ad Sedem episcopalem etiam non residentialem, vel ad regimen abbatiae vel praelaturae *nullius*, vicariatus Apostolici, praefecturae Apostolicae ;

4° Coram capitulo cathedrali : Vicarius capitularis ;

5° Coram loci Ordinario, eiusve delegato et coram capitulo : qui ad dignitatem vel canonicatum promoti sunt ;

6° Coram loci Ordinario, eiusve delegato et coram aliis consultoribus : assumpti ad officium consultorum dioecesanorum ;

7° Coram loci Ordinario, eiusve delegato : Vicarius generalis, parochi et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, curam animarum habentibus ; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae in seminariis, initio cuiuslibet anni scholastici, vel saltem initio suscepti muneris ; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus ; librorum censores ex officio in curiis dioecesanis (c. 1393) ; sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri contionatores, ante quam facultate donentur ea munera exercendi ;

8° Coram Ordinario, eiusve delegato : rector Universitatis vel Facultatis ; coram rectore vero Universitatis vel Facultatis eiusve delegato : professores omnes in Universitate seu Facultate canonice

erecta, initio cuiusque anni scholastici, vel saltem initio suscepti muneris (1) ; itemque qui, periculo facto, academicis gradibus donantur ;

9° Coram capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato : Superiores in religionibus clericalibus.

N. B. « Qui, priore demisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere » (**c. 1406**, § 2).

Quamvis canone 1406 directa nunc obligatio profitendi fidem imponatur, adhuc tamen ex veteri iure dici potest Superiores coram quibus professio emittenda est primario teneri (GÉN. n. 197 ; ARREGUI, n. 121). Immo si ipsi fidei professionem recipere renuant, subditi impossibilitate excusabuntur. Qui autem, sine iusto impedimento, debitam fidei professionem emittere neglegunt, frustra moniti, post statutum terminum, fructus beneficii vel muneris sui non faciunt suos et etiam per privationem beneficii, officii, etc. sunt puniendi (c. 2403).

740. - Abiuratio modernismi. Ex resp. S. Officii, 22 mart. 1918, praescriptae decretis Pii X abiurationes *modernismi* vigere pergunt donec S. Sedes non aliter statuerit. Quare, praemissa professione fidei, quando haec exigitur, modernismum abiurare et subscriptam iuramenti formulam tradere debent : *Episcopo ordinanti :* Ordinandi in sacris, saltem ante subdiaconatum ;— *Ordinario approbanti :* Confessarii et sacri contionatores, ante quam facultate donentur ea munera exercendi (non autem quando facultas ipsis prorogatur) ; — *Ordinario nominanti* : parochi, canonici, beneficiarii ante ineundam beneficii possessionem ; ac proin quotiens ad novum beneficium accedunt ; contionatores quadragesimales ; — *Ordinario loci vel Cardinali Praefecto aut Secretario :* officiales curiae episcopalis, non excepto Vicario generali ; tribunalium ecclesiasticorum, non exceptis iudicibus ; romanarum Congregationum ; — *Superiori nominanti vel capitulo :* religiosarum familiarum Congregationumque moderatores, ante quam officium ineant, ac proin quotiens novum munus suscipiunt ; — *Antistiti suo :* doctores, seu lectores, in seminariis et religionibus, *singulis annis,* ante auspicandas praelectiones. — Haec obligatio Superiores primario afficit ; ipsi obligatos ad implendam obligationem vocare debent. Qui iurare nolunt, ad S. Officium ilico deferendi sunt.

(Haec colliguntur, tum ex *Motu Proprio*, 1 sept. 1910 ; tum ex variis declarationibus *S. C. Consist.*, 25 sept., 25 oct., 17 dec. 1910. — Omnia proponuntur in nostris *Period.* t. 5 et 6.)

---

(1) Sed abiuratio Modernismi singulis annis renovanda praecipitur ; ut statim dicimus n. 740.

PARS QUINTA

DE BENEFICIIS ALIISQUE INSTITUTIS ECCLESIASTICIS NON COLLEGIALIBUS

Ordo. In quattuor primis partibus huius libri tertii, Codex de *cultu* divino et de conexis iuribus et rebus *spiritualibus* egit. Iam hanc quintam partem deputat rebus *mixtis* qualia sunt beneficia. Quamvis in se sint temporalia, non exsistunt tamen sine re spirituali, ita ut sint obiectum simoniae.

Divisio autem partis est in duos titulos : priorem de beneficiis, longe principaliorem ; alterum de aliis institutis non collegialibus.

TITULUS XXV

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

(c. 1409-1488)

Scriptores : GARCIA, *De Beneficiis ecclesiasticis.* — LEURENIUS, *Forum beneficiale* (Pro historia). — THOMASSIN, *Ancienne et nouvelle discipline de l'Église touchant les bénéfices et les bénéficiers.* — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, II, n. 240-255 ; 469-515. III, n. 178-192 — AUGUSTINE, O. S. B., *A commentary*, VI, In hos canones. — CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, n. 938-980. — COCCHI, *Commentarium in Codicem iur. can.*, L. III, P. 5, p. 183 ss. — DE MEESTER, *Compendium*, n. 1393-1430. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, Praenotamen et Q. 422-440. — VROMANT, C I. C. M., *De bonis Ecclesiae temporalibus*, n. 213-227. — WERNZ-VIDAL, *Ius can.* II, p. 162 ss.

INTRODUCTIO

741. - Historica. Diu liberalibus fidelium oblationibus cultui, operibus piis et sustentationi ministrorum sacrorum est provisum. Massa autem oblationum erat confusa et in manibus episcopi. Mox haec partitio indicta est qua episcopi sibi unam partem reservare poterant, alteram peregrinis et pauperibus, tertiam ecclesiis reparandis et quartam clericis tribuere debebant (1). A saeculo autem VI, coepta sunt peculiaria bona addici ministris sacris, praesertim ruri, ubi tunc erectae sunt paroeciae. A saeculo IX, coniuncta cum officio ecclesiastico bona seu potius ususfructus, vocati sunt beneficia ecclesiastica. Etenim beneficia vocabantur dominia fiscalia quae militibus bene meritis a principe utenda-fruenda concedebantur (2).

Vocabula autem *beneficium* et *officium* interdum confuse adhibebantur ; interdum distinguebatur beneficium ab officio ut in effato : « Beneficium propter officium ». Et cum duo elementa in instituto isto coniungantur : officium spirituale et ius temporaliter utile, prout in recto sumas elementum spirituale aut temporale, beneficium dici potest ; *Officium sacrum cui ecclesiastica auctoritate annexum est ius percipiendi reditus ex bonis Ecclesiae*, vel, et sic communius dicebatur : *Ius perpetuum percipiendi reditus ecclesiasticos, officio spi-*

(1) Cf. in Decreto Gratiani, C. XII, Q. 2, c. 26-30.
(2) Cf. DUCANGE, *Glossarium*, v. *Beneficium.*

rituali seu sacro ecclesiastica auctoritate annexum. Interdum ipsa bona ecclesiastica hoc iure affecta dicebantur *beneficium.* V. g. Fructus mei beneficii.

742. - Definitio. « Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio annexos » **(c. 1409).**

Hac sua definitione, Codex utrumque elementum, spirituale et temporale, quasi eodem loco ponit, ut efficiens ens iuridicum seu personam moralem non collegialem (c. 99). In eadem reperimus duas partes constitutivas : *officium sacrum* et *ius ad reditus ;* et duas condiciones : *erectionem a competente auctoritate* ecclesiastica et *perpetuitatem* institutionis.

Ut definitionem istam non nihil explicemus :

a) Postulatur erectio *a competente auctoritate ecclesiastica.* Nec privata fundatio missarum nec actus potestatis civilis valent ad beneficium erigendum. Voluntate autem etiam privata, dos materialiter constitui potest, ut mox apparebit. Ipsa tamen coniunctio cum officio fieri debet auctoritate ecclesiastica. Cf. Wernz, II, n. 240, nota 7.

De competente auctoritate agetur in capite 1° istius tituli.

b) Postulatur *perpetuitas* erectionis. Perpetuitas haec dicitur *obiectiva*, et distinguitur a perpetuitate *subiectiva*, quae soli clerico inamovibili tribuitur. Hanc non pauci et ipse Wernz, II, n. 240, nota 7 ad beneficium saltem stricte dictum exigebant. Ex Codice haec non est necessaria.

c) Postulatur *officium sacrum* seu non nimis remote spirituale, quod proin solis clericis conferri potest. *Officium* in genere dicit potestatem cum annexis obligationibus. Cum agitur de officio *sacro*, potissimum designat potestatem quandam iurisdictionis, praesertim nomine proprio exercendam. Sufficit tamen etiam potestas delegata. Satis quoque est potestas quaedam ordinis, v. g. recitandi breviarium et celebrandi missas ; vel etiam potestas cuiuspiam administrationis sacrae quae legibus ecclesiasticis regatur : sic officium sacristae. Minime autem officium aeditui, organistae, custodis, quod etiam laicis committitur, pro sacro est habendum. Cf. c. 145, § 1.

d) Postulatur *ius percipiendi* reditus ex *dote.* Observes hic iam non dici *ex bonis Ecclesiae.* Ac proin ne confundas reditus quibus dos constituitur cum reditibus qui, si superflui sint, a beneficiatis ad opera pia sunt applicandi. Quamvis saepe haec coincidant, respectus tamen formalis est diversus; atque, ut dicemus, priores reditus videntur nunc ampliore usu quam posteriores esse sumendi.

Perpetuitas esse potest sine *continuitate*, ut in munere Vicarii capitularis, quod est perpetuae institutionis quamvis non sit semper aliquis Vicarius capitularis. Unde, hodie saltem, cum subiectiva perpetuitas non sit necessaria, etiam officio v. g. Legati vel Vicarii capitularis ius percipiendi reditus ex dote coniungi possit, ita ut beneficium exsurgat, si auctoritate Ecclesiae coniunctio facta sit.

743. - De dote beneficii. « Dotem beneficii constituunt sive bona quorum proprietas est penes ipsum ens iuridicum, sive certae et debitae praestationes alicuius familiae vel personae moralis, sive certae et voluntariae fidelium oblationes quae ad beneficii rectorem spectant ; sive iura, ut dicitur, stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legi-

timae consuetudinis, sive chorales distributiones, exclusa tertia earumdem parte, si omnes reditus beneficii choralibus distributionibus constent » (c. **1410**).

Itaque dos, quae olim fere semper erat praedialis, constans domo et agris, in dies latius intellecta est. Pensio gubernii, in locum bonorum usurpatorum interdum solvi consueta, pro dote habita est. Potuit quoque, iam ante Codicem, constitui censibus pecuniarum, v. g. obligationibus (titulis) Status, et decimis. Ad congruam sustentationem perficiendam accedebant stipendia missarum fundatarum et iura stolae : haec tamen non computabantur inter reditus beneficiales proprie dictos (1). Nunc valde ample dos intellegitur, ita ut nunc nihil in paroeciis Statuum foederatorum Americae desideretur, quominus sint beneficia. Cf. AUGUSTINE, in *h. c.*

Observes *positivam Praelati definitionem requiri ut* varia, hoc loco numerata, dotem beneficii re vera constituant. Cf. DE MEESTER, n. 1394.

Ens iuridicum ad quod pertinet proprietas bonorum unde reditus percipiuntur, est ipsum beneficium ecclesiasticum, vel alia persona moralis.

Certas *praestationes* constituere possunt v. g. obligationes perpetuae testamento alicui familiae vel communitati impositae.

Ceterum, qua ratione praestationes vel oblationes debentne esse certae? Hac, ni fallimur, ratione, ut vel lege vel more sint stabilitae, quamvis earum quantitas non sit determinata. Ita, si usus sit ut quater in anno pecuniae ultro oblatae colligantur pro parocho, oblationes istae satis certae sunt ut dotem beneficii ingredi possint.

Non omnes *oblationes*, sed eae ad quas rector beneficii ius habet : v. g. oblationes inter missas factae (quae spectant ad parochum), dotem constituunt.

Iura stolae non sunt dos nisi pro parte debita ex taxa vel consuetudine, ita ut non sit computandum quod fideles sponte addiderint.

In dote non computantur stipendia missarum, cum non beneficiario qua tali sed celebranti competant.

A *choralibus distributionibus* demitur tertia pars, si omnes reditus beneficiales choralibus distributionibus constent, quia tunc tertia pars reservari debet distributionibus inter praesentes, ac proin non spectant ad beneficiatum, qua talem, sed ad canonicum diligentem (2).

744. - Divisiones potissimae beneficiorum. Dicuntur ex **c. 1411** :

« 1° *Consistorialia*, quae in consistorio conferri solent ; cetera non consistorialia. » Consistoriale est, v. g. episcopatus.

« 2° *Saecularia* vel *religiosa*, prout ad solos clericos saeculares vel solos clericos religiosos spectant ; omnia autem beneficia, erecta extra ecclesias vel domus religiosorum, in dubio saecularia esse praesumuntur ». Sic abbatiae regulares et paroeciae possunt esse beneficia reli-

---

(1) Cf. WERNZ, III, 183.

(2) R. P. FERRERES, *Instit.* n. 403, II, canonem 1410 ita intellegit, ut distributiones chorales nequeant in dotem computari quando alii reditus praeter distributiones habentur. Ac fatendum est sententiam canonis utraque ratione intellegi posse.

giosa. Observes praesumptionem saecularitatis non valere de beneficiis erectis in ecclesiis vel domibus religiosorum ; et religiosa esse posse tum *regularia*, tum congregationis clericalis votorum simplicium.

« 3° *Duplicia* seu *residentialia*, vel *simplicia* seu *non residentialia*, prout, praeter officium beneficiale, annexam habent, vel minus, obligationem residendi. »

Varie intellectum est beneficium duplex. Non raro dicebatur duplex ex adiuncta cura animarum : quod in canonicis, quorum beneficium duplex censebatur, habebat difficultatem. Notio facilior nunc est canonizata. Sufficit annexum onus residendi, ut beneficium dicatur duplex. Sin minus, est simplex.

« 4° *Manualia, temporaria* seu *amovibilia*, vel *perpetua* seu *inamovibilia*, prout conferuntur revocabiliter vel in perpetuum. »

Sic in perpetuum per se confertur parochia ; dum amovibile est munus Vicarii generalis.

« 5° *Curata* vel *non curata*, prout curam animarum annexam habent vel non ».

745. - Plura beneficiis affinia. Majoris perspicuitatis causa, Codex **c. 1412** quaedam a numero beneficiorum excludit etsi beneficiorum sunt similia. Indicantur :

« 1° *Vicariae paroeciales* non in perpetuum erectae » : possunt esse beneficia, si erectio sit perpetua.

Vicariae paroeciales sunt genere plures ; numerantur in L. II, Tit. VIII, cap. X, can. 471 ss., et de his egimus in Tomo I, nn. 512-525. Vicarii personae moralis, v. g. capituli, sunt per se perpetui, si pertinent ad clerum saecularem.

2° « *Cappellaniae laicales* » : deest canonica erectio et etiam laicis interdum obtingunt. Tales habentur quando pia testatoris voluntate bonis in se laicalibus annectitur onus interdum, statis temporibus, curandi missarum celebrationem. Sed huiusmodi cappellaniae in dotem beneficii computari possunt.

3° « *Coadiutoriae cum vel sine futura successione.* » Coadiutores dantur parochis et episcopis. Desideratur perpetuitas erectionis, si eas in se consideres ; ad reditus autem quos postea percipient si habent ius succedendi, non habent ius *in re* : sunt exspectativae.

4° « *Pensiones personales* », quae ius dant alicui, v. g. ex-parocho, percipiendi, propter iustam causam, portionem redituum beneficii alieni. Desideratur perpetua erectio.

5° « *Commenda temporaria*, idest concessio redituum alicuius ecclesiae aut monasterii alicui facta ita ut, eo deficiente, reditus ipsi ad ecclesiam vel monasterium revertantur. » Ut si administratio beneficii vacantis cuipiam committatur, vel si, ad sustentationem episcopi

indigentis, ei reditus vacantis abbatiae tribuantur. Desideratur perpetua erectio, nec apparet coniunctum officium ecclesiasticum.

His merito addunt WERNZ et PRÜMMER *praestimonia*, seu bursas studiorum : de se non dicunt quandam obligationem officii sacri. Si tale officium fuerit coniunctum, tunc possint esse beneficium, modo ne desideretur erectio canonica.

Quaeres de *pensionibus* quae *in Belgio* et in parte *Galliae* solvuntur *episcopis, canonicis, parochis, vicariis cooperatoribus ?*

Resp. Annuae pensiones quas, dum munere funguntur, obtinent *episcopi, canonici, parochi* (etiam qui dicuntur *succursalistae*) naturam beneficii induunt. Compensant enim bona ecclesiastica iniuste erepta in perturbatione Gallica. Et constat ex resp. *S. Paenitentiariae*, 19 ian. 1819 ; 9 aug. 1821 ; 9 ian. 1823.

Pensiones enim quas obtinent ut senes vel infirmi, non sunt bona ecclesiastica, cum titulo mere civili eas acquirant, sicut ceteri Status officiales (DE MEESTER, n. 1397).

Perinde dicendum est de supplementis quae propter onus peculiare v. g. missae celebrandae in sacello distincto ab ecclesia, iisdem solvuntur a municipio : nam potius stipendiis accensentur.

Sed ad beneficium parochiale pertinere videntur bona quae ante perturbatas res pars erant beneficii pastoralis, et, post regium decretum 7 ian. 1834, detecta sunt et attributa fabricis ecclesiae. Pecuniae quae ut reditus huiusmodi bonorum a fabricis solvuntur parochis, ad hos ut bona ecclesiastica perveniunt (cf. CLAEYS-SIMENON,[2] n. 941).

Pensiones, etiam annuae, quae solvuntur *vicariis cooperatoribus*, non consueverunt considerari ut ecclesiastica bona seu beneficia. Olim enim vicarii isti a parocho vel a paroecianis alebantur sine beneficio, et nulla successit erectio canonica, — quae per se fieri potest, — beneficii cuius pensio foret dos. Cf. CLAEYS-SIMENON,[2] n. 943.

Quaeres de *supplementis congruae* quae recens a gubernio *Italiae* canonicis addicta sunt ?

R. Ea eiusdem generis esse atque ipsae congruae, ac proin in bonis ecclesiasticis ponenda esse videntur, quamvis ad tempus sint concessa. Confirmatur resp. *S. C. Conc.*, 16 maii 1925, edita 10 iul. 1925 (AAS., XVII, 381 ; *Per.* XIV, 111), cf. *Ius Pontificium*, V, p. 39.

746. - Codicis monita (c. **1413**). 1. Nisi aliud appareat, canones sequentes de solis beneficiis non consistorialibus sunt intellegendi.

2. Etiam officiis beneficialibus seu beneficiis applicantur canones 147-195 de provisione et amissione officiorum ecclesiasticorum. Haec cfr. in tomo I, nn. 230-272.

Caput I. - De constitutione seu erectione beneficiorum

747. - Potestas competens est (c. **1414**) : 1. pro beneficiis *consistorialibus*, sola Sedes Apostolica.

2. Pro beneficiis *non consistorialibus*, competentes sunt, praeter Romanum Pontificem, etiam Ordinarii in suo quisque territorio, excepta nova erectione dignitatum in capitulo (de qua re, c. 394, § 2).

— Ordinarii tamen hic non sunt Vicarii generales : ut beneficium erigere queant, opus habent mandato speciali.

3. In proprio titulo vel diaconia, Cardinalis beneficia non curata erigere potest, nisi ecclesia sit religionis clericalis exemptae.

Notum est proprias Cardinalium diaconorum ecclesias non vocari titulos sed *diaconias*.

748. - Legitimae erectionis condiciones. 1. Canone **1415** Codex vult ut erigendum beneficium instrui possit dote stabili et congrua (i. e. quae honestae sustentationi beneficiarii sufficiat). Publica tamen causa, quae erectionem paroeciarum saepe exigit, locum dat exceptioni : paroeciae et quasi-paroeciae etiam sine dote congrua erigi possunt, si prudenter praevideatur necessaria aliunde non defutura esse.

Dos, si qua in numerata pecunia constituatur, debet in tutis et frugiferis fundis vel nominibus collocari ab Ordinario, audito dioecesano administrationis consilio.

Si beneficium a Cardinali erigatur, ipsius erit isti collocationi prudenti consulere.

2. « Ante erectionem, vocentur et audiantur, si qui sint, ii quorum interest » (**c. 1416**).

Tales erunt, v. g. parochus cuius paroecia sit dividenda in duas paroecias ; canonici, si novus canonicatus sit addendus.

Vi concordati 1801, art. IX, erectio novae paroeciae (quae in nostris regionibus supponit unionem vel dismembrationem paroeciarum antea exsistentium) requirit, quod *ad temporalia*, consensum praevium gubernii, in locis regimini istius concordati subiectis.

749. - Privilegium fundatoris. C. 1417 : « § 1. In limine fundationis, fundator potest, de *consensu Ordinarii*, condiciones etiam iuri communi contrarias apponere, dummodo sint honestae et naturae beneficii ne repugnent ».

Sic potest fundator reservare beneficium membris cuiuspiam familiae, immo iuniori, dummodo tamen sit idoneus. Non possit velle ut instituatur laicus, cum id omnis beneficii naturae repugnet ; nec ut parochus dispensetur a lege residentiae, cum id muneri parochi adversetur. Condiciones autem impossibiles pro non scriptis habendae sunt.

Quare, quamvis abrogatae sint leges particulares et revocata privilegia quibus canonicatus non poterant conferri nisi indigenis seu iis qui originem habebant in civitate, *Comm. I. C.*, quae hoc declaravit, intactam tamen voluit legem fundationis (Resp. 26 nov. 1922. AAS., XV, 128. *Per.* XIII, 82 et 88.) (1).

Cum tamen erectio fiat auctoritate ecclesiastica, oportet ut consen-

(1) De condicionibus quae in limine fundationis poni possunt, cfr. causam Gerunden. et solutionem *S. C. C.*, 13 iul. 1918 (AAS., XI, p. 78).

us erigentis accedat. Erigentis, inquam : nominatur Ordinarius, ut qui soleat erigere.

« Condiciones semel admissae supprimi aut immutari ab Ordinario loci valide nequeunt, nisi agatur de mutationibus Ecclesiae favorabilibus, et accedat consensus ipsius fundatoris, vel, si agatur de iure patronatus, patroni » (c. 1417, § 2). Sic temperatur quod auctores, v. g. WERNZ, II, 248, magis absolute dicebant de immutabilitate condicionum semel acceptarum.

750. - Erectionis forma (c. 1418). « Erectio beneficiorum fiat per legitimum instrumentum, in quo definiatur locus ubi beneficium erectum est, et describantur dos beneficii ac iura et onera beneficiarii ».

Legitimum instrumentum est documentum quod fidem faciat in iudicio ecclesiastico et contineat quae de iure sunt inserenda, ut acta authentica S. Pontificis et Curiae Romanae et Ordinariorum in exercitio sui muneris, vel redacta ab eorum notariis (Cf. c. 1813). In regionibus tamen ubi sanctio civilis erectioni beneficii accedere potest, ut in America, iuvabit legis civilis condicionibus satisfacere, ac proin assumere notarium civiliter agnitum. Cf. AUGUSTINE in h. c.

Nulla tamen sanctio invaliditatis ad praescriptionem c. 1418 de legitimo instrumento addita est.

Caput II. - De unione, translatione, divisione, dismembratione, conversione et suppressione beneficiorum

751. - Notiones. *Unio* habetur quando, coniunctione reali vel personali, vel ipsa beneficia vel eorum titulares ad quandam unitatem rediguntur. — *Translatio,* « cum sedes de alio in alium locum deducitur. — *Divisio,* cum ex uno duo vel plura beneficia fiunt. — *Dismembratio,* cum pars territorii aut bonorum alicuius beneficii ex eodem detrahitur et alii beneficio vel causae piae aut ecclesiastico instituto assignatur. — *Conversio,* cum beneficium in aliam speciem mutatur. — *Suppressio,* cum prorsus exstinguitur » (c. 1421).

De singulis statim agetur, et dato exemplo notiones clariores evadent.

I. DE UNIONE

752. - I. Quotuplex sit unio (c. 1419). « Unio beneficiorum est :

« 1° *Exstinctiva,* cum aut ex suppressis duobus vel pluribus beneficiis novum atque unicum beneficium efficitur, aut unum vel plura ita alii uniuntur ut esse desinant. »

V. g. in dioecesi desideratur seminarium clericorum. Ut constituatur institutum tam necessarium, S. Pontifex permittit ut exstinguantur variae cappellaniae quibus

onus tantum annexum erat certas missas dicendi, et ut reditus (per se cum oneribus) annectantur seminario quod simul erigitur. Si seminarium iam exsistebat, possent quoque exstingui cappellaniae ut melioribus reditibus augeretur. — Unio exstinctiva dicitur etiam *per confusionem.*

« 2° *Aeque principalis,* cum unita beneficia remanent prout sunt, neque alterum alteri subicitur. »

Hoc fit quando, v. g. duo episcopatus semper eidem titulari committuntur.

Sic in Italia non pauci sunt huiusmodi episcopi qui duplici titulo nominantur : ut episcopus Sutrensis et Nepensis. Immo est Cardinalis episcopus suburbicarius, qui dicitur Portuensis et S. Rufinae. Et nunc dioecesis Ostiensis semper cum dioecesi Cardinalis Decani coniungitur. [Cf. Mot. prop. *Edita a nobis,* Pii, X, 5 maii 1914. (*Per.,* VIII, p. 41.)].

« 3° *Minus principalis,* seu per *subiectionem* vel *accessionem,* cum beneficia remanent, sed unum aut plura alii tamquam accessorium principali subiciuntur. »

Casus fuerit, v. g. si, ad augendos reditus seminarii, cappellaniae quaedam non exstinguantur, sed, cum reditibus et oneribus, annectantur seminario.

4° Ad has uniones quas Codex memorat, addi potest *incorporatio,* quae habetur quando beneficium quoddam realiter cuidam collegio vel instituto in perpetuum unitur. Per se, est unio minus principalis ; sed memoranda est, quia fit vel *pleno iure,* quando iura tum spiritualia tum temporalia isti instituto, ut puta monasterio, uniuntur ; vel *non pleno iure,* i. e. quod ad temporalia tantum, si sola bona temporalia incorporantur, distincto autem subiecto tribuitur ius seu officium spirituale, propter quod alimenta percipit a subiecto cui unio facta est.

Si, v. g. una cum reditibus cura habitualis paroeciae tribuitur in perpetuum cuidam monasterio, incorporatio facta est pleno iure ; et tunc per vicarium *temporalem,* per se *religiosum,* cura actualis exercetur ; si vero soli paroeciae reditus coniunguntur monasterio, cura actualis exercebitur a vicario *perpetuo,* per se *saeculari,* quem monasterium alere debebit. Cf. CLAEYS-SIMENON, n. 953.

753. - II. Effectus unionis (c. 1420). « 1. In unione *exstinctiva,* beneficio quod emergit aut remanet, omnia iura et onera exstinctorum competunt, et, si inter se componi nequeant, meliora ac favorabiliora » (c. 1420, § 1).

Beneficium *emergit,* quando ex pluribus novum exsurgit ; *remanet,* quando ad beneficium iam exsistens alia, quae exstinguuntur, sunt coniuncta. Iura inter se componi nequeunt si, v. g., beneficium non exemptum adiungatur exempto. Novum beneficium vel remanens beneficium erit, ex toto, exemptum.

« § 2. In *aeque principali,* quodlibet beneficium conservat suam

naturam, iura et onera ; sed, vi peractae unionis, uni eidemque clerico unitorum beneficiorum tituli conferri debent » (c. 1420).

In hac igitur unione, beneficia ipsa distincta manent ; nihil commune sortiuntur, praeter rectorem.

« § 3. *In minus principali*, beneficium accessorium sequitur principale, ita ut clericus qui principale obtinet, eo ipso et accessorium consequatur atque utriusque onera implere debeat. »

Hic ergo, unio quidem est vere *realis*, ita tamen ut beneficia non coalescant in unum, sed unum, amisso titulo proprio, fiat quasi pars accessoria alterius cuius naturam et vices sequitur. Sed onera beneficii accessorii a rectore principalis praestanda sunt. Quare, si duae ecclesiae paroeciales sic uniantur, rector ecclesiae principalis servitia accessoriae per se vel per idoneum vicarium praestare debet : huic non omnes reditus ecclesiae minoris, sed congruam portionem assignabit. Si simul componi nequeant iura et privilegia utriusque ecclesiae, praevalent iura et privilegia ecclesiae maioris. Cf. SANTI, *Praelectiones iuris canonici*, III, t. 5, n. 92.

« Si a Sede Apostolica paroecia domui religiosae uniatur *ad temporalia tantum* quod attinet, domus religiosa particeps fit solummodo fructuum paroeciae, et Superior religiosus sacerdotem e clero saeculari in eadem instituendum, assignata congrua portione, Ordinario loci praesentare debet » (**c. 1425**, § 1).

Beneficium igitur manet saeculare.

« Sin autem *pleno iure*, paroecia fit religiosa, et Superior potest sacerdotem e sua religione ad curam animarum exercendam nominare, sed Ordinarii loci est eundem probare et instituere, eiusque iurisdictioni, correctioni et visitationi ipse subesse debet in iis rebus quae ad curam animarum pertinent, ad normam can. 631 », de parocho religioso. (c. 1425, § 2.)

754. - Quisnam uniones decernere possit. 1. *Uni Sedi Apostolicae* reservatur : « Unio exstinctiva beneficiorum, eorum suppressio, aut dismembratio, quae, detractis bonis beneficialibus, fiat quin novum erigatur beneficium ; unio aeque aut minus principalis beneficii religiosi cum saeculari, et contra, itemque beneficii religiosi translatio, divisio et dismembratio quaelibet » (**c. 1422**).

Etenim per unionem exstinctivam, perit ipsum ens quod perpetuum esse debebat : id de se est odiosum et facile tollit iura quaesita. — Idem dicendum est de *suppressione* beneficiorum. Memorabilis suppressio beneficiorum facta est in Gallia et Belgio, post perturbationem Gallicam, cum res compositae sunt cum Napoleone, per decretum Card. CAPRARA : omnes enim episcopatus et paroeciae sunt innovata, suppressis omnibus titulis anterioribus.

Dismembratio sine novi beneficii erectione derogat regulae : *Ut beneficia sine deminutione conferantur*, et recidit in meram alienationem bonorum.

Cum beneficia religiosa religiosis, saecularia autem saecularibus sint conferenda, altera cum alteris uniri nequeunt sine dispensatione a iure communi.

Beneficii autem religiosi translatio, divisio et dismembratio est res satis invidiosa, tum propter religiosorum exemptionem, tum quia, ex decl. LEONIS XIII in C. *Romanos Pontifices*, pars diversa beneficii religiosi fit saecularis (1). Ne tamen inde colligas ipsas paroecias religiosas ab episcopis dismembrari seu dividi non posse. Cf. dicenda mox infra, n. 757.

2. **C. 1423** « § 1. *Ordinarii locorum*, non autem Vicarius Capitularis nec Vicarius Generalis sine mandato speciali, possunt, ob Ecclesiae necessitatem vel magnam et evidentem utilitatem, aeque aut minus principaliter unire quaslibet paroeciales ecclesias inter se aut cum beneficio non curato, ita tamen ut altero in casu, si unio fiat minus principalis, beneficium non curatum sit accessorium ».

Itaque competens est per se Ordinarius loci, — is, inquam, Ordinarius qui titulo proprio et non qua Vicarius Generalis, vel transeunter, sicut Vicarius capitularis (2) dioecesim regit, — ad uniendas paroeciales ecclesias inter se aut cum beneficio non curato. Sola tamen permittitur unio principalis vel minus principalis, quacum beneficia remanent ; necesse quoque est ut fiat inter beneficia omnia saecularia vel omnia religiosa (ex c. 1422) ; et requiritur vel Ecclesiae necessitas vel magna et evidens utilitas : ut si aliter vel congruae sustentationi ministrorum vel spirituali administrationi provideri nequeat. Cavendum quoque est ne beneficium curatum fiat accessorium beneficii non curati : quod cederet in detrimentum animarum.

« § 2. Nequeunt vero paroeciam unire cum mensa capitulari vel episcopali, cum monasteriis, ecclesiis religiosorum aut alia persona morali, neque cum dignitatibus et beneficiis ecclesiae cathedralis vel collegiatae ; sed possunt eam cum ecclesia cathedrali aut collegiali, quae in territorio paroeciae sita sit, ita unire ut reditus paroeciae cedant in commodum ipsius ecclesiae, relicta parocho vel vicario congrua portione ».

Mensa capitularis vel episcopalis mere designat bona temporalia seu patrimonium ecclesiasticum addictum capitulo vel episcopo. Bene ergo intellegitur cur episcopus nequeat paroeciam, quae componitur beneficio et officio, unire cum sola parte oeconomica beneficii canonicorum vel episcopi. Praeterea, propter detrimentum quod inde acciperent animae vel etiam ad conflictus vitandos, iam C. Tridentino s. XXIV, c. 13, *Ref.* prohibentur uniones paroeciarum cum monasteriis, ecclesiis religiosorum aut alia persona morali, v. g. cum seminariis, hospitalibus ; neque cum dignitatibus et beneficiis ecclesiae cathedralis vel collegiatae. Permittitur tamen unio cum ipsa ecclesia cathedrali vel collegiata, quae sit in territorio paroeciae, quia e re publica est ut tales ecclesiae congrua ratione servari queant, et tunc aptus parochus vel vicarius regimini paroeciae praefici potest : huic congrua portio relinquenda est ex paroeciae reditibus qui in commodum ipsius ecclesiae cedant.

3. Quia ius canonicum per se adversatur pluralitati beneficiorum in iisdem manibus, ideo, « § 3. Unio beneficiorum a locorum Ordinariis

(1) Cf. *De religiosis*, etc. II, 586, n. 15. 16.
(2) Is tenetur regula : *Ne, sede vacante, aliquid innovetur.*

fieri non potest, nisi in perpetuum » (c. 1423, § 3), ne secus palliata ratione plura beneficia eidem personae tribuantur.

4. « Ordinarii numquam possunt beneficia quaevis unire, sive curata sive non curata, cum detrimento eorum qui eadem actu obtinent, ipsis invitis ; neque beneficium iuris patronatus cum beneficio liberae collationis sine patronorum consensu ; neque beneficia unius dioecesis cum beneficiis alterius dioecesis, etiam si ambae dioeceses aeque principaliter unitae ab uno episcopo regantur ; neque beneficia exempta vel Sedi Apostolicae reservata, cum aliis quibuslibet » (c. 1424).

Omnes istae limitationes iam in iure antiquo reperiebantur, et facili ratione explicantur.

Beneficiati viventis consensus requiritur, ne ius eius quaesitum laedatur. Immo, quamvis Codex iuri patronatus minime faveat, nihilo minus non vult ut cum patroni detrimento beneficium iuris patronatus cum beneficio liberae collationis uniatur. Nam, secundum regulam c. 1420, per unionem exstinctivam, exstingueretur ipsum ius patronatus ; per aeque principalem, vel ius patronatus vel ius liberae collationis detrimentum acciperet : idem enim rector necessarius nequit simul libere nominari et praesentationi esse obnoxius ; beneficia variarum dioecesium unita, confunderent reditus diversis populis destinatos ; et praeterea, si dioeceses unitae dein separarentur, molestam exigerent separationem ; de beneficiis exemptis aut reservatis S. Sedi, ad hanc spectat providere.

II. DE TRANSLATIONIBUS

755. - Cum plena potestas S. Sedis non ambigatur, Codex (**c. 1426**) non agit nisi de potestate Ordinariorum, qui hic intelleguntur Ordinarii locorum, et quidem ita ut, propter analogiam iuris ex c. 1423, nec Vicario capitulari nec, sine peculiari mandato, Vicario generali, potestas ista competat. Distinguit porro ab aliis beneficiis paroecialia beneficia, quae ita constitui debent sicut bonum animarum postulat.

1. Si agitur *de beneficiis paroecialibus*, propter necessitatem vel evidentem Ecclesiae utilitatem, potest Ordinarius sedem paroeciae saecularis ab alio in alium eiusdem paroeciae locum transferre.

2. Si agitur *de aliis beneficiis*, transferri nequeunt, nisi ecclesia in qua fundata erant, collapsa sit et restaurari nequeat. Hac necessitate cogente, possunt ista beneficia, cum omnibus emolumentis et oneribus priori ecclesiae adiunctis, transferri in alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum ; erectis, si fieri possit, altaribus vel sacellis sub iisdem invocationibus.

III. DE DISMEMBRATIONIBUS

756. - 1. **Dismembratio proprie dicta**, cum bona seu reditus unius beneficii alii officio vel ecclesiae aut causae piae indigenti tribuat, continet alienationem bonorum ecclesiasticorum, quae, quod ad causas

et sollemnitates, regulis generalibus alienationum bonorum ecclesiasticorum obnoxia est. Cf. WERNZ, II, 269.

2. Omnis autem huiusmodi dismembratio proprie dicta canone 1422 S. Sedi reservatur ; cui etiam reservatur omnis dismembratio beneficii religiosi, etiam minus proprie talis dismembratio, quae divisionem beneficii seu erectionem novi beneficii consequitur.

Verum quod de beneficiis hic dicitur non valet stricte de paroeciis. Hinc :

IV. UNIO, TRANSLATIO, DIVISIO ET DISMEMBRATIO PAROECIARUM

757. - Ratio peculiaris iuris. Paroecia dicit plus quam officium et beneficium. Est enim, ex c. 216, pars quaedam dioecesis cum populo cui ecclesia cum rectore assignatur. Bonum autem animarum varias mutationes suadere potest. Et cum haec consideratio longe praeferenda sit rationibus temporalibus, ipse autem Ordinarius loci utilitati spirituali gregis sui principaliter consulere debeat, bene intellegitur, ampliorem potestatem tribui episcopis, cum agitur de mutandis paroeciarum condicione et statu quam cum de beneficiis tantum agitur.

Quid autem ipsi liceat, circa *unionem* et *translationem* paroeciarum, iam diximus, n. 754. 755, declarando canones 1423 et 1426. Hic ergo de divisione et dismembratione dicendum est.

De qua re Codex canone **1427** haec statuit, quae ceterum iam antea vigebant.

1. Possunt Ordinarii locorum, invitis quoque rectoribus et sine populi consensu : *a*) dividere paroecias quaslibet, etiam religiosorum, sive novam paroeciam erigant, sive tantum vicariam perpetuam.

Vicaria perpetua supponit curam spiritualem partis divisae tribui cuidam ecclesiae cathedrali aut collegiatae, eiusdem territorii, quae cura tunc actu committenda est vicario perpetuo.

b) Possunt etiam earum territorium dismembrare ; i. e. regendum tribuere alii iam exsistenti paroeciae.

Sed requiritur iusta et canonica causa.

2. *Causa canonica* (c. 1427, § 2) « ea tantum est, si aut magna sit difficultas accedendi ad ecclesiam paroecialem, aut nimia sit paroecianorum multitudo, quorum bono spirituali subveniri nequeat ad normam c. 476, § 1 », i. e. per vicarios cooperatores.

Hodie non requiri proprie impotentiam, sed sufficere magnam difficultatem, monet DE MEESTER, n. 1410.

3. Ordinarius dividens congruam portionem erectae vicariae perpetuae aut paroeciae assignare debet ; i. e. efficere ut tum alimentis parochi, tum ipsis ecclesiae expensis sit consultum. Immo de ope

ipsi ecclesiae ferenda hic potissimum agitur (1). Et hac quidem ratione. *a*) In primis servandus est c. 1500, qui iubet ut, cum debita proportione, ex aequo et bono dividantur inter antiquam et novam paroeciam bona communia in commodum totius territorii destinata (2), et aes alienum quod pro toto territorio contractum fuerat.

Cum haec sit mere aequa partitio, in qua salvae manere debent piae fundatorum seu oblatorum voluntates et iura quaesita, nullum inde censetur novae paroeciae beneficium factum; nulla quoque habetur proprie dicta alienatio.

b) Dein aliunde, v. g. ex donationibus novis fidelium quibus divisio proderit, congruae portioni consulendum est.

c) Si aliunde haberi nequeat, tunc, ex ipso **c. 1427**, § 3, ius conceditur Ordinario dividenti, ut ex reditibus quoquo modo ad ecclesiam matricem pertinentibus detrahat quod satis sit isti congruae portioni. Additur tamen condicio sine qua non, ut ecclesiae matrici remaneant sufficientes reditus.

« Quoquo modo pertinentes reditus » intellegi possunt de omnibus bonis quae, ex c. 1410, dotem beneficii constituere possunt.

In compensationem istius benefacti, § 4 eiusdem c. 1427 stipulatur ecclesiae matrici honorem quemdam, cuius Ordinarius modum et finem praestituet, exclusa tamen reservatione ecclesiae matrici fontis baptismalis.

4. C. 1423, « § 5. Divisa paroecia quae ad aliquam religionem iure spectat, vicaria perpetua aut paroecia noviter erecta non est religiosa; pariter divisa paroecia iuris patronatus, nova paroecia est liberae collationis ».

Et quia Ordinario loci non est potestas convertendi beneficia saecularia in religiosa, aut nova concedendi iura patronatus, non possit, dum divisionem peragit, exceptionem huic regulae apponere.

V. GENERALES CONDICIONES ACTUUM ORDINARII LOCI IN HAC RE

758. - Forma, causa, appellatio (c. 1428). 1. Vetantur Ordinarii locorum beneficia unire, transferre, dividere, dismembrare, aliter ac per authenticam scripturam, « auditis capitulo cathedrali et iis, si qui sint, quorum intersit, praesertim rectoribus ecclesiarum » (c. 1428, § 1). Maxime enim interest rectoris beneficii de cuius unione vel divisione, etc. agitur. Fieri autem potest convocatio eorum quorum intersit per

(1) Immo, ubi parochus in annua pensione suum beneficium habet, quaestio ad reditus ecclesiae restringitur. De controversa ratione divisionis bonorum, cf. CLAEYS-SIMENON, n. 957

(2) Talia non sunt *decimae* : haec immediate parocho competunt.

edictum generale quo propositum annuntietur, facta licentia cuivis cuius intersit exponendi suas rationes. Ceterum, haec auditio sive capituli sive aliorum, condicio valoris esse non videtur.

Atque et in Belgio et in Gallia, legitima consuetudo eximit Episcopum ab obligatione audiendi capitulum. (De Meester, n. 1410, c.).

2. « § 2. Unio, translatio, divisio, dismembratio facta sine canonica causa irrita est. »

3. « § 3. Adversus decretum Ordinarii unientis, transferentis, dividentis aut dismembrantis beneficia, datur in devolutivo tantum recursus ad S. Sedem. » Interea, igitur, efficax erit decretum episcopi, seu Ordinarii.

759. - II. **De pensionibus** (**c. 1429**). 1. Pensiones sive perpetuae, sive temporariae, sed ad vitam ipsius pensionarii, Ordinarii beneficiis imponere nequeunt. Ex iusta causa, in ipso collationis beneficii actu exprimenda, possunt *quibuslibet* beneficiis imponere pensiones temporarias, ad vitam beneficiarii, « salva huic congrua portione » (c. 1429, § 1).

2. Huic tamen regulae fit exceptio, in favorem beneficii *paroecialis*. Etenim beneficia paroecialia non possunt pensione gravari, nisi in commodum parochi vel vicarii (etiam cooperatoris) eiusdem paroeciae a munere abeuntis ; nec pensiones istae excedere possunt « tertiam partem reditus paroeciae, quibusvis deductis expensis et incertis reditibus » (c. 1429, § 2). Vicarii, sine addito, possunt esse tam vicarii quasi-parochi quam cooperatores.

Verum sola haec restrictio in casu attendenda est. Ordinarii igitur possunt in commodum parochi vel vicarii abeuntis pensionem statuere ad vitam ipsius pensionarii. Et quia fit ad bonum animarum, in renuntiatione paroeciae quae fit ad remotionem praeveniendam, futura huiusmodi provisio sine ulla simoniae labe ab Ordinario loci proponi potest. Cf. causam *Renuntiationis paroeciae*, 11 nov. 1922 a *S. C. C.* solutam (AAS., XV, 1923, 454 ; *Per.*, XII, 124).

Immo, die 20 maii 1926, ad IX, *C. I. C.* declaravit ab Ordinario admitti posse renuntiationem paroeciae cum reservatione pensionis ad vitam pensionarii in favorem renuntiantis (AAS., XVI, 116 ; *Per.*, XIII, 81 et 87) (1).

3. « § 3. Pensiones beneficiis sive a Romano Pontifice sive ab aliis

---

(1) Reservatione ista securitas parocho ab episcopo datur ; nulla fit pactio inter successorem et decessorem ; nec proin reservatio fit condicio proprie suspensiva vel resolutoria. Sic scripsimus *Per.*, XIII, 87, ad auferendam difficultatem quam *Monitore*, 1924, p. 81, experiri fatetur propter c. 1486, quo vetatur dimissio sub condicione quae redituum erogationem attingat.

collatoribus impositae, cessant morte pensionarii, qui tamen nequit eas alienare, nisi id expresse concessum sit » (c. 1429, § 3).

760. - III. De conversione beneficiorum (c. 1430). « § 1. Beneficia curata ab Ordinariis in non curata converti nequeunt, nec beneficia religiosa in saecularia, nec saecularia in religiosa.

« § 2. E contrario possunt beneficia simplicia ab Ordinariis locorum in curata converti, dummodo ne obstent condiciones a fundatore expressae. »

Non repugnat igitur legibus, ut Ordinarius loci sic instituat paroeciam religiosam, dummodo beneficium iam religiosum seu regulare in curatum convertat.

Atque etiam conversione beneficii *simplicis* in curatum fieri potest ut nova paroecia erigatur sine ulla mutatione *beneficii paroecialis* praecedentis, ut si dos istius beneficii nullatenus ex iuribus stolae constituatur : tunc novus parochus iura stolae non tamquam dotem percipiet, et fruetur beneficio quod antea simplex fuit, intactum esse sinens antiquum beneficium paroeciale.

761. - Corollarium. 1. Si, etiam quando dividitur paroecia religiosa, nova paroecia est necessario saecularis, fortiore ratione saecularis erit paroecia quae post divisionem paroeciae iam saecularis nova exsurgit. Non potest igitur episcopus, sine auctoritate S. Sedis, paroeciam etiam plene incorporare domui religiosae.

2. Et quia beneficia saecularia conferenda sunt saecularibus, episcopus non potest, etiam sine incorporatione, sacerdotem religiosum in parochum proprie talem cuiuspiam paroeciae non religiosae cooptare, nisi ipsa religio habeat privilegium, quale habent Canonici Praemonstratenses.

Si tamen ipsi desit clerus saecularis, possit propria auctoritate et consentientibus Superioribus religionis, *oeconomum administratorem* constituere quempiam religiosum, cum omni facultate parochorum.

3. Si, v. g. in territorio acatholico nulla exstet paroecia, nihil obstare videtur quin episcopus promittat religiosis seu regularibus ecclesiam novam quam erigere velit in paroeciam : sive ipsi religiosi pecuniam collegerint, sive deficiat clerus saecularis. Paroecia ista plene unita erit religiosa.

Caput III. - De beneficiorum collatione

INTRODUCTIO

762. - Quia beneficium est propter officium, vocatio ad officium est simul vocatio ad beneficium. Ambo actus tamen separari possunt, non

tantum formaliter, ut est manifestum, sed etiam materialiter : si beneficium conferatur personae quae iam officio est provisa.

Itaque, quo quadruplici modo ex c. 148 (Cf. *Epitome*, I, n. 231) fit provisio officii, i. e. per liberam collationem a legitimo Superiore, vel per institutionem candidati praesentati a patrono aut nominati, vel per confirmationem aut admissionem electionis aut postulationis, vel per simplicem electionem et acceptationem electi : eodem quadruplici modo beneficium acquiritur.

De libera collatione Codex agit tum ubi de officiis (c. 152-159), tum hic (c. 1434-1447) ; de electione et postulatione, in titulis de officiis (c. 160-182) ; dum de praesentatione et institutione agit tantum hic (c. 1448-1471). Ordine autem primo agit de iis qui beneficia conferunt (c. 1431-1433) ; dein de beneficiis reservatis S. Sedi (c. 1434. 1435) ; tum de subiecto cui conferenda sunt (c. 1436. 1437. 1442) ; postea de modo collationis (c. 1438-1441) ; postremo de possessione beneficii, quomodo incipiat et quid operetur (c. 1443-1447).

I. QUINAM BENEFICIA CONFERANT

763. - Affirmato **c. 1431** universali iure S. Pontificis tum conferendi beneficia tum reservandi sibi collationem beneficiorum, **c. 1432** § 1 agnoscit et Cardinali in proprio titulo vel diaconia et Ordinario loci in proprio territorio *intentionem in iure fundatam* (1). I. e. beneficia conferre possunt, nisi probetur exceptio.

Vicario autem generali opus est speciali mandato. Et Vicarius capitularis *paroecias vacantes* liberae collationis conferre non potest nisi sedes episcopalis per annum vacaverit aut impedita fuerit ; alia beneficia conferre potest si non sunt liberae collationis (c. **1432**, § 2).

764. Devolutio ad S. Sedem (c. 1432), « § 3. Si Ordinarius intra semestre ab habita certa vocationis notitia beneficium non contulerit, huius collatio devolvitur ad Sedem Apostolicam ». Ipse canon tamen excipit, si, prudenti episcopi arbitrio, adiuncta peculiaria maiorem dilationem tituli *paroecialis* suadeant. Atque, ex resp. *Comm. I. C.*, 24 nov. 1920, non est locus devolutioni, si beneficium non est collatum *propter absolutum defectum personarum idonearum.* (Cf. AAS.. XII, 1920, 573 ss. *Per.* X, 252.)

Devolutio ista ipso facto habetur, ita ut Ordinarius beneficium valide conferre iam nequeat. Cf. WERNZ, *Ius Decr.*, t. II, n. 324, II, c.

(1) Proloquium istud in iure usitatum sic explicari potest. *Intentio* dicit propositum, consilium, praecipue id quod a litigante intenditur, seu actionem. *Fundata in iure* dicitur quae per se admittitur. Litteralis ergo vocabulorum explicatio haec erit : Si Cardinalis vel episcopus beneficium in suo titulo vel diaconia vel territorio conferre praetendit, ius ei per se assistit : habet in sua qualitate Cardinalis vel episcopi titulum ad conferendum.

765. - De coadiutoribus. Coadiutores cum vel sine futura successione a sola S. Sede constitui possunt (**c. 1433**). Parocho tamen qui ob permanentem causam impar evaserit suis muneribus rite implendis possunt et debent episcopi vicarium dare adiutorem ; parocho autem qui, propter multitudinem vel alias causas non potest solus sufficere officio suo, dant unum vel plures vicarios cooperatores (c. 475. 476).

II. DE BENEFICIIS RESERVATIS

766. - Vis reservationis. « Beneficia Sedi Apostolicae reservata ab inferioribus invalide conferuntur » (**c. 1434**). — Et reservationes c. 1435 locum habent etiam vacante Sede Apostolica (**c. 1435**, § 1).

Reservatio beneficii est avocatio beneficii per competentem Superiorem ad se facta, pro tempore quo vacabit. Competens Superior nunc practice est solus Romanus Pontifex. Differt ab *exspectativa*, qua cuiquam iam nunc ius tribuitur in beneficium nondum vacans. Stricte dicta reservatio habetur quando generice quaedam beneficia reservantur. Quando pro unico casu beneficium reservatur, potius habetur tunc « *affectio* » vel *specialis reservatio*. Huius casus indicantur c. 1435, § 1, 4°.

Ante Codicem distinguebantur reservationes clausae corpore iuris et reservationes per alias Constitutiones statutae. Potissimum reservationes fiebant per regulas Cancellariae. Quid hae sint, dictum est, t. I, n. 33.

767. - Beneficia reservata. 1. Omnia beneficia consistorialia et omnes dignitates ecclesiarum cathedralium et collegiatarum (c. 1435, § 1).

Ante Codicem, ex 4 reg. cancellariae, reservabantur dignitates maiores post pontificales in ecclesiis cathedralibus et principales in collegiatis ; quod benigne intellegebatur de prima dignitate capituli. Habemus igitur hic quandam ampliationem reservationis, cui difficulter opponetur consuetudo, cum magis restricta reservatio potuerit dici simplex observatio iuris communis.

Reservatur collatio dignitatum, etiamsi nullam praebendam, nulla emolumenta aut valde exigua annexa habeant (*Comm. I. C.*, 1 iul. 1922. AAS, XIV, 1922, 406; *Per.*, XI, 127).

2. « Omnia beneficia, etiam curata, quae vacaverint per obitum, promotionem, renuntiationem vel translationem S. R. E Cardinalium. Legatorum Romani Pontificis, officialium maiorum Sacrarum Congregationum, Tribunalium et Officiorum Romanae Curiae et Familiarium, etiam honoris tantum Summi Pontificis tempore vacationis beneficii » (c. 1435, § 1, 1°).

Quinam sint Officiales maiores SS. Congregationum dictum est, I, n. 320. De tribunalibus et officiis, cf. I. nn. 336-342. *Familiares* sunt omnes isti Prae-

lati qui nomine Camerariorum vel Praelatorum domesticorum S. Pontificis veniunt. Sed ut reservatio locum habeat, opus est ut *tempore vacationis beneficii*, i. e. iam eo momento quo vacant et quam diu vacant, qualitatem habeant propter quam reservantur beneficia. De vi istius clausulae, cfr lucubrationem Prof. HILLING, *Archiv. f. k. KR*, 1927, p. 282 ss., qui merito reicit interpretationem PRÜMMER, *Manuale*, n. 430, p. 502 et EICHMANN, *Lehrb. des Kirchenrechts* 1923, p. 459. In *Archiv*, 1926, p. 575, Dr SIPOS verba : « tempore vacationis » ad solos Familiares refert, contra HILLING, qui ea ad omnes personas hic nominatas traducit.

3. « Quae, fundata extra Romanam Curiam, vacaverint per beneficiarii obitum in ipsa Urbe » (c. 1435, § 1, 2°).

Sit aliquis parochus qui ex devotione limina Apostolorum visitaverit. In Urbe, morbo corripitur et moritur. Eius successor a S. Sede nominari debet. Reservatio ista antiqua, sola est quae in Corpore iuris reperitur. Cf. c. 2, III, 5, in 6°.

4. « Quae invalide ob simoniae vitium collata fuerint » (c. 1435, § 1, 3°).

Haec reservatio dici potest poenalis.

Dubitari potest de vi istarum reservationum in Belgio, quod ad paroecias, propter Concordatum 1801, cuius art. 10 sic sonat : « Episcopi ad parochias nominabunt ; nec personas seligent nisi gubernio acceptas ». Sed tum DE MEESTER, *Compendium*, n. 253 (I, p. 166) nota 2, tum CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, 563, nota 2 et 963, censent reservationes istas non esse in Belgio sublatas.

5. « Denique beneficia quibus Romanus Pontifex per se vel per delegatum manus apposuerit his qui sequuntur modis : si electionem ad beneficium irritam declaraverit, vel vetuerit electores ad electionem procedere ; si renuntiationem admiserit ; si beneficiarium promoverit, transtulerit, beneficio privaverit ; si beneficium in commendam dederit » (c. 1435, § 1, 4°).

Porro, ex c. 1435, initio, haec *sola* beneficia reservantur. Suppressa proinde est reg. 9 cancellariae, vi cuius reservabantur R. Pontifici beneficia omnia quae vacabant in mensibus qui inde dicebantur papales. Menses isti erant 9 ex 12. Poterant tamen episcopi residentes obtinere a Dataria Apostolica ut alterni menses essent papales et episcopales. Huic autem regulae plurimae derogationes erant factae per concordata.

Regulis de reservatione fit exceptio § 2, vi cuius « Numquam sint reservata, nisi id expresse dicatur, beneficia manualia aut iuris patronatus laicalis vel mixti ». Beneficia manualia vocantur quae ad nutum sunt concessa.

Denique, quod ad *beneficia quae Romae fundata sunt*, leges particulares de iisdem vigentes sunt observandae (c. 1435, § 3).

Frustra conemur leges istas enumerare ; namque, ex parte, constant usibus quorum textus legalis non exsistit. Summa haec est : beneficia ista sunt in manu S. Pontificis. Quidam, v. g. qui archibasilicis praeficiuntur, beneficia basilicae conferre possunt. Plerumque beneficia ista sunt Romanis conferenda. Sed

saepe desiderantur candidati Romani. — Quia leges particulares observandae sunt, Em. Card. Praeses Comm. I. C., dum abrogata declaravit leges particulares et privilegia quae beneficia indigenis reservabant, firmum tamen voluit praescriptum c. 1435, § 3 (Cf. n. 749).

III. DE SUBIECTO CUI BENEFICIA CONFERENDA SINT

768. - Tribus canonibus qui huc attinent, i. e. c. 1436. 1437. 1442, haec statuuntur :

1. Clerico invito et provisionem non expresse acceptanti beneficium ecclesiasticum valide conferri nequit (c. **1436**).

Nequit igitur Ordinarius consensum clerici supplere ; bene tamen potest, propter necessitatem ecclesiae, eidem acceptationem ut obligatoriam, ex c. 128, imponere.

2. « Nemo potest beneficium sibi ipse conferre » (c. **1437**).

Attento iure antiquo, potissimum c. 7, X, *de institutionibus*, III, 7, collatio ista invalida dicenda est.

Memorandus hic etiam est c. 157, quo officium *vacans* per *renuntiationem* vel per *sententiam privationis valide* conferri nequit suis aut resignantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad 2um gradum inclusive, ab Ordinario qui renuntiationem acceptavit, vel sententiam privationis tulit : periculum hereditariae successionis, sic removetur. Liquet beneficium annexum officio sine isto conferri non posse.

3. « Beneficia saecularia non nisi clericis e clero saeculari conferenda sunt ; religiosa sodalibus illius religionis, ad quam beneficia pertinent » (c. **1442**).

Ante Codicem, soli regulares prohibebantur accessu ad beneficia saecularia. Namque religiosi Congregationum religiosarum aliquo modo dici poterant de clero saeculari, praesertim si non erant exempti. Hodie tamen Codex, satis perpetuo usu, atque in ipsa altera parte allegati canonis, saeculares distinguit non solum a regularibus, sed etiam a religiosis. Dicendum igitur est nunc omnes religiosos proprie dictos beneficiis saecularibus excludi.

Non autem excluduntur ii quorum associatio mere vitam religiosam imitatur, ut sunt Presbyteri missionis, Eudistae, et plures alii.

Itaque non modica iuris mutatio isto canone est inducta.

IV. MODUS COLLATIONIS

769. - Subiectiva perpetuitas. Ex. c. 1438, « omnia beneficia saecularia ad vitam beneficiarii conferenda sunt, nisi aliud ferat vel lex fundationis, vel consuetudo immemorabilis, vel peculiare indultum »

770. - Incompatibilia beneficia nequeunt ab ullo clerico valide sive in titulum sive in commendam acceptari vel retineri (c. **1439**, § 1).

Id autem efficit incompatibilitas, ut possessione pacifica secundi beneficii primum ipso iure sit vacans. Incompatibilia porro sunt omnia beneficia quae distinctam residentiam postularent ; praeterea quae sunt uniformia et eiusdem tecti, v. g. duo canonicatus in eadem ecclesia.

Formalis autem *ratio incompatibilitatis* traditur § 2, c. 1439, cum incompatibilia declarat beneficia *quorum onera universa idem beneficiarius per se implere simul nequeat.* Addit autem, confirmando regulam antiquam (c. 6, L. III, t. 5), incompatibilia iam esse duo beneficia quorum alterutrum ad honestam beneficiarii sustentationem sufficiat.

771. - Prohibita deminutio. C. 1440. « Beneficia ecclesiastica sine deminutione conferantur, salvo praescripto c. 1429, § 1, 2. »

Canon iste, per quem integritati beneficii consulitur, efficiebat, in iure praecedente, titulum XII, Libri III Decretalium. Beneficium autem deminuitur, si augeantur eius onera, si exigatur aliqua solutio (praeter eas quae iure ob necessitatem permittuntur) ; si perpetua separatio fiat alicuius portionis fructuum. Hic tamen ipse canon memorat facultatem factam c. 1429 imponendi pensiones non perpetuas vel ad vitam pensionarii ob iustam causam, quibusdam beneficiis (Cf. n. 759).

772. - C. 1441 sancit et complet canonem praecedentem, dum reprobat tamquam simoniacam omnem deductionem ex fructibus, compensationem ac solutionem a clerico in actu provisionis faciendam, quae collatori, patrono aliisve cedant. Debet ergo collatio esse gratuita.

V. BENEFICII POSSESSIO

773. - Requisita ad possessionem legitime capiendam (c. 1443. 1444. 1445). 1. Prohibetur ne quis propria auctoritate possessionem beneficii capiat. Requiritur igitur *missio in possessionem,* quae dicitur *institutio corporalis* (1). Haec, pro beneficiis non consistorialibus, spectat ad loci Ordinarium, qui ad id alium ecclesiasticum virum delegare potest. Itaque, etiam si beneficium conferatur a S. Pontifice, Ordinarii tamen erit in possessionem mittere, nisi S. Pontifex aliter providerit. Possessio beneficii consistorialis generatim fit demonstratis coram coetu competente litteris Apostolicis quibus beneficium, puta episcopatum, confertur (2).

---

(1) De ea cf. WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, II, n. 315-317.

(2) Potius quam per sollemnem ingressum, contra ac scribit DE MEESTER, n. 1418, 3°. Sic in Hispania Episcopi regulariter capiunt possessionem per procuratorem, et postea sollemnem ingressum celebrant.

Per se servandus est modus iure peculiari vel legitima consuetudine praescriptus. A modo tamen isto potest, ob iustam causam, Ordinarius expresse et in scriptis dispensare : tunc dispensatio locum tenet captae possessionis seu installationis (c. 1444, § 1). Ordinarius praefinire debet tempus intra quod possessio beneficii capi debeat, « quo inutiliter praeterlapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, beneficium vacare declaret ad normam c. 188, n. 2 » (c. 1444, § 2). I. e., haec neglegentia habetur pro tacita renuntiatione quae ipso iure acceptatur. Notes esse beneficia pro quibus ipsum ius definit tempus intra quod possessio capienda est. Ceterum possessio beneficii potest etiam capi per mandatarium speciali mandato munitum (c. 1445).

2. *Professio fidei* prius emittenda est, quando est praescripta (c. 1443, § 1).

774. - Speciales effectus iuridici captae possessionis. 1. Pacifica beneficii possessio per integrum triennium cum bona fide, etiam si titulus fuerit invalidus, dummodo absit simonia, beneficium confert ex *praescriptione* (c. 1446). Possessio ista demonstranda est.

2. *Actio petitoria contra pacificum possessorem.* « Qui beneficium postulat ab alio pacifice possessum, quod certo modo vacare contendat, debet in supplici libello exprimere nomen possessoris, tempus possessionis et causam specialem ex qua constet nullum possessori in eo beneficio ius competere ; beneficium autem postulanti conferri non potest, nisi prius causa in petitorio fuerit, ad normam iuris, definita » (c. 1447).

Actio petitoria ea dicitur qua ipsum ius vindicatur ; *possessoria*, contra, est qua simpliciter postulatur redintegratio in possessionem ex qua quis illegitime exciderit. Postulans beneficium quod in pacifica alterius possessione versatur, debet igitur *in petitorio* agere coram iudice.

Caput IV. - De iure patronatus

INTRODUCTIO

775. - I. Notae historicae. Etsi, a primordiis suis, Ecclesia gratum benefactoribus suis animum demonstraverit, ius patronatus tamen, contra ac plures scribunt, non videtur nobis e spontaneo grati animi motu exortum, sed potius ex quadam consequente vindicatione domini qui erigebat ecclesiam et ministros alebat natum esse putamus. Quare in veteri iure, ante ius Decretalium, sive Orientem consideres, ubi iam saec. VI° permittebatur ut qui domum oratorii fabricasset clericos eius ordinare (i. e. constituere) posset dependenter ab Antistite ; sive Occi-

dentem, de grata mente siletur, et, si ius agnoscitur, simul contra abusus decreta feruntur. Sic IUSTINIANUS cavet suis *Novellis*, ut quaedam libertas instituendi dignum episcopis linquatur, atque expresse ad dignos nominandos candidatos ius fundatoris vult limitatum (1); in Occidente, capite 32, C. XLV, q. 7, ius sancitur, sed iam c. 26 eiusdem Causae et quaestionis contra nimiam exigentiam fundatorum invehitur. In Occidente igitur remansit potius ut tolerabilis pars domini perfecti in res et dominationis in personas, non exclusis clericis, quod sibi domini fundorum arrogabant. Quod praesertim verum est de regionibus quae iure germanico regebantur; ita ut in *minoribus* officiis ibidem abusus coercendus fuerit qui in *maioribus* locum dedit controversiae de investituris.

Principalis ordinator iuris patronatus fuit ALEXANDER III (s. XII), cuius ordinatio, accidentaliter mutata in libro VI° Decretalium, in Clementinis et in Conc. Tridentino, substantialiter permansit usque ad Codicem.

Restricta libertas vocandi optimos ad officia ecclesiastica, interventus laicorum in nominationibus ecclesiasticis numquam incommodis caruerunt; sed hodie praesertim id est Ecclesiae et religioni damnosum. Cum enim fere ubique unitas fidei labefactata sit, tranquilla et segnis administratio paroeciarum religioni servandae sufficere nequit; sed opus est animo apostolico, quem Superior ecclesiasticus sedulius quaeret per se quam laicus, qui causam privatam curare videtur; et propter hereditates et devolutiones, ius patronatus facile in manus parum fidas pervenit. Nec sine conflictu et offensione repelluntur candidati. Quando autem, ut interdum fit, v. g. ob multiplicatos heredes, ius patronatus a multis collective possidetur, praesentatio desinit in electionem popularem, cuius plurima incommoda facile praesentiuntur.

Iure proinde ac merito, Codex se aperte infensum demonstrat iuri patronatus, ita ut omne novum excludat, exsistentia autem prudenter, sine laesione quaesiti iuris removere conetur, atque interea incommodis leniendis plures canones destinet.

Ordo dicendi. — I. Praemissa notione et divisione iuris patronatus et distinctione a simili iure nominandi (c. 1448. 1449), II. exponemus cum Codice cautiones adhibitas ad supprimendum ius vel praecidendos abusus per aptas limitationes et rigorem probationis (c. 1450-1454); III. agemus de exercitio activo iuris praesentandi (c. 1456-1460); IV. de praesentatione passiva (1461-1465); V. effectus rite factae praesentationis numerabimus (c. 1466-1468); VI. onera et officia patronorum describemus (c. 1469); VII. demum de exstinctione iuris patronatus erit sermo (c. 1470).

---

(1) Cf. Nov. 57, c. 2; 123, c. 18.

I. PATRONATUS NOTIO ET DIVISIONES

776. - I. Definitio. « Ius patronatus est summa privilegiorum, cum quibusdam oneribus, quae ex Ecclesiae concessione competunt fundatoribus catholicis ecclesiae, cappellae aut beneficii, vel etiam eis qui ab illis causam habent » **(c. 1448)**.

In illa definitione, Codex consulto memorat, patronatum non in solis iuribus, sed etiam in oneribus consistere : unde patroni facilius isti iuri oneroso renuntient, nec de solis iuribus suis sint solliciti ; — inculcat praeterea originem formalem iuris repetendam esse ex Ecclesiae concessione, ita ut nullo pacto dici possit ius quasi nativum benefactoris, ut in partibus Germaniae olim contendebatur ; — denique necessariam possessioni iuris condicionem apponit : catholicam religionem fundatoris. Causam autem impulsivam concedendi privilegii indicat esse fundationem ecclesiae, cappellae aut beneficii ; atque admittit ius transire posse ad eos qui fundatoribus certa ratione succedunt : i. e. « qui ab illis causam habent ».

777. - Summa privilegiorum. **C. 1455** : « Privilegia patronorum sunt : 1° praesentandi clericum ad ecclesiam vacantem vel beneficium vacans ; — 2° salva exsecutione onerum et honesta beneficiarii sustentatione, alimenta ex aequitate obtinendi ex ecclesiae vel beneficii reditibus, si qui supersint, quoties patronus ad inopiam nulla sua culpa redactus fuerit, etiamsi ipse iuri patronatus renuntiaverit in commodum Ecclesiae, vel pensio in limine fundationis ipsi patrono fuerit reservata, quae ad sublevandam eius inopiam non sufficiat ; — 3° habendi, si ita ferant legitimae locorum consuetudines, in sui patronatus ecclesia, stemma gentis vel familiae, praecedentiam ante ceteros laicos in processionibus vel similibus functionibus, digniorem sedem in ecclesia, sed extra presbyterium et sine baldachino ».

Enumeratione ista non excluduntur alia iura honorifica quae ex consuetudine accedere possunt, ut honor nominationis inter publicas preces, thurificationis simplici ductu (si sit masculus), osculum instrumenti pacis, ius cerei et palmarum, ius luctus ecclesiastici. Cf. Wernz-Vidal, *Ius can.* II, n. 306.

De istis privilegiis, quae clare describuntur, satis erit hoc unum animadvertere, id in iuribus patronorum maxime Legislatori displicere, ut possit praesentare clericum ad beneficium vel ecclesiam. Quare, quo facilius suis iuribus renuntiet, statuitur ipsi utile ius alimentorum manere post renuntiationem.

778. - II. Divisiones (c. 1449). 1° Est ius patronatus « *reale* vel *personale,* prout alicui rei cohaeret vel directe ad personam spectat » **(c. 1449, 1°)**.

Personale dicitur quoque *principale,* dum *reale* vocatur *accessorium,* quia personae advenit ut accessorium rei temporalis, v. g. successionis in bona fundatoris. Liquet magis damnosum esse reale quam personale, in quo qualitas patroni observari potest.

« 2° *Ecclesiasticum, laicale, mixtum,* prout titulus quo quis iure patronatus potitur est ecclesiasticus vel laicalis, vel mixtus » (c. **1449**, 2°).

Titulus ecclesiasticus erit, v. g. officium ecclesiasticum, v. g. canonicatus cui annectatur quidam patronatus, vel fundatio facta ex bonis stricte ecclesiasticis. — Laicalis titulus erit, v. g. successio hereditaria, fundatio ex bonis patrimonialibus vel etiam ex ecclesiasticis, si libera data erat potestas de iis disponendi. — Mixta erit, si fundatio facta sit partim ex bonis ecclesiasticis, partim ex laicalibus.

Non ergo hic attendenda est qualitas personae ius habentis, sed qualitas tituli, et quidem immediati quo quis est patronus. Igitur, si ratione hereditatis quispiam esse possit patronus alicuius beneficii ex reditibus ecclesiasticis constituti, titulus fuerit ecclesiasticus in fundatore, laicalis in successore. Sed ecclesiasticum patronatus ius hereditate transmitti nequit. (Wernz, II, n. 401, III.)

« 3° *Hereditarium, familiare, gentilitium, mixtum,* prout transit ad heredes, vel ad eos qui de familia aut gente sunt fundatoris, vel ad eos qui simul sunt heredes et de familia vel gente fundatoris » (c. 1449, 3°).

Itaque est hereditarium, quod ad omnes et singulos heredes sive ex lege sive ex testamento transit ; — est familiare vel gentilitium, quod ad illas solas personas transit quae pertinent ad familiam sive fundatoris, sive alterius personae ab ipso fundatore nominatae ; — est mixtum, si ad eos solos transit qui simul sunt vere heredes et descendentes naturales et legitimi sive fundatoris sive personae ab ipso designatae. Excluditur igitur extraneus qui sit ex testamento heres.

Ceteras divisiones, ut secundarias, silentio praetermittimus, exemplum Codicis imitantes.

779. - **Distinctio a privilegio praesentationis.** Canone **1471** monemur per indultum quod S. Sedes concesserit, sive in concordatis sive extra concordata, praesentandi ad ecclesiam vacantem vel ad beneficium vacans, nullatenus concedi ius patronatus ; et privilegium praesentationis subesse strictae interpretationi ex ipso tenore indulti.

Esse quidem potest ius patronatus *publicum* seu *regium* et ius patronatus *privatum ;* ac fit ut sola praesentatio, sine aliis privilegiis ad patronum pertineat ; sed indultum *praesentandi non est formalis concessio* iuris patronatus.

II. CAUTIONES DE SUPPRESSIONE VEL LIMITATIONE IURIS

780. - **I. Suppressio.** Ex **c. 1450**, nullus in posterum patronatus valide constitui potest. Prima tamen vice potest ab Ordinario loci admitti condicio ut beneficium conferatur clerico fundatori vel alii a fundatore designato. Et fidelibus qui ex toto vel ex parte ecclesias exstruxerint vel beneficia fundaverint, spiritualia suffragia ad tempus vel etiam in perpetuum Ordinarius concedere potest. Cf. *Ius Pontif.*, 1925, 33 ss.

781. - **Optata renuntiatio. C. 1451** : « Curent locorum Ordinarii

ut patroni, loco iuris patronatus quo fruuntur, aut saltem loco iuris praesentandi, spiritualia suffragia etiam perpetua pro se suisve acceptent ».

Principalis igitur intentio Codicis est ut Superiori ecclesiastico libertas nominationum recuperetur. Ideo operam Ordinarii locorum dare debent ut saltem iuri praesentationis renuntietur, propter abundantem compensationem spiritualem. Remanebit tunc semiplenum ius patronatus.

Cf. *C. I. C.*, 12 nov. 1922 ad VI, explicantem, verbo *curent* intellegi suasionem ab Ordinariis locorum faciendam, cui si obsequantur, patroni, praesertim ecclesiastici, optime se gerent (AAS., XIV, 1922, 661, ss. ; *Per.*, XI, 183).

Verbum igitur *curent* declarat ab Ordinariis renuntiationem patronatus suadendam esse ; ac laudandos esse patronos, praesertim ecclesiasticos, qui suasioni obtemperent C. I. C.

782. - **Limitationes (c. 1452).** 1. Si *electio* vel *praesentatio* pertinet ad populum, i. e. ad quandam sat numerosam universitatem quae habitatione in loco vel locali origine determinetur, non potest populus nisi seligere inter tres ab Ordinario loci designatos.

2. *Limitatio transmissionis* (c. 1453). Personale ius patronatus valide transmitti nequit ad infideles, publice apostatas, haereticos, schismaticos, ascriptos societatibus secretis ab Ecclesia damnatis, vel ad quoslibet excommunicatos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (c. 1453, § 1).

Ante Codicem, etiam excommunicati tolerati et non declarati erant inhabiles ad acquirendum ius patronatus, quia tunc excommunicati omnes excludebantur gratiis recipiendis. Nunc autem, cum exclusio ista sit limitata ad excommunicatum per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (c. 2265, § 2), inhabilitas iisdem limitibus circumscribitur (c. 1453, § 1).

Ius patronatus ad alios transire potest secundum leges fundationis. Pro transmissione autem quae consensu partium proxime nitatur, v. g. per donationem, ad valorem requiritur consensus Ordinarii in scriptis datus. Exstincta tamen familia, gente, linea, cui secundum tabulas fundationis reservatur, ius non fit hereditarium, nec Ordinarius permittere potest ut per donationem ad alium perveniat (c. 1453, § 2 et 1470, § 1, n. 4).

3. Si patronatus transmissione perveniat ad aliquam personam inhabilem, ius patronatus suspensum manet (c. 1453, § 3).

783. - **II. Necessitas plenae probationis. C. 1454** : « Nullum ius patronatus admittatur, nisi authenticis documentis aut aliis legitimis probationibus evincatur ».

III. DE EXERCITIO ACTIVO IURIS PRAESENTANDI

784. - **De uxore et minoribus.** Uxor per se ipsa, non ergo per maritum, ius patronatus exercet ; minores vero per parentes aut per

tutores : quod si parentes aut tutores acatholici sint, ius patronatus interim suspensum manet (**c. 1456**).

Quod acatholicus non potest qua tutor patroni catholici, minus poterit pro se patronus qui ipse fiat acatholicus. — Si vero unus parens sit catholicus, ius minoris videtur per ipsum exerceri posse.

785. - **Tempus utile praesentandi** est, summum, quattuor mensium a die quo is cuius est ius instituendi (puta episcopum) patronum certiorem fecerit de vacatione beneficii et de sacerdotibus qui in concursu fuerint probati, si beneficium per concursum debeat conferri. Brevius tempus lege fundationis vel legitima consuetudine praescribi potest. Sed admittitur etiam iustum impedimentum (**c. 1457**).

Si praesentatio non fuerit facta tempestive, ecclesia vel beneficium pro eo casu fit liberae collationis (**c. 1458**, § 1).

Pendente tamen lite quae exercitium iuris impediat « suspenditur collatio usque ad finem controversiae, et interim, si opus sit, oeconomum ecclesiae vel beneficio vacanti Ordinarius praeficiat » (c. 1458, § 2).

786. - **Permissa conventio inter plures patronos** (**c. 1459**). Si *plures singulares personae* sint patroni, possunt, tum pro se tum pro suis successoribus, de alternis praesentationibus inter se convenire (c. 1459, § 1). Ad valorem pactionis accedere debet Ordinarii consensus in scripto datus ; sed semel praestitus revocari nequit ab eodem Ordinario vel ab eius successoribus (c. 1459, § 2).

Si conventio ista facta non sit, « ille praesentatus habeatur qui maiorem saltem *relative* suffragiorum numerum rettulerit, et, si plures eundem numerum, maiorem quam ceteri, obtinuerint, omnes censeantur praesentati » (**c. 1460**, § 2). Singuli autem patroni tot habent suffragia quot titulos quibus ius patronatus obtinent (ibid. § 3).

Sic iterum consulitur maiori libertati institutionis.

787. - **Exercitium collegiale** (c. 1460). In *collegiali* exercitio iuris patronatus, is praesentatus est qui maiorem suffragiorum numerum rettulerit ad normam c. 101, § 1. Ex illa norma, in duobus primis scrutiniis praesentatio requirit numerum absolute maiorem suffragiorum. In tertio scrutinio, sufficit maioritas relativa. Si autem, in tertio scrutinio, plures maiorem quam ceteri, sed aequalem inter se suffragiorum numerum habuerint, ii omnes censentur praesentati.

788. - Integrum est patrono praesentare plures, antequam praesentatio acceptetur ; idque sive simul sive etiam successive, intra tempus tamen praescriptum ; sed quos prius praesentaverit excludere non potest (c. 1460, § 4). Nec concursus indicendus est, nisi beneficium sit

iure particulari concursui obnoxium (*C. I. C.*, 12 nov. 1922 ad VII. AAS., XIV, 1922, 661, ss. *Per.*, XI, 184).

IV. DE PRAESENTATIONE PASSIVA

789. - Quinam praesentari possint vel non. 1. Nullus patronus potest se ipse praesentare aut suffragio suo complere numerum requisitum ut praesentetur (**c. 1461**).

Fit haec applicatio regulae nunc generalis, qua nemo pro se fert suffragium. Hic tamen non additur, aliter atque in c. 170 de electione, sanctio nullitatis. Permittitur quoque ut fundator condicionem apponat propriae primae nominationis (c. 1450, § 2, 2°).

2. Si ecclesiae vel beneficio providendum est per concursum, patronus, etiam laicus, non potest praesentare nisi clericum legitime ex concursu probatum (**c. 1462**).

3. Non potest praesentari nisi persona quae, die praesentationis vel saltem acceptationis, omnibus qualitatibus sit instructa quae iure seu communi seu peculiari vel lege fundationis requiruntur (**c. 1463**).

790. - Cuinam facienda sit praesentatio (c. 1464). Praesentatio facienda est loci Ordinario, i. e. Antistiti, vel Vicario capitulari, non autem Vicario generali, sine mandato speciali (cfr. c. 1466). Ordinarii est iudicare utrum necne sit idonea persona praesentata (c. 1464, § 1). De idoneitate debet Ordinarius diligenter inquirere et opportunas notitias, etiam secretas, si opus fuerit, assumere. Et si id ius vel officii ratio postulet aut Ordinarius iudicet opportunum, debet personam etiam examini subicere (c. 1464, § 2).

Nec cogitur Ordinarius ut patrono manifestet rationes cur personam praesentatam admittere nequeat (c. 1464, § 3).

791. - Quid si non idoneus praesentetur (c. 1465). Si praesentatus recusatus fuerit tamquam non idoneus, patronus potest, intra tempus utile, alterum praesentare; si ne is quidem reperiatur idoneus, ecclesia vel beneficium fit, pro eo casu, liberae collationis, nisi vel patronus vel praesentatus, intra decem dies a significatione recusationis, recurrerit ad S. Sedem. Cuius tunc sententia est exspectanda; ecclesiae autem vel beneficio vacanti, si opus fuerit, Ordinarius interea providebit per vicarium oeconomum (c. 1465, § 1).

Ipso iure autem est nulla praesentatio labe simoniaca infecta; nulla est etiam forte secuta institutio (c. 1465, § 2).

V. EFFECTUS PRAESENTATIONIS IDONEI CANDIDATI

792. - 1. Postquam legitime praesentatus et idoneus repertus prae-

sentationem acceptaverit, ius habet ut canonice instituatur, ac proin habet, relate ad ipsum beneficium, ius ad rem. Concessio autem canonicae institutionis est proprium ius Ordinarii loci, excluso Vicario generali, sine mandato speciali. Si autem plures et omnes idonei praesentati fuerint, Ordinarius eligit quem magis idoneum in Domino iudicaverit (**c. 1466**).

Ante Codicem distinguebant praesentationes a patrono ecclesiastico et praesentationes a patrono laico factas. Patrono laico facultatem dabant variandi, etiam post acceptatam praesentationem, donec tempus utile non fuisset elapsum, vel Ordinarius non dedisset institutionem canonicam. Dum patronus ecclesiasticus non iam variare poterat post acceptatam suam praesentationem. Nunc autem, si conferas c. 1460, § 4 cum c. 1466, distinctio ista suppressa est. Omnes patroni variare possunt, non tamen ultra acceptationem factam a praesentato qui repertus sit idoneus.

2. Institutio canonica, nisi iustum obstet impedimentum, danda est pro omni beneficio intra duos menses a facta praesentatione (**c. 1467**).

3. Si ante canonicam institutionem praesentatus renuntiaverit suo iuri vel mortuus fuerit, patronus iterum ius habet praesentandi (**c. 1468**).

Triplex *institutio* seu activa vocatio ad officium ecclesiasticum distinguitur : *collativa tituli*, de qua hic agitur ; *corporalis*, quae mittit in possessionem : de hac infra ; *authorizabilis* (cuius hodie rara est occasio) quae est episcopi approbatio, vi cuius clericus, cui titulus est ab inferiore Praelato collatus, curam animarum exercere permittitur. Cf. Wernz, II, n. 442-455.

Authorizare est consensum quendam confirmativum dare. Authorizabilis dicitur ipsa persona consensu isto munita. Sic dominus *authorizabat* venditionem factam a subdito (cf. du Cange, *Glossarium*). Et saec. XI, Radulphus Ardens, *Speculum universale*, L. 1, 12, loquitur de causa authorizabili (i. e. Deo probata) diligendi proximum. Saec. XV° occurrunt in iure vocabula : *Institutio authorizabilis*.

VI. ONERA SEU OFFICIA PATRONORUM

793. - « Onera seu officia patronorum sunt :

« 1° Ordinarium loci monere si bona ecclesiae seu beneficii dilapidari viderint, quin tamen se immisceant administrationi eorundem bonorum ;

« 2° Aedificare denuo ecclesiam collapsam, aut reparationes, iudicio Ordinarii necessarias, in eadem facere, si ex titulo aedificationis ius patronatus habeant, et nisi onus aedificandae denuo vel reparandae ecclesiae aliis incumbat ad normam c. 1186 » (**c. 1469, § 1, n. 1° et 2°**).

Observes ergo istud officium patroni non esse omnibus patronis commune, sed proprium esse eorum qui ex aedificatione ius patronatus acquisierunt. Neque

iis est absolutum. Obligatio enim potest aliis prius incumbere. Nam c. 1186 vult ut prius observentur legitimae consuetudines et conventiones ; dein ut videatur si forte, ex ipsa lege civili, onus ad aliquem spectet ; postea refectio gravat bona fabricae ecclesiae, salva ea parte quae necessaria sit ad cultum divinum et ad ordinariam ecclesiae administrationem. Post bona fabricae, venit obligatio patroni.

« 3° Supplere reditus si ex titulo dotationis ius patronatus proveniat, cum ecclesiae vel beneficii reditus ita defecerint, ut nequeat amplius vel cultus decenter in ecclesia exerceri, vel beneficium conferri » (c. 1469, § 1, n. 3°).

794. - Sanctio obligationis. « Si ecclesia collapsa fuerit vel necessariis indigeat reparationibus, aut si reditus defecerint ad normam § 1, n. 2. 3, ius patronatus interim quiescit » (c. 1469, § 2).

Liquet necessario quiescere ius quam diu ipse cultus vel collatio beneficii quiescere debet.

In § 2 videmur remitti ad § 1 n. 2 et 3, pro casu quo reditus defecerint. In solo tamen n. 3 ista hypothesis tractatur. Sed, cum in eadem agatur de ecclesia collapsa vel reparanda, comma (,) videtur ponendum post vocabulum : defecerint, ita ut verba *Ad normam* afficiant tum hypothesim ecclesiae iterum aedificandae vel reparandae, tum ecclesiae cui reditus desint.

« Si patronus, intra tempus ab Ordinario sub poena cessationis patronatus praefiniendum, ecclesiam denuo aedificaverit vel restauraverit aut reditus auxerit, ius patronatus revigescit ; secus ipso iure et sine ulla declaratione cessat » (c. 1469, § 3).

Etsi id non expresse dicitur, cessatio ista propria est patroni qui secundum ipsum canonem sumptus facere debebat. Si obligationi desit postquam, sub poena privationis iuris, ipsi intimatum est ut eam impleat, Ecclesia libenter occasione utitur abrogandi ius patronatus.

VII. EXSTINCTIO IURIS PATRONATUS

795. - Praeter casum modo indicatum, hae causae cessationis iuris numerantur c. 1470.

1. *Renuntiatio patroni*, quae partialis esse potest, nullum tamen damnum compatronis, si qui sint, afferre potest. Horum igitur ius intactum manebit.

2. *Revocatio iuris* a S. Sede, vel perpetua *suppressio* ecclesiae vel beneficii. — Sic, post concordatum cum Napoleone, Card. Caprara, legatus S. Pontificis, omnes ecclesias in Galliis innovavit, ita ut nullum superfuerit ibi ius patronatus.

3. *Legitima praescriptio* contra ius patronatus. Cf. infra, n. 828. 833, ubi de praescriptione.

4. *Destructio rei* cui ius patronatus inhaeret ; aut exstinctio familiae, gentis, lineae cui secundum tabulas fundationis reservatur : nec

potest Ordinarius valide efficere ut in posteriore casu per donationem subsistat ius in alio.

5. *Conversio beneficii vel ecclesiae* in aliud cui ius patronatus non conveniat, i. e. « si, *consentiente patrono,* ecclesia vel beneficium uniatur alii, liberae collationis, aut ecclesia fiat electiva vel regularis » (c. 1470, § 1, 5°).

6. *In poenam delictorum :* « Si patronus ius patronatus simoniace in alium transferre attentaverit ; si lapsus fuerit in apostasiam, haeresim, aut schisma ; si bona ac iura ecclesiae vel beneficii iniuste usurpaverit aut detineat ; si rectorem vel alium clericum ecclesiae servitio addictum aut beneficiarium per se vel per alios occiderit vel mutilaverit » (c. 1470, § 1, 6°).

Solus tamen patronus reus ideo amittit ius patronatus, si excipias occisionem vel mutilationem : tunc ius etiam ab eius heredibus amittitur.

Ac praeterea, ut ius propter ista delicta amittatur, requiritur, sed sufficit sententia declaratoria (c. 1470, § 2. 3).

796. - **Suspensio iuris et privilegiorum.** Quotquot, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, fuerint innodati censura aut infamia iuris, « usque dum censura vel infamia perdurant, nequeunt ius patronatus exercere eiusque privilegiis uti » (c. 1470, § 4). Ob analogiam qua non semel, et in ipso c. 1453, ascriptio sectae haereticae assimilatur declaratae censurae, patronus qui ad sectam haereticam transeat, ipse quoque exercendo iure patronatus prohibetur.

Neque ipsi acatholici ius istud exercere possunt (Arg. c. 1453). — Quia de mera suspensione agitur, non putamus per istud tempus auferendum esse stemma gentilicium antea appositum.

Caput V. - De iuribus et obligationibus beneficiariorum

Ordo dicendi. — Haec erit naturalis divisio capitis, ut primo dicamus de iuribus beneficiariorum in genere, ac speciatim de iuribus in bona; — dein de obligationibus beneficiati ; — tum de cautionibus legalibus circa conservationem beneficiorum ; — postremo, in specie, de mensa episcopali.

I. DE IURIBUS BENEFICIARIORUM

797. - I. **Principium.** « Quilibet beneficiarius, capta legitime possessione, omnibus iuribus fruitur tam temporalibus quam spiritualibus, quae beneficio annexa sint » (**c. 1472**).

Strictius loquendo, iuribus spiritualibus fruitur quatenus habet officium ecclesiasticum ; temporalibus autem quatenus habet beneficium.

798. - **Iura temporalia.** « Etsi beneficiarius alia bona non beneficialia habeat, libere uti frui potest fructibus beneficialibus qui ad eius honestam sustentationem sint necessarii ; obligatione autem tenetur

impendendi superfluos pro pauperibus aut piis causis, salvo praescripto c. 239, § 1, n. 19 » (c. **1473**).

Canone isto distincte proponitur regula, iam ante Codicem recepta,de iure, libero ab omni consideratione proprii patrimonii, utendi fruendi beneficio, intra limites honestae sustentationis. Iure utendi fruendi *beneficio*, inquam : in fructus enim, sicut omnis usufructuarius, habet beneficiarius plenum dominium.

Obligatio autem superfluos fructus erogandi in pias causas est gravis obligatio religionis, non autem iustitiae commutativae : quod ante Codicem probabiliter defendebatur : et nunc ipso silentio Codicis de titulo iustitiae confirmatur.

Can. 239, § 1, n. 19, Cardinalibus, salva speciali dispositione c. 1298 de supellectili sacra, privilegium tribuitur libere disponendi de reditibus beneficii etiam per testamentum.

Etenim, « potest sane Summus Pontifex ex iusta causa ecclesiastica bona clericis ita distribuere, ut nullum onus illis amplius imponat ; nam iuste et prudenter ea administrat, si quae Ecclesiae data et ab Ecclesia accepta sunt, Ecclesiae usibus deservienda curavit. At vere Ecclesiae usui et ecclesiasticis finibus deserviunt seu deservierunt, eo quod ministris Ecclesiae iusto titulo remunerationis, etc. data sint. » (LEHMKUHL, I, 1072, nota.)

Gravior nunc quaestio nascitur ex c. 1410, quo voluntariae oblationes et iura stolae ipsam dotem constituere possunt. Ante Codicem enim, haec numerabantur inter bona quasi patrimonialia, quorum clericus liberum acquirebat dominium. Sub praesenti iure, quaestio mota est de parochi iure ad stolae lucra, occasione c. 1500 de divisione bonorum, quando dividitur paroecia. Sed nec *Pontificia Commissio Codicis*, nec *S. C. Concilii*, ad quam Commissio quaestionem remiserat, eandem theoretice solvere voluere.

Sic autem dicendum putamus. Oblationes istae fidelium et iura stolae non semper constituunt dotem, sed tunc tantum quando in erectione beneficii id est declaratum. Atque etiam quando dotem beneficii constituunt, obligatio positiva pii usus ad istos reditus non extenditur. Ratio prioris asserti nostri desumitur ex ipso canone 1410, quo non coniunctive, sed disiunctive tantum haec inter dotalia beneficii bona ponuntur ; ita ut tunc solum sint dos beneficii, quando desiderantur bona proprie ecclesiastica quorum reditus beneficiato assignentur. Ratio alterius asserti haec est, quod correctio iuris est odiosa, nec praesumitur legislator voluisse gravamen novum, sine perspicuis verbis, imponere per dispositionem qua intendisse videtur ut legalem constitutionem beneficii faciliorem redderet, praesertim quod attinet ad paroecias. Indulto autem S. Sedis omnia ad aequitatis normam disponi possunt. Ita etiam, ut probabile, tenet CLAEYS-SIMENON, n. 969.

II. DE OBLIGATIONIBUS BENEFICIARIORUM

799. - I. Praevia ordinis susceptio. « Si ad beneficium obtinendum susceptio alicuius ordinis requiratur, beneficiarius talem ordinem, ante beneficii collationem iam receperit oportet » (c. **1474**).

Superiore iure, spatium temporis definiebatur, intra quod ordo congruus suscipi debebat sub poena privationis beneficii. Sic, nominatus parochus debebat intra annum ordinari sacerdos. Stricte tamen ordo presbyteratus ad ipsam collationem paroeciae non erat, sicut nunc, requisitus.

800. - II. Obligatio implendi onera. « § 1. Beneficiarius tenetur peculiaria onera beneficio annexa fideliter adimplere, et praeterea

canonicas horas quotidie recitare. — § 2. Si, nullo legitimo detentus impedimento, obligationi recitandi horas canonicas non satisfecerit, fructus pro rata omissionis non facit suos, eosque fabricae ecclesiae aut seminario dioecesano tradat vel in pauperes eroget » (c. **1475**).

Priore § monemur, praeter onera propria variorum beneficiorum, esse onus quoddam commune cotidianae recitationis horarum canonicarum. Et § 2, si sola verba consideres, haec obligatio absolute sancitur incapacitate acquirendi fructus beneficii pro rata omissionis. Quam poenam legislator profecto imponere potest, sine alia consideratione.

Scriptores tamen sanctionem istam, etiam post Codicem, multo benignius intellegunt. Poenam circumscribunt iis solis fructibus acquirendis qui propter recitationem horarum canonicarum debentur ; ac proin, si aliud onus est annexum beneficio, numquam omnes fructus amittet qui solum breviarium neglexerit. Atque ad quartam vel quintam tantum fructuum partem (1) aestimant quod *episcopus* vel *parochus* propter horas canonicas meretur. *Canonici* censentur hoc titulo mereri tertiam aut quartam partem ; qui alia onera habeat, dimidiam partem ; solus *simplex beneficiarius*, qui omne breviarium omittat omnes fructus pie erogare debebit (2). — Et quia pro rata omissionis id fieri bebet, matutinum cum laudibus censetur esse dimidia pars breviarii ; singulae aliae horae duodecima pars (non vero sexta, ut R. P. Ferreres scribit, n. 45) (3). Immo, si, ut saepe accidit, beneficium valde tenue est, ita ut iam propter alia impleta onera ne omnes quidem fructus dici queant congruum quasi-stipendium, de nulla gravi obligatione restitutionis constabit. Cf. Genicot-Salsmans, II, n. 47.

Obligatio istius pii usus est *iustitiae*, cum beneficiarius non faciat fructus suos. Si quaeras ad quemnam, ante istam distributionem, pertineant isti fructus quos beneficiatus non fecit suos, respondemus eos esse in dominio Ecclesiae. Exsecutionem istius obligationis canon permittit ipsi reo, eique quandam optionem linquit fabricae, seminarii vel pauperum.

801. - III. **Obligatio bonae administrationis.** « Beneficiarius bona ad suum beneficium pertinentia, ut beneficii curator, administrare debet, ad normam iuris » (c. **1476**, § 1).

Ad normam iuris, i. e. intra limites suae competentiae, et cum diligentia boni patris familias, ex c. 1523.

Qui in hac re culpandus sit, damna sarcire debet ; estque ad id ab Ordinario loci compellendus ; parochus autem causam dat remotionis administrativae, si grave damnum aliter vitari nequeat (cf. c. 1476 et 2147).

802. - IV. **Obligatio ferendi quosdam sumptus** (c. **1477**). Beneficiario incumbunt sumptus ordinario modo conexi cum bonorum beneficia-

(1) Immo tantum ad decimam partem. Sic Noldin, *Praecepta*, n. 759, probante Augustine, in h. c.

(2) Saltem post sex menses a possessione beneficii. Per primos sex menses, ex ipsa C. Leonis X, *Supernae dispositionis* et recepta interpretatione, locus est condonationi.

(3) Cf. Lehmkuhl, II, 813 ; Noldin, *Praecepta*, n. 759.

lium administratione et fructuum perceptione; ac minores reparationes quam primum perficere debet, ne necessitas oriatur efficiendi maiores.

Extraordinariae seu maiores istae reparationes ab iis ferendae sunt quibus onus reficiendi beneficialem ecclesiam imponitur, nisi fundationis tabulae aut legitimae conventiones et consuetudines aliud caveant. Cf. c. 1186.

Beneficiarius cui sumptus ordinarii faciendi incumbunt, supponitur administrator beneficii de iure et de facto. Si igitur in beneficio reperiatur ecclesia quae, pro officiis sacris et administratione, alii commissa fuerit, beneficiarius omnibus expensis quas ipse minime moderatur gravari non potest. Sed Ordinarius loci determinet tunc quotam annuam stabilem, ex bonis beneficii pro ecclesiae conservatione sumendam, quatenus necessaria aliunde non suppeditentur.

III. LEGALES CAUTIONES AD CONSERVANDA BENEFICIA

803. - **Duplex genere cautio** lege canonica providetur. Prior, generalis, est obligatio canone **1478** imposita Ordinario loci advigilandi, etiam per vicarios foraneos seu decanos, « ut beneficialia bona conserventur et rite administrentur ». — Altera, specialis, prohibet in locatione bonorum beneficialium anticipatas solutiones, ultra semestre, sine licentia Ordinarii loci, « qui in casibus extraordinariis, congruis praescriptionibus caveat, ne talis locatio in damnum vergat loci pii aut successorum in beneficio » (**c. 1479**).

Haec est ratio prohibitionis. Maiores anticipationes possint pensiones locationis tribuere beneficiato postquam munere cessit, aut eius successoribus : a quibus tunc saepe difficilis restitutio petenda esset. Rursus tamen ipsa debitoris condicio optabilem facere potest maiorem anticipationem. Quare Ordinario loci facultas datur eam permittendi, prudenter tamen, ac proin cum debitis cautelis.

IV. FRUCTUUM COMPOSITIO PROPTER SUCCESSIONEM VEL VACANTIAM

804. - I. **Inter successorem et antecessorem** vel eius heredes « annui reditus... pro rata temporis quo beneficio uterque deservierit, distribuantur, omnibus proventibus et oneribus currentis anni computatis, nisi legitima consuetudo aut peculiaria statuta rite approbata alium iustae compositionis modum induxerint » (**c. 1480**).

Itaque, comparatis omnibus proventibus et oneribus currentis anni, aestimatur quid re vera annus completus afferat fructuum beneficiario. Tunc, qua rata anni parte uterque, decessor et successor, possederint beneficium, eadem uterque fructus istos participat. Id per se ; non raro enim statuta usu confirmata aliam compositionem rationabilem induxerunt, praesertim cum ante Codicem definitio iuris esset incerta. Post Codicem autem, diversus compositionis modus non erit sine assensu S. Sedis rite approbatus.

In Belgio, pensionem mensis integri recipit a Gubernio qui mensem incipit, cum solutio fiat anticipata et mensilis ; subsidia municipii vel fabricae et supplementa pro binatione solvuntur pro rata temporis ; fructus naturales et

mixti nondum collecti cedunt novo parocho sine compensatione (CLAEYS-SIMENON, n. 974).

805. - Fructus beneficii vacantis. Deductis omnibus expensis et ipsa parte fructuum quae pro congrua sustentatione ab Ordinario loci assignata est vicario oeconomo (c. 472, n. 1°), « fructus beneficii vacantis pro altera dimidia parte accrescunt doti beneficii vel massae communi ; pro altera cedunt fabricae ecclesiae seu sacrario, salva legitima consuetudine, qua fructus omnes in bonum commune dioecesis erogentur » (c. **1481**).

Quando beneficium ab uno ad alterum devolvitur, solet esse quaedam intercapedo, (1) per quam beneficium a nullo titulari occupatur. Superiore canone definita est divisio fructuum inter decessorem et successorem, pro parte anni qua ambo beneficium possederunt ; nunc de destinatione fructuum agitur per intervallum quo beneficium vacet. Omnibus oneribus deductis, duae partes per se faciendae sunt : altera dotem augere debet, i. e. ipsum capitale unde fructus colliguntur ; quod capitale secundum normas generales servandum et collocandum est fructuose. Altera pars tribuitur fabricae ecclesiae ; neque hic necesse est ut accipiatur tamquam capitale.

Sacrarium est locus in quo sacra asservantur ; est ergo idem quod sacristia : eius temporalis administratio potest esse eadem atque ecclesiae, vel distincta. Demum admittit Codex, ut rationabilem, consuetudinem quae sinat ut fructus isti simpliciter in bonum dioecesis ab Ordinario loci erogentur.

806. - De media annata. *Annata*, quae, ab origine sua interdum dicitur Bonifaciana, designat tributum quoddam quo dimidia pars fructuum primi anni beneficiorum non consistorialium cedebant S. Pontifici. In compluribus regionibus nullum exstat vestigium istius institutionis. Canon **1482** praecipit ut legitima statuta atque usus de ea serventur, ubi adhuc vigeat.

V. DE MENSA EPISCOPALI

807. - Tria de mensa episcopali canone **1483** disponuntur. 1° Bona istius mensae diligenter ab episcopo administranda sunt.

2° Quotiens aliis, ex peculiari titulo, onera ista non incumbant, impensis eiusdem mensae, domus episcopalis sarta tectaque servanda est et restauranda.

Ut supra vidimus n. 495, ex ipso c. 1186, peculiaris titulus quo quis istud onus ferre debet esse potest ipsa lex civilis, quae, v. g. ad id obliget municipium.

3° Ad omnem bonorum confusionem vitandam, « curent quoque episcopi ut, accurato inventario confecto, utensilia omnia vel bona mobilia domui episcopali forte addicta atque in mensae dominio constituta, ad successorem ex toto secureque transmittantur » (c. 1483,

(1) Exigua tamen intercapedo neglegitur. (CLAEYS-SIMENON, n. 975.)

§ 3). Hic ipsae leges civiles adeundae sunt, et consilium a iuris prudentibus erit expetendum.

Caput VI. - De dimissione et permutatione beneficiorum

Ordo dicendi. Caput in binas partes dividitur, quarum altera est de dimissione, altera de permutatione beneficiorum. Ac fere totum est in explicanda potestate Ordinarii loci ; cum, in hac re quae ius divinum per se non attingit, S. Pontifex plena facultate potiatur derogandi iuri communi.

I. DE DIMISSIONE BENEFICIORUM

808. - Cautelae de honesta clerici sustentatione. Ecclesia non vult ut cum dedecore sui status clerici ad egestatem redigantur. Quare, cum agitur de clerico qui in maioribus ordinibus sit constitutus, **c. 1484** monet Ordinarium ad quem spectat dimissiones admittere, ne assensum suum praebeat, nisi constet honestae clerici sustentationi esse aliunde provisum. Immo, si dimittatur beneficium cuius titulo clericus ordinatus fuerit, dimissio invalida est nisi expressa mentio fiat de ista qualitate, et de alio legitimo ordinationis titulo qui, de consensu Ordinarii, priori fuerit substitutus (**c. 1485**).

Firmus tamen manet c. 584, quo, post annum ab emissa qualibet professione religiosa, beneficia paroecialia vacant ; post tres annos vero, cetera quaelibet beneficia (**c. 1484**).

809. - Cautela de plena dimissione. Non solum vitari debet omnis species simoniae, sed praeterea cavendum est ne beneficium aliquam deminutionem patiatur. Quare « Dimissionem beneficiorum in commodum aliorum vel sub aliqua condicione quae ipsam beneficii provisionem aut redituum erogationem attingat, Ordinarius admittere nequit, nisi in casu quo beneficium sit litigiosum et dimissio fiat ab alterutro ex litigantibus in commodum alterius » (**c. 1486**).

Exceptio permittitur pro bono pacis.

Ne confundas condicionatam resignationem cum constitutione pensionis quam, propter iustam causam, Ordinarius ad vitam beneficiarii (1) beneficio imponere potest, praesertim in commodum illius qui a munere abit. Hic enim nulla intervenit stipulatio ipsius resignantis. Cf. c. 1429.

II. DE PERMUTATIONE BENEFICIORUM

810. - I. Notio. *Permutatio,* in genere, est *contractus bilateralis, quo alter rem pro re alteri transferendam promittit.* Similis est vendi-

(1) Vel etiam ad vitam parochi seu vicarii abeuntis, si agitur de beneficio paroeciali, ut dictum est n. 759.

tionis, nisi quod loco pretii, hic immediate datur vel promittitur alia res. Cum beneficia sint duae res aequaliter cum spiritualibus rebus connexae, earum permutatio per se immunis est a labe simoniae iuris divini. Facile tamen contractus iste turpi aliqua mercimonii specie vitiatur. Inde ius ecclesiasticum non favet permutationibus beneficiorum, sed varias condiciones ad ipsam validitatem permutationis requirit.

Verum permutatio beneficiorum poni nequit sub genere permutationis rerum, cum directe hic permutentur personae et officia, et consequentur beneficia annexa.

Ante Codicem, erat contractus inter duos beneficiatos condicionatus qui per consensum Ordinarii transibat in absolutum. Ab eo momento uterque habebat respectu alterius officii et beneficii ius ad rem ; uterque proinde officium et beneficium resignare debebat ; qua facta resignatione succedebat nova utriusque officii collatio, facta ab Ordinario consentiente.

Nec desunt qui, etiam vigente Codice, permutationem beneficiorum adhuc eo modo concipiunt. Ita, v. g. COCCHI, *o. c.* n. 157 ; WERNZ-VIDAL, *Ius. can.* II, 334-347.

Subtilius autem in intimam negotii naturam sub Codice inquirens, cl. Professor SOSIO D'ANGELO, *La permuta beneficiaria* (excerptum ex *Ephem. theol. Lovanienses*) reperit esse hodie negotium sui generis quo duo beneficiati alter in alterius officium et consequenter beneficium, per consensum Ordinarii, subintrant, sine ulla vacatione alterutrius beneficii. Praevia quidem pactio mutua habetur sub condicione consensus Ordiuarii, datus autem consensus omnes effectus operatur. Nulla nova fit collatio, sed anterior perseverat in alia persona. Sic omnem vim obtinet § 2 c. 1487; qua permutatio valere dicitur a momento consensus Ordinarii ; uterque tamen permutans in possessionem mitti debebit.

811. - II. Condiciones negativae. 1. Si utrumque vel alterutrum beneficium sit Sedi Apostolicae reservatum, huius consensus ad valorem est necessarius : non sufficit consensus Ordinarii (**c. 1487**, § 3).

2. Si beneficia inaequalia sint, nequeunt compensari reservatione fructuum aut praestatione pecuniae seu cuiusque rei pretio aestimabilis (**c. 1488**, § 1).

In permutatione rerum aequalitas valoris est condicio iustitiae. Verum hic agitur de iure quod nequit, sine simonia, pro re temporali vendi vel commutari. Non potest ergo accedere promissio onerosa praestationis mere temporalis. Sane, bona ipsa, separatim ab officio sine simonia vendi possent. Sed separatio ista non potest ab Ordinario concedi : haberetur concessio beneficii cum deminutione ; quod prohibetur. Directe ergo commutantur officia ; utrique autem officio annexum manet suum beneficium.

Liquet, etiam in hac re, exceptionem fieri posse auctoritate S. Sedis.

3. « Permutatio fieri nequit inter plures quam duos beneficiarios » (**c. 1488**, § 2).

Huiusmodi permutatio dicebatur triangularis vel quadrangularis. In ea tres vel quattuor beneficiati inter se permutabant beneficia : Titius beneficium

suum Caio ; Caius suum Sempronio ; Sempronius suum Titio permutatione cedebat.

Huiusmodi permutatio prohibetur, quia facile turpi quaestu vel indirecta compensatione vitiatur. Cf. Reiffenstuel, *Ius canonicum*, L. I, t. 9, n. 123 (1).

III. Condiciones positivae. « Permutatio duorum beneficiorum fieri valide nequit, nisi propter Ecclesiae necessitatem vel utilitatem aliave iusta de causa, sine aliorum detrimento, de consensu patroni, si agatur de beneficio iuris patronatus, et Ordinarii loci, non autem Vicarii Generalis sine peculiari mandato, nec Vicarii capitularis, et servato praescripto can. 186 » (c. 1487, § 1).

C. 186 exigitur ad valorem renuntiationis ut fiat scripto vel coram duobus testibus, et personaliter vel per procuratorem speciali mandato munitum. Haec etiam hic exiguntur, quia in permutatione beneficiorum continetur condicionata renunciatio beneficio.

Vis condicionis haec est, ut nisi alter stet promissis et resignet beneficium, alter suo iure possit sibi vindicare beneficium quod fortasse iam abdicarit, sed quod non fuit simpliciter vacans, ante perfectam permutationem. Ita secundum ius ante Codicem. Verum in sententia d'Angelo, de iure Codicis nulla resignatio consensum Ordinarii sequi debet, cum ipso isto consensu perficiatur.

« Ordinarius intra mensem consensum praestet vel deneget ; et permutatio valet a momento consensus ab Ordinario praestiti » (c. 1487, § 2).

Ab isto igitur momento, secundum alios, uterque permutans habet ius *ad rem*, respectu novi beneficii ; secundum Prof. d'Angelo, uterque habet *ius in re*. Quare permutatio ab illo momento dicitur *valere*.

Quaeres utrum necne duo sacerdotes inter se pactionem inire possint de ista permutatione debito modo facienda. Respondemus, nihil in iure huic pactioni repugnare. Ambo possunt se obligare sine simonia, dolo et vi. Cf. Wernz, II, n. 509, vel Wernz-Vidal, II, n. 341.

---

(1) Sed dummodo ad ambos qui commutant pertineant, plura quam duo beneficia possunt inter se commutari.

TITULUS XXVI

DE ALIIS INSTITUTIS ECCLESIASTICIS NON COLLEGIALIBUS
(c. 1489-1494)

Scriptores : Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, n. 193-208. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, t. VI, in hos canones. — R. D. Badii, *Institutiones*, II, n. 578. 579. — Claeys-Simenon, *Manuale*, n. 981-985. — Cocchi, *Commentarium in Codicem*, L. III, Parte V, n. 159-164. — De Meester, *Compendium*, nn. 1431-1435. — Ferreres, S. I., *Institutiones*, II, n. 463-467. — Prümmer, O. P., *Manuale*, etc. Q. 441.

INTRODUCTIO DE INSTITUTIS NON COLLEGIALIBUS

812. - Institutum est vox generalissima qua designatur quodlibet incoeptum, sive *abstracte* : consilium, propositum ; sive *concrete* sumptum : res quae creatur, erigitur, aedificatur.

Institutum potest esse *pium* vel *profanum*, ex *fine* propter quem creatur. Si finis est religionis vel caritatis aut misericordiae (spiritualis aut temporalis) relatae ad Deum, seu virtutis christianae, institutum est pium. Si, contra, bonum mere humanum, vel humanam philanthropiam consectatur, institutum est profanum.

Pium institutum potest esse *ecclesiasticum* vel *laicum*. Ecclesiasticum est quod vel auctoritate ecclesiastica erigitur in personam moralem, vel quod exsistit incorporatum seu coniunctum instituto ecclesiastico, ut puta Congregationi religiosae. Laicum est institutum quod, sive a laicis sive a clericis, qua privatis personis, sit fundatum, nullum *esse* ab auctoritate ecclesiastica recepit. Bona huiusmodi instituti non sunt ecclesiastica, nec regulis de bonis ecclesiasticis sunt obnoxia (1). Locus cui inhaeret institutum seu fundatio *ecclesiastica*, dicitur *religiosus* ; dum *pius* dicitur locus quocum coniungitur institutum pium laicum.

Institutum ecclesiasticum potest esse *collegiale* vel *non collegiale*. *Collegiale*, lato sensu est quaelibet universitas personarum quae ad finem suum communem, secundum probatas regulas, efficaciter dirigitur : sic Ecclesia catholica, Ordo religiosus. Strictius est corpus quoddam morale quod habet actus collectivos, in quibus singulae personae qua aequales suffragia habent : sic Capitulum canonicorum. *Non collegiale* institutum est universitas rerum seu bonorum quae, certo fini addicta, legis dispositione non censetur esse in dominio personae physicae vel societatis, sed entitate formaliter separata seu distincta

(1) Cf. Wernz, III, 196 ; et relationem causae Corrienten. *Iurisdictionis* (De societatibus a S. Vincentio a Paulo) AAS., XIII, 1921, p. 135, ss. *NRTh*, 1921, 317.

ab aliis patrimoniis, quasi sibi exsistit. Institutum tale nascitur vel ex ipso iuris praescripto vel per formale decretum competentis Superioris ecclesiastici datum ad finem religiosum vel caritativum (c. 100, § 1).

Nihil autem obstat quin institutum non collegiale in instituto collegiali exsistat (1). Sic in Ecclesia catholica exsistunt seminaria ; et in societate imperfecta qualis est religio, exsistunt bursae variae ad opera pia. Et cum ex ipso iuris praescripto domus religiosae debeant esse canonice erectae ad normam c. 497, sunt et ipsae personae morales non collegiales, saltem quando ipsa communitas cui serviunt non est persona moralis collegialis. Quocirca, ut subiecta iuris agnoscuntur c. 531 et 536 ; atque annotator Codicis, sub c. 1495, § 2 et 1499, § 2, ubi agitur de personis moralibus non collegialibus scite nos ad c. 531 remittit.

His praemissis, in praesenti titulo de solis institutis *ecclesiasticis* agitur, quae in c. 1491 distinguuntur in instituta quae in personam moralem sunt erecta et instituta quae domui religiosae sunt concredita.

Ordo dicendi is est, ut successive agamus de fundatione, de administratione, de visitatione et inspectione, demum de suppressione istorum institutorum.

813. - I. De fundatione. Fundator potest institutum alicui religioni simpliciter concredere, vel ei velle autonomam exsistentiam.

Priore casu, non est per se necesse ut in personam moralem erigatur. Si domus religiosa cui annectitur est iuris dioecesani, institutum iurisdictioni Ordinarii loci penitus subditur. Si institutum, quale hospitale, orphanotrophium, pertinet ad domum religiosam iuris pontificii, episcopali vigilantiae subest « quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem » (c. **1491**, § 2).

Religionis magisteria intellege de praelectionibus seu scholis in quibus explicatur fides vel doctrina moralis catholica.

Altero casu, institutum ad opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis destinatum, requirit formale decretum erectionis quo fiat persona iuridica in Ecclesia.

Ordinario loci generalis facultas conceditur haec instituta erigendi. Instituta tamen ista « ne approbet, nisi finis fundationis utilis reapse sit, et talis constituta fuerit dos quae, omnibus perpensis, sufficiat

---

(1) Cum istis institutis, ait R. P. VIDAL, S. I. *Institutiones iuris civ. romani*, n. 96, « nonnumquam sunt conexa collegia ab ipsis Institutis accurate distinguenda ».

vel sufficiens fore prudenter praevideatur ad illum assequendum » (c. 1489, § 1 et 2).

Si institutum iam ut laicale exsistebat, dos potest *demonstrari* sufficiens ; si nunc creatur, non poterit nisi *praevideri* sufficiens.

« § 1. In tabulis fundationis pius fundator accurate describat totam instituti constitutionem, finem, dotationem, administrationem et regimen, usum redituum et successionem in bona, casu exstinctionis ipsius instituti. — § 2. Huiusmodi tabulae duplici exemplari conficiendae sunt, quorum alterum in archivo instituti, alterum in archivo Curiae reponatur » (c. 1490).

814. - II. De administratione. Bona instituti erecti administrantur a rectore secundum normas tabulae fundationis ; rector autem « iisdem obligationibus tenetur iisdemque iuribus fruitur, quibus administratores aliorum bonorum ecclesiasticorum » (c. 1489, § 3).

Rationem reddere debet Ordinario loci. « Si fundator velit administratores non teneri rationem Ordinario loci reddere, fundatio ne acceptetur » (c. 1492, § 2) (1).

815. - III. De visitatione et inspectione. Omnia huiusmodi instituta, quovis modo exempta, loci Ordinarius visitare potest et debet. — Atque etiam si fundatione, praescriptione aut privilegio Apostolico institutum a iurisdictione et visitatione Ordinarii loci exemptum fuerit, « ius tamen Ordinario est redditionem rationum exigendi, reprobata contraria consuetudine » (c. 1491, § 1 ; 1492, § 1).

Observes semper agi de institutis ecclesiasticis, et quidem separatim erectis. Quid si institutum pium fuerit laicum ? Tunc applicandi sunt cc. 336. 344 et c. 1515. Ordinarius ius habet et officium cavendi ne abusus irrepant in fide et moribus ; locum pium, nisi specialis exemptio probetur, visitare potest communi ratione qua ex c. 344 etiam fideles visitat ; et, qua exsecutor piarum voluntatum, invigilare debet ut piae voluntates impleantur, si quae istis institutis bona tribuerint.

« Ordinarius loci advigilet ut piae fidelium voluntates, in horum institutorum fundatione expressae, plene serventur » (c. 1493).

816. - IV. De suppressione et mutatione. « Sine venia Apostolicae Sedis haec instituta supprimi, uniri vel in usus a fundatione alienos converti nequeunt, nisi in tabulis fundationis aliud caveatur » (c. 1494).

N. B. Inter haec pia instituta nobilem locum hodie sibi vindicant scholae catholicae.

---

(1) In Italia, *S. Paenitentiaria* amplas facultates tum laicis tum clericis impertitur, ut possint tuta conscientia, non obstante usurpatione iurium Ecclesiae, partes explere in sic dictis *Congregationibus caritatis*, Cf. Badii II, n. 579 nota. Modo, post pacta Lateranensia, nova rei ordinatio exspectanda videtur.

PARS SEXTA

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

Ordo dicendi. Post introductionem, — in qua Codex vindicat *ius* tum Ecclesiae universae, tum singularum ecclesiarum et aliarum personarum moralium ad bona temporalia, brevem tradit divisionem bonorum temporalium ad Ecclesiam spectantium, et definit significationem vocabuli *Ecclesiae* ; — in hac sexta parte, normae ponuntur de subiecto dominii et modis acquirendi bona, et hic agitur de testamentis et praescriptionibus ; dein de bonorum administratione ; tum de contractibus, ubi speciatim de alienationibus bonorum fit sermo ; demum postremus titulus reservatur piis fundationibus.

INTRODUCTIO
(c. 1495-1498)

Scriptores : Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, n. 133-140. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, in hos canones, tom. VI. — Caesar Badii, II, n. 581-583. — Cocchi, *Commentarium*, III, 165-170. — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 986-989. — De Meester, *Compendium*, nn. 1436-1447 et 1449. — — William J. Doheny, C. S. C. *Church Property : Modes of acquisition*, Washington, D. C., 1927, p. 1-35. — Ferreres, S. I., *Institutiones canonicae*, II, n. 467-471. — P. Gillet, *La personnalité juridique dans le Code*, Louvain, 1927. — Prümmer, O. P., *Manuale*, Q. 442. 443. — Vromant, C. I. C. M., *De bonis Ecclesiae temporalibus*, Lovanii, 1927. nn. 1-69.

817. - I. De iure Ecclesiae. 1. *Ecclesiae universalis et Apostolicae Sedis.* Ecclesia universalis, utpote Societas perfecta et suprema, ius habet independens ab omni extranea potestate ad media quibus finem suum plene et convenienter assequatur. Inter media autem ista reponi profecto debet possessio bonorum tam mobilium quam immobilium. Ergo de *nativo* et *independenti* iure Ecclesiae dubitari nequit.

Quod ratio demonstrat, confirmatur perpetuo usu Ecclesiae et damnatis propositionibus, v. g. pr. 10. 32. 36 Wicleffi (*Denz.* 590. 612. 616) a Conc. Constantiensi et Martino V (22 febr. 1418) ; pr. 26 Syllabi Pii IX (*Denz.* 1726).

Pius IX egregie haec complectebatur in allocutione consistoriali 5 sept. 1851, his verbis : « Omni studio et contentione vindicandum ac tuendum curavimus ius quo Ecclesia pollet : acquirendi scilicet et possidendi quaecumque bona stabilia et frugifera, velut innumera prope Conciliorum acta et SS. Patrum sententiae et exempla, et praedecessorum nostrorum constitutiones apertissime loquuntur, sapientissime docent ac demonstrant ».

Authenticum demum documentum habemus in ipso **c. 1495**, § 1 : « Ecclesia catholica et Apostolica Sedes nativum ius habent libere et

independenter a civili potestate acquirendi, retinendi et administrandi bona temporalia ad fines sibi proprios prosequendos ».

2. *Ecclesiarum singularium et personarum moralium.* Paragrapho altera, ius istud acquirendi, retinendi et administrandi bona, etiam competere dicitur ecclesiis singularibus et aliis personis moralibus ecclesiasticis. Sed, quia hic agitur de personis subiectis, ius istud exercere non possunt nisi ad normam sacrorum canonum. Inde **c. 1495**, § 2 : « Etiam ecclesiis singularibus aliisque personis moralibus quae ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectae sint, ius est, ad normam sacrorum canonum, bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ».

In isto canone, *Ecclesia catholica* designat ipsam societatem perfectam ; *Apostolica Sedes* autem, id quod in societate civili vocamus *Statum* (gubernantem) seu complexum personarum quae regimen Ecclesiae componunt, i. e. S. Pontificem et Curiam Romanam. Quia bona Ecclesiae catholicae et Apostolicae Sedis non habentur a personis privatis, ideo Ecclesia et Apostolica Sedes rationem induunt personae moralis, quae non est stricte, sed lato sensu collegialis.

Ecclesiae singulares sunt dioeceses, quasi-dioeceses, religiones, provinciae religiosae, domus religiosae, associationes piae, quibus ipsum ius commune agnoscit ius possidendi bona, atque etiam, addit BLAT in h. c., ipsae aedes sacrae (Cf. c. 531 et 691, § 1).

Aliae personae morales eae sunt quae, ut sint tales, opus habent decreto erectionis. Atque observes canone isto ius acquirendi et retinendi bona non agnosci nisi personis moralibus quas ecclesiastica auctoritas erexerit.

Quare sic dictae *fabricae ecclesiae* ius habendi bona non a lege civili quae eas ordinaverit, sed ab ecclesiastica potestate formaliter mutuantur.

Corollarium. Leges civiles quae Ecclesiae vel personis moralibus ecclesiasticis ius habendi bona negant, iniquae per se sunt ; nec potest lex civilis nisi ex tacito vel expresso Ecclesiae consensu taxam imponere amortizationis, qua compensentur taxae successionis hereditariae quae in personam moralem non cadit, cum sit de se perpetua.

818. - Conexum ius petendi tributa. — Ius possidendi et acquirendi bona completur iure exigendi *tributa*. Quare, **c. 1496** : « Ecclesiae ius quoque est, independens a civili potestate, exigendi a fidelibus quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem et ad reliquos fines sibi proprios sint necessaria ».

In isto canone, affirmatur ius Ecclesiae exigendi tributa propter fines suos : quod est quoque ius omnis societatis perfectae. Quam moderate hodie Ecclesia isto suo iure utatur, manifestum est, cum fere voluntariis fidelium oblationibus alatur, ita ut quasi sola ratio tributorum reperiatur in variis taxis quae pro gratiis concedendis, salva immunitate pauperum, ab iis solvendae sunt quibus prosunt.

819. - Divisio bonorum (c. 1497). Bona temporalia sunt :

1. *Corporalia*, quae physice cernuntur et apprehenduntur, et *incorporalia*, quae sola ratione discernuntur : ut sunt iura.

2. *Immobilia* vel *mobilia*, pro varia stabilitate sua et ipsius legis definitionibus. Lex enim regimen immobilium rerum applicat interdum ad ipsa bona incorporalia et ad res de se mobiles.

3. *Ecclesiastica*, quae pertinent ad personam moralem ecclesiasticam, et *laicalia*. Talia sunt etiam si pio fini sint addicta.

Non ita pridem orta est inter ipsos catholicos quaestio quam breviter attingere debemus.

In pluribus regionibus, in quibus lex civilis personas morales ecclesiasticas non agnoscit et simul singulis opportunitatem esse sinit constituendi personam iuridicam fori civilis, ecclesiae, dioeceses et religiosae familiae ex constituenda huiusmodi persona iuridica secundum legem civilem, securitatem quaerunt pro patrimonio suo. Iam vero *quaeritur* utrum bona ista consideranda sint ut ecclesiastica, an contra evaserint profana, ac proin subtracta sint normis de bonorum ecclesiasticorum alienatione. « Pertinent enim, sic aiunt, ad personam moralem profanam (1), quae proin solas normas civiles observare debet. Id unum requiritur, ut attributio ista bonorum civili personae non fiat sine legitimae potestatis ecclesiasticae facultate. »

Resp. Id omnino admitti nequit, ne ut probabile quidem.

Primo enim, sola auctoritas competens quae permittere possit collectivam illam conversionem bonorum ecclesiasticorum in bona profana foret S. Sedes.

Iam vero licentia constituendi personam iuridicam civilem pro securitate possessionum neque exigitur neque re vera postulari consuevit. Manifestae S. Sedis menti consentaneum est ut praesidium civile bonis et actibus ecclesiasticis quaeratur. Cf. v. g. can. 581, § 2.

Praeterea, etiamsi S. Sedes expresse assentiatur constitutioni personae civilis, longe ab eius intentione fuerit simul abdicare omnem suam vigilantiam in bona quae re vera pertinent ad instituta ecclesiastica. Ceterum, cum in plerisque regionibus bona ecclesiastica civili huiusmodi forma vestiantur, vis talis concessionis haec foret ut fere supprimerentur sanctiones de bonis ecclesiasticis.

Porro *breve et directum argumentum hoc est* : constitutione personae civilis persona moralis ecclesiastica minime destruitur. Bona ista pertinent ad personam moralem coram foro ecclesiastico et coram foro civili. Quatenus autem pertinent ad personam moralem coram foro ecclesiastico, manifesto dicenda sunt ecclesiastica.

Non absimili ratione, testamenta, contractus ad causas pias forma indui consueverunt quae in utroque foro valida est. Nihil inde potestati Ecclesiae subtrahitur.

4. *Sacra*, quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt, et *communia*.

5. *Pretiosa* sunt, quibus notabilis valor sit artis, vel historiae vel materiae causa, et *non pretiosa*, saltem ut singula corpora.

Observes, bona *sacra* et *pretiosa* non esse divisiones proprias rerum ecclesiasticarum. Namque in ipso privatorum dominio reperiri possunt res sacrae et pretiosae : puta calicem consecratum, penes dominum oratorii privati. Quod ipso c. 1510 confirmatur.

(1) Et sic ecclesiastici viri recoquunt argumentum quo adversarii Ecclesiae utebantur ad negandum ius independens Ecclesiae ad possidenda bona. In Belgio, v. g. utebantur hoc principio, qualitatem bonorum qualitate domini manifestari, ita ut necessario laicalia forent bona personae laicalis. Cf. De Meester, *Compendium*, n. 1442.

Ut res sit pretiosa, non quilibet valor artis vel historiae vel materiae est sufficiens ; sed requiritur *notabilis.*

Is ante Codicem fere ad 1000 libellas seu francos aestimari poterat. Quod ex ipso c. 1532, § 3 confirmatur, cum Ordinarius loci possit solus alienare res quarum valor mille libellas non superet.

Verum, post bellum quaestio mota est de moneta quae consideranda sit. Et iam supra diximus I, n. 607, cur stabilis moneta aurea offerret sola regulam aequam et perpetuam. Moneta enim papyracea non est vera moneta sed titulus crediti : inde maximae varietati subiacet. Sunt tamen qui, nominali seu apparente incremento summae cuius magis libera dispositio permittatur, quasi perterriti, facilem istam normam applicare non audeant. Quid tamen obstat, si maiore ista summa apparente non plures res quam longe minore summa ante bellum, comparari possint? Utcumque res se habet, quaestio anno 1922 a *S. C. Concilii* proposita est Pontificiae Commissioni de interpretando Codice (1) cuius observabimus authenticam declarationem, si qua futura sit. Interea aestimationem valoris *aurei* ut probabilem tenemus. Cf. De Meester, *o. c.*, n. 1446 ; Doheny, *o. c.*, p. 33. 34.

Ex ipso autem c. 1532 § 2, liquet iam infra 30.000 libellas valorem haberi notabilem, eumque mille libellarum seu francorum monetae aureae esse arbitramur. Chelodi aestimat 2200 lib. sed an aureas consideret non dicit (*Ius poenale*, 89, nota 7). Quocirca plane improbabiliter scribunt aliqui, — praetermissa accurata distinctione qua c. 1532 res pretiosas separat a rebus quarum valor excedit 30.000 libellarum, — pro nullius rei alienatione requiri beneplacitum apostolicum nisi valorem excedat 30 000 libellarum. (Sic ipse Cerato, *Censurae*, p. 77.) Quod ceterum a stylo curiae prorsus est alienum.

820. - Usus vocis Ecclesiae. In sequentibus istius partis canonibus, nomine Ecclesiae venit quaelibet persona moralis in Ecclesia, nisi ex contextu sermonis vel ex natura rei aliud appareat. Per se significaretur sola Ecclesia universalis vel Sedes Apostolica (**c. 1493**).

TITULUS XXVII

DE BONIS ECCLESIASTICIS ACQUIRENDIS

(c. 1499-1517)

Scriptores : Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, n. 141-146. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, VI, in hos canones. — Caesar Badii, *Institutiones*, II, 640 647. — Claeys-Simenon, *Manuale*, 990-1004. — Cocchi, *Commentarium*, III, 171-196. — De Meester, *Compendium*, 1445-1470. — Doheny, *Church Property*, pp. 36-105. — Ferreres, S. I., *Institutiones*, II, n. 472-488. — Prümmer, O. P., *Manuale*, Qq. 434-448. — Vromant, C. I. C. M., *De bonis Ecclesiae temporalibus*, nn. 70-171.

Ordo dicendi. Titulus iste Codice in nulla capita dividitur, sed, praeposito principio, Codex quaedam de variis modis acquirendi, sive naturalis sive positivi iuris, declarat vel statuit. Qui modi acquirendi sic designari possunt : lex, seu legis declaratio ; — libera sed rogata fidelium largitio ; — tributa et taxae ; — praescriptio ; — piae voluntates.

Oportet igitur ut prius de ipso principio, dein de variis istis modis acquirendi agamus.

---

(1) Die 14 ian. 1922, in Lauden, ad I (AAS., XIV, 1922, 160).

§ 1. DE PRINCIPIO

821. - (c. 1499). « § 1. Ecclesia acquirere bona temporalia potest omnibus iustis modis iuris sive naturalis sive positivi quibus id aliis licet. »

Modi iuris *naturalis* sunt, v. g. occupatio, donatio.

Modi iuris *positivi* sunt vel ii quos ipsa Ecclesia condit vel ordinat, vel ii ab auctoritate politica instituti, quibus Ecclesia uti vult.

« § 2. Dominium bonorum, sub suprema auctoritate Sedis Apostolicae, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit. »

Antea, c. 1495, § 2, Codex vindicaverat ius acquirendi, retinendi et administrandi bona quod, praeter ipsam Ecclesiam catholicam, habent partes personificatae Eccclesiae, sed utrum nomine proprio an alieno id possent, nondum declaraverat. Quare c. 1499, § 2, definit subiecta dominii. Repudians opiniones, ex parte antiquatas, quibus valde gratuito, seu sine serio argumento, bona Ecclesiae dicebantur possideri omnia vel a Deo, a Christo vel a S. Petro ; — vel ab Ecclesia universali ; — vel a S. Pontifice : c. 1499, § 2, tot subiecta dominii agnoscit quot sunt personae morales.

WERNZ, n. 139, et post eum PRÜMMER, Q. 445, indirecto argumento refellunt universalem possessionem a S. Petro vel ab Ecclesia : tunc enim S. Petrus vel Ecclesia universalis etiam omnes obligationes et debita ferre deberent : quod nemo hactenus admisit.

Secundum terminologiam canonicam, paroeciae seu communitates paroeciales (bene vero ecclesiae paroeciales), non sunt subiecta dominii, quia non sunt erectae in personam moralem. Ratio autem allata a WERNZ, quod coetus fidelium nihil decernat de bonis quae sunt in paroecia non videtur efficax. Sin minus, ne Ecclesia quidem universalis bona possideret, cum numquam universus coetus fidelium de illis quidquam pronuntiare possit. Verum alio criterio utendum est. Scilicet, praesupposita personalitate, eius potius dicenda sunt bona cuius utilitati sunt inviolabiliter destinata.

S. Pontifici competit ius dominii eminentis seu alti, intellegendum de iurisdictione vi cuius potest, ob communem Ecclesiae utilitatem, regimen bonorum ordinare, possessiones limitare, immo iura minoris universitatis seu personae moralis posthabere.

Verum, quia aliud est dominium proprie dictum, aliud dominium altum seu eminens, PRÜMMER infert, Q. 443 : « S. Pontifex nequit arbitrarie disponere de omnibus bonis ecclesiasticis. — Superior religiosus maior vel generalis nequit nec valide nec licite disponere de bonis alicuius monasterii vel conventus (seclusis statutis particularibus), nisi accedat liber consensus illorum qui legitimam monasterii administrationem habent. »

Porro, persona moralis ad quam bona pertinent ea est quae secundum leges ecclesiasticas eadem acquisivit.

Concurrere enim potest persona moralis civilis cum persona morali ecclesiastica, idque varia ratione.

a) Lex civilis enim simpliciter agnoscere potest iuridicas seu morales personas iuris ecclesiastici : optimum istud regimen per se debitum est Ecclesiae.

b) Vel potest ipsa definire formam qua ecclesiastica bona vestienda sunt ut, qua talia agnoscantur et praesidio civili muniantur. Ita, in Belgio *seminaria* et *fabricae ecclesiae* fruuntur etiam in foro civili personalitate morali. Ita in Gallia, post legem 9 dec. 1905 de separatione Ecclesiarum a Statu propositae sunt *consociationes cultuales* quae a S. Sede repudiatae sunt et magis recens *consociationes dioecesanae*, quae permissae sunt litt. encycl. *Maximam*. 18 ian. 1924 (1).

c) Vel potest Ecclesiae optiones permittere iuris communis.

Sic, in foederatis Statibus Americae Septemtrionalis, praeter institutionem fidei commissariorum *(trustees)*, admittitur regimen *Corporation sole*, quo persona singularis, puta Episcopum, qua talem, omnia bona sibi mancipata habet ; — *Corporation aggregate*, quo collegium quoddam sociorum bona administrat ; — *Fee simple*, quo episcopus tenet et administrat bona ecclesiastica nomine proprio ex titulo legali absoluto. Tertia hac ratione, episcopus habetur civiliter ut verus dominus bonorum, dum, in duobus prioribus casibus, episcopus vel solus vel cum consilio non est nisi administrator distinctae et agnitae associationis corporatae *(corporation)*. Quare anno 1911, *S. C. Concilii* declaravit : « Methodus quam vocant in *Fee simple* omnino est abolenda », dum praeferendam dixit *Parish corporation*, et, si haec constitui nequeat, *corporation sole*. (2)

Non aliter, recentior lex Belgii 27 iun. 1921 copiam fecit institutis ecclesiasticis et religiosis ut, adhibita forma consociationis non pecuniosae *(association sans but lucratif)* personam moralem efficerent.

In regionibus in quibus nullus aditus est ad corporalem constitutionem, bona ecclesiae civiliter tribuenda sunt privatis personis. Sed dum in America Septemtrionali nihil obicitur ei qui bona tenet in *fee simple*, iurisperiti liberales Belgii et Galliae contendunt personas istas physicas fraudulenter pro persona incapaci (v. g., pro conventu) bona tenere, ita ut possessio ista precaria sit et invalida.

Quando autem concurrit cum persona morali ecclesiastica persona civilis, *utra vere coram Deo possidet ?*

Resp. bona vere possideri a persona morali quatenus est ecclesiastica, ita ut si extensione differant (v. g. si pluribus domibus religiosis sui iuris una confletur persona civilis), subiectum iuris coram Deo intra limites lege ecclesiastica definitos contineatur.

§ 2. DE VARIIS MODIS ACQUIRENDI

I. DE PRIMO MODO QUI EST LEX SEU LEGIS DECLARATIO

822. - Lex est modus acquirendi, quatenus legis declaratione definitur quo pacto, post divisum personae moralis territorium vel post exstinctam personam moralem, bona sint vel dividenda vel alteri assignanda.

---

(1) De omni ista Galliae quaestione, cf. scripta a R. P. I. JANSSENS, *Period.* XIII, 30-42, post ipsa acta, quae referuntur p. 20-30.

(2) Cf. Decl. *Per.* VI, 101, ex *Eccl. Rev.* 1911, 585, ubi omittitur dies. De ipso regimine *Foed. Stat. Amer. Sept.*, cf. DOHENY, *o. c.*, p. 36-40.

I. *In utroque casu,* in primis exsequendae sunt voluntates fundatorum et oblatorum ; observanda sunt iura legitime quaesita, v. g. ex aliqua pactione ; dein legibus particularibus quibus persona moralis regebatur satisfaciendum est. — II. *Diviso territorio,* sive pars uniatur alteri personae, sive distincta persona moralis pro parte dismembrata erigatur, eadem auctoritas ecclesiastica cui divisio competat debet, cum iusta proportione, ex aequo et bono dividere bona communia quae in commodum totius territorii erant destinata, et aes alienum quod pro toto territorio contractum fuerat (c. **1500**).

Observes non omnia iura utilia parochi inter bona communia poni posse. Sic decimae ad personam parochi pertinent. Quia tamen absonum est ut decimae alieno parocho solvantur, Ordinarius loci qui dividit territorium parochiae, divisionem decimarum quasi accessoriam, imperabit, ita ut in parte separata, incolae eas iam debeant novo parocho cui sunt commissi. Ut aliis verbis utamur, debentur parocho praesenti, non ei qui fuit.

III. « Exstincta persona morali ecclesiastica, eius bona fiunt personae moralis ecclesiasticae immediate superioris » (c. **1501**).

Regula ista facile applicatur Ordinibus religiosis hierarchice constitutis, vel qui congregationem quampiam efficiunt ; provincia, religio universa, erunt personae morales superiores (1). Quid autem de confraternitate, quid de monasterio prorsus independenti ? Persona moralis superior, nobis tunc esse videtur ipsa dioecesis vel S. Sedes, prout aliquo modo subsunt Ordinario loci, vel, contra, immediate Sedi Apostolicae. (Nobiscum De Meester, *o. c.*, n. 1451.)

Praeterea attendendum est ad c. 102, vi cuius, si persona moralis non est formaliter suppressa, requiritur ut per centum annorum spatium esse desierit, antequam dici possit exstincta. Quid igitur interea faciendum erit ? Ni fallimur, bona istius personae servanda erunt et administranda a persona morali superiore cui post personae exstinctionem addicentur.

II. OBLATIONES FIDELIUM EORUMQUE ELEEMOSYNAE

823. - Notio et normae. — Codex distinguit oblationes quas fideles *sponte* faciunt vel secundum taxas legitime vigentes, a largitionibus quas faciunt *rogati*. Oblationes proprie dictae, seu prioris generis, tam a privatis quam ab iis qui associationem legitime erectam administrant, acceptari possunt, salva obligatione pro administratoribus associationis vel pro parocho aut rectore missionis rationem reddendi Ordinario loci (Cf. c. 691, § 2 et 5 ; 736. 1182). Ad eleemosynas autem licite colligendas, associatio opus habet consensu Ordinarii loci ubi sedem habet ; et scripto assensu Ordinarii extranei, si extra territorium velit eleemosynas colligere. Ac ratio Ordinario loci reddenda est

(1) Ad quosnam spectet distributio bonorum, dicitur c. 493. 494. S. Sedes statuit de bonis exstinctae religionis ; Capitulum generale vel, extra tempus Capituli, Moderator generalis cum suo Consilio de bonis exstinctae provinciae, nisi constitutiones aliud caveant, et salva semper iustitia et fundatorum voluntate.

(c. 691, § 3 et 5). Salvis autem regulis peculiaribus quae can. 621-624, pro quaestuationibus religiosorum, statuuntur, hic, canone **1503**, generaliter « vetantur privati tam clerici quam laici, sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine ».

Stipem cogere non est a quibusdam notis personis subsidium petere (sic etiam PRÜMMER, Q. 445). Immo, etsi verba sunt generalia nec modum distinguunt, videtur canon respicere personales quaestuationes, quae facile sunt indiscretae, potius quam scriptas petitiones quibus utilitas et necessitas boni operis describuntur : missae tunc eleemosynae magis ultroneis oblationibus assimilantur. Nec moraliter fieri potest ut qui litteras circulares mittat, scriptum postulet assensum omnium Ordinariorum in quorum territorium huiusmodi litterae mittuntur. Quare practice cernimus non aliam licentiam postulari nisi, interdum, licentiam imprimendi folium quo opus commendatur. Sic etiam COCCHI, *o. c.*, n. 177 ; VROMANT, *o. c.*, n. 74 et ut probabile DE MEESTER, *o. c.*, n. 1454, contra CLAEYS-SIMENON, n. 993. VROMANT optime allegat Decr. *Singulari*, 27 mart. 1896, ad IV, qui permittit ut Superiorissa per litteras sine ulla licentia eleemosynas quaerat (cf. *De religiosis*, II n. 204, p. 402).

Parocho praeterea licet per se, saltem intra paroeciam suam, eleemosynas colligere in bonum parochianorum, pro scholis et pro operibus piis paroeciae coniunctis. Id PRÜMMER, infert eo quod parochus non sit privatus vir, et prohibitio sit privatis circumscripta. Magis directam rationem nobis dant c. 415, § 2, 5° ; c. 630, § 4, qui id diserte permittunt parocho etiam religioso. Sic etiam DE MEESTER, n. 1454, et VROMANT, n. 75, contra CLAEYS-SIMENON, n. 993.

Quaeres ad quamnam personam moralem vel physicam pertineant oblationes repertae intra fines alicuius paroeciae ?

Observanda in primis est *certa offerentium voluntas.* Quare ad parochum non pertinent oblationes ante certum altare vel imaginem depositae, nec quae fiunt in oratoriis confraternitatum (c. 691, § 2), et multo minus quae fierent in ecclesia independenti a parocho.

Dein *statuta particularia* et *legitimae consuetudines* id definient, v. g. de pecunia data ab osculantibus reliquias. Denique, his silentibus, olim oblationes praesumebantur datae parocho ; sed hodie hoc restringitur ad oblationes factas inter missas (1), et occasione administrati officii parochialis (etiam si ab alio sacerdote fuerit expletum). Ceterae oblationes repertae in loco paroecialis iurisdictionis praesumuntur factae ecclesiae paroeciali. (Sic PRÜMMER, Q. 445.) In dubio tamen remanet praesumptio pro parocho (CLAEYS-SIMENON, 571 ; DE MEESTER, 1456). De his cf. VROMANT, *o. c.*, n. 76.

Quaeres num religiosi exempti, in suis ecclesiis, imperante episcopo, pro pio opere stipem colligere debeant ? Quamvis omnino per se deceat ut prompto animo votis episcopi obtemperent, censemus, cum

---

(1) Exceptis missis novensilium sacerdotum : censentur his datae.

Pruemmer, Q. 445, eos non esse obligatos, nisi episcopus Apostolica auctoritate utatur. Non agitur enim de functione liturgica.

Quamvis autem non omnis dissimulatio argui possit iniustitiae, valde tamen commendandum nobis videtur ut aperte et distincte indicentur fines ad quos, etiam in capsis, eleemosynae petantur. Cfr de eleemosynis quae in arcis deponuntur casum moralem solutum, *Per.*, XVIII, 95* ss. et 157* ss.

III. DECIMAE, PRIMITIAE, TRIBUTA ET TAXAE

824. - I. Decimae et primitiae. *Decimae ecclesiasticae* (nam fuere laicales, dominis temporalibus debitae) sunt decima vel aliter (generatim minor) definita quota pars fructuum vel lucrorum honestorum, ministris Ecclesiae propter cultum divinum et spirituale ministerium ex ecclesiastica lege persolvenda. (Cf. Wernz, III, n. 211, ss.)

Distinguebantur *praediales*, quae ex collectis agri fructibus, *personales*, quae ex industria vel officio proprio, *mixtae*, quae ex pascuis (ut pecude, lacte, lana) solvebantur.

Primitiae sunt primi fructus terrae vel animalium qui, ad imitationem veteris Testamenti, ex lege ecclesiastica, ministris sacris quondam offerendi erant.

Iam pridem *ius commune de primitiis* in desuetudinem abiit (Cf. Wernz, III, 221, ss.). Codex quoque obligationem *decimarum* iam non ad ius commune refert. Vult tantum ut peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines in unaquaque regione serventur (c. 1502). Supponit igitur loca esse ubi vigent. Ac re vera *reales* decimae solvuntur adhuc in Dominio Canadensi (cf. Conc. Quebecense III (1863), in Coll. Lacensi, III, 676), et in non nullis occidentalibus partibus Americae sept. Cf. Doheny, *o. c.* p. 44-50 v. g. p. 47.

825. - II. Cathedraticum, quod cum canone debito ab emphyteuta comparari potest, est modica quaedam taxa quae quotannis, in signum subiectionis, solvenda est episcopo ab omnibus ecclesiis vel beneficiis iurisdictioni episcopi subiectis, et a laicorum confraternitatibus. Quantitas definitur regulis generalibus de taxis, vel antiqua consuetudine (c. 1504).

Religiosi *exempti* cathedraticum solvere non debent ratione suarum ecclesiarum; istud tamen solvendum habebunt, si saecularis ecclesia ipsis sit concredita. *Confraternitas* intellegenda est secundum definitionem c. 708. Dicit igitur associationem fidelium erectam in personam moralem, constitutam ad modum corporis organici, et in incrementum publici cultus institutam.

Cathedraticum dicitur quoque *synodalicium*, quia in synodo solvi consueverat. Cum synodi non iam sint singulis annis congregandae, nomen istud factum est improprium.

In pluribus locis v. g. in Belgio, in Gallia, iam non exigitur. Deficiente autem approbato decreto Concilii provincialis vel coetus episcoporum provinciae vel antiqua consuetudine, cathedraticum exigi non potest. Cf. de hoc argumento erudite scripta a R. D. Claeys Bouúaert, *Du droit de l'Évêque d'imposer des taxes*, *N. R. Th.*, 1921, 195 ss. 225 ss.

826. - III. De aliis tributis. Ante Codicem, permittebant episcopo, non solum ut cathedraticum exigeret, sed etiam ut certam contributionem imponeret ecclesiis pro propria sustentatione et communibus dioecesis expensis, in regionibus in quibus reditus stabiles in hunc finem non haberet (Cf. Wernz, III, n. 233). Hodie autem valde circumscripta est potestas episcopi canonibus 1505 et 1506 : « Loci Ordinarius, praeter tributum pro seminario, de quo in c. 1355. 1356, aut beneficialem pensionem de qua in c. 1429, potest, speciali dioecesis necessitate impellente, omnibus beneficiariis, sive saecularibus sive religiosis, extraordinariam et moderatam exactionem imponere » (c. **1505**). Haec dicitur *subsidium caritativum.*

« Aliud tributum in bonum dioecesis vel pro patrono imponere ecclesiis, beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis, quamquam sibi subiectis, Ordinarius potest tantummodo in actu fundationis vel consecrationis ; sed nullum imponi tributum potest super eleemosynis missarum sive manualium sive fundatarum » (c. **1506**).

Itaque, *exactiones* dicuntur ipsae pensiones beneficiis impositae et praeterea extraordinariae contributiones propter iustam causam reditibus ecclesiasticis impositae. Quare hoc nomine venit tam *seminaristicum* quam pensio *beneficialis*. De utroque argumento loco proprio egimus. (Cf. n. 690 et 809.)

Aliae exactiones non possunt imponi nisi *beneficiariis;* atque iterum redit quaestio utrum gravari possint quilibet reditus qui, ex c. 1410, dotem beneficii constituere possunt an soli stricte dicti reditus boni iam pertinentis ad Ecclesiam. Si prius dicatur, licebit episcopis Galliarum tributo gravare iura stolae saepe ingentia, quae parochis magnarum civitatum obtingunt ; si alterum dicitur, cum nulli iam sint in Gallia huiusmodi reditus stricte beneficiales, nullam facultatem exactionis episcopi habebunt. Ac potius partes negativas tenendas esse existimamus, nisi res cum S. Sede componatur.

Gravari possunt beneficiarii *saeculares* et *religiosi* ; non tamen exempti.

Nullo autem momento tributo gravari possunt eleemosynae missarum : ecclesiae vero et instituta ecclesiastica, episcopo subiecta, tributo gravari possunt in actu fundationis vel consecrationis, non autem postea.

Hac postrema fretus iuris dispositione, videtur in magna civitate, quando nova ecclesia erigitur paroecialis, Ordinarius annuo tributo in bonum dioecesis gravare posse reditus stolae et oblationes fidelium.

827. - IV. De taxis (**c. 1507**). Taxarum nomine veniunt oblationes lege ecclesiastica impositae fidelibus occasione sive gratiae ipsis concessae sive ministerii sacri in eorum bonum praestiti. Distinguuntur taxae *funerales*, taxae *iudiciales*, et taxae pro variis actibus *iurisdictionis voluntariae* vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis sacramentorum vel sacramentalium.

Taxae *funerales* definiri possunt ab Ordinario loci ex c. 1234. Cf. n. 540.

In dispensationibus matrimonialibus pro non pauperibus, licet quoque Ordinariis modicam praestationem, nullam vero taxam exigere pro expensis cancellariae. *Omnis vero alia taxa*, in tota ecclesiastica provincia solvenda, praefinienda est a Concilio provinciali vel conventu episcoporum provinciae, et a S. Sede approbanda (1). Haec approbatio tamen non videtur requiri pro taxis *iudicialibus*, ex c. 1909. (Cf. c. 59, § 2; 736; 1507 et 2408.)

Solet ipsa S. Sedes definire quid pro exsecutione singulorum rescriptorum peti possit : cui definitioni standum erit, nisi approbata a S. Sede regula plus permittat.

Videntur etiam servari posse *antiquae consuetudines* quibus definiuntur taxae solvendae in quibusdam adiunctis, praecipue per occasionem ministrationis sacramentorum vel sacramentalium. Ita, nixus decreto *S. C. Conc.*, 10 iun. 1896 (ASS., XXIX 433) et c. 1104 de cathedratico, Claeys-Simenon, *Manuale*, n. 995.

In postulandis taxis caveant ministri sacri ab omni specie avaritiae ; rursus autem ne nimis facili omissione molestias parent successori magis indigenti. A mente Ecclesiae alienum est ut absolutio sacramentalis vel sacramenta negentur fidelibus qui haec solvere renuant, maxime si quandam excusationem allegent. Cf. *S. C. Prop. Fid.* 13 maii 1816 (*Collect.*, 713, 4), Conc. plen. Baltimor., III n. 292, apud Doheny, *o. c.* p. 49. 50. Rem potius deferant Ordinario.

Verum ista benignitas Ecclesiae ius non tollit ministrorum ut a fidelibus quos spiritualiter pascunt congruentem sustentationem obtineant, et consequentem fidelium obligationem prospiciendi isti congruenti sustentationi.

---

(1) Die 11 dec. 1920 (AAS., XIII, 356) *S. C. C.* noluit approbare indicem taxarum cuiusdam provinciae ecclesiasticae : quaedam nimiae erant ; aliae exigebantur pro dispensationibus matrimonialibus ; aliae singulis Ordinariis optionem linquebant taxae maximae et infimae.

IV. PRAESCRIPTIO

828. - I. Notiones. Praescriptio est *modus originarius, iure positivo institutus, acquirendi ius reale aut perimendi obligationem vel actionem, elapso quodam temporis intervallo et servatis ceteris legis praescriptis.*

Modus dicitur *originarius,* quia praescribens non succedit formaliter ei contra quem praescribit, sed ius consequitur ipsa praescriptione mensuratum.

Ius *positivum* est ius canonicum vel ius civile, prout agitur de bonis ecclesiasticis vel non. Verum nunc, ut statim apparebit, ius civile iure canonico in hac re recipitur.

Ex ipsa descriptione liquet haberi praescriptionem *liberativam,* quae ius alterius exstinguit et dat in foro exceptionem ad repellendum adversarium ; et praescriptionem *acquisitivam* (usucapionem), quae ius confert et simul dat in foro actionem ad persequendam rem et exceptionem ad repellendum adversarium.

Ad praescriptionem requiritur *res praescriptibilis, definitum* quoddam *tempus,* et *observatio* ceterarum *condicionum* lege quae ius dat requisitarum.

De *tempore* observandum est causas esse propter quas praescriptio dicitur *interrupta,* et tunc omnia iterum ab ovo inchoanda sunt ; dum propter alias causas praescriptio mere dormit seu *suspenditur,* ita ut intervallum temporis de quo agitur computari nequeat, maneat tamen praescribenti beneficium temporis antea elapsi, quod cum sequente coniungi poterit. Sic in gratiam personae minoris natu, suspenditur saepe praescriptio.

Cognoscenda quoque est *iunctio possessionum,* quae habetur quando qui alii succedit inchoatam ab hoc possessionem continuat. Et, pro variis casibus, est iunctio *necessaria,* ita ut successor nequeat habere meliorem possessionem suo decessore : qui saepe casus est successoris universalis ; atque est iunctio *facultativa,* qualis offertur, v. g. emptori, respectu venditoris.

829. - II. Principium de applicatione legis civilis. « Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum qui sequuntur » (c. **1508**).

Itaque, vi istius principii, quaecumque hic silentur de praescriptionis regimine, ut de titulo possessionis, de praescriptionis interruptione et suspensione, de tempore et modo, et de effectibus, suppleri debent ex iure civili nationis ubi facienda est applicatio praescriptionis. Ac

plures regulae quae ante Codicem e lege canonica desumebantur, iam e iure civili hauriendae erunt.

830. - III. De obiecto. 1. *Res non praescriptibiles* ex iure canonico **c. 1509.**

« 1° Quae sunt iuris divini sive naturalis sive positivi ».

Humana enim lex ius divinum tollere nequit. Exemplum rei iuris divini positivi est primatus S. Pontificis, cum conexis iuribus.

« 2° Quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico ». Attamen, ex c. 63, § 2, possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit privilegii, ita ut is cui prodest, privilegium demonstrare non debeat.

Explicatio istius clausulae non vacat difficultate. Non omnia enim quae per se requirunt privilegium apostolicum iam ideo sunt praescriptioni subducta, sed omnis alius modus acquirendi positive excludendus est. Quod saepe aliunde demonstrandum est.

Communiter pro exemplo afferunt facultatem confirmandi simplici presbytero concessam (ex c. *Pervenit*, 4 *De consuetudine*, I, 4). Sed si cum Cappello, *De Sacramentis*, I, 204 et pluribus aliis existimes presbyteros, seclusa lege canonica vetante, ab episcopis valide delegari posse ad ministrandum hoc sacramentum ratio cur facultas ista praescriptione acquiri nequeat non est ex praesenti clausula repetenda.

Quidam (Cocchi, *o. c.*, 183 ; Vromant, *o. c.*, 127), citant facultatem dispensandi in lege communi. Sed facultas dispensandi transeunter a recitando breviario, consuetudine pluribus episcopis acquisita dicitur.

Claeys-Simenon, n. 997 indicant ius Pontificalium pro abbate vel privilegium oratorii domestici, sed desideratur argumentum. Vromant, *o. c.*, 127 affert exemptionem religionis a iurisdictione episcopali, propter c. 618, § 1 ; sed n. 7° nostri canonis excipitur a praescriptione sola exemptio qua nulli Praelato parendum foret.

Existimamus exempla quaerenda esse ex privilegiis quae concipi non possunt sine interventu Pontificis, ut Praelaturae honorificae, activae concessiones indulgentiarum, facultas valide benedicendi et annectendi indulgentias sine usu formulae praescriptae, et plura alia privilegia Cardinalium can. 239.

« 3° Iura spiritualia quorum laici non sunt capaces, si agatur de praescriptione in commodum laicorum ». Ita iurisdictio sacramentalis : hoc ex ipsa rerum natura colligitur. Iura quorum sunt capaces, praescriptione ipsis competere possunt. Obstat tamen c. 1450 quominus iam possint laici (vel ipsi ecclesiastici) praescriptione acquirere ius patronatus, cum, ex c. 1450, nullo titulo in posterum valide constitui queat.

« 4° Fines certi et indubii provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum vel praelaturarum *nullius* »

Sic iam de provinciis, de dioecesibus et de paroeciis statuebatur c. 9, X, II, 26 et c. 4, X, III, 29, ne iurisdictiones confunderentur et perturbarentur. Sed praescribi possunt fines incerti et dubii, cum praescriptio modum offerat solvendi dubium.

« 5° Eleemosynae et onera missarum ». Mutua hic securitas datur et ei cui debentur eleemosynae propter missas, et ei cui debentur missae propter eleemosynas. Verum ipsum onus missarum in alium praescriptione transferri potest.

Ante Codicem hoc de solis oneribus statuebant. Cf. Wernz, III, 300.

« 6° Beneficium ecclesiasticum sine titulo ». Sic iam R. 1ª de regulis iuris in 6°. Titulum intellegas *coloratum*, qui occulto vitio laborat.

« 7° Ius visitationis et oboedientiae, ita ut subditi a nullo praelato visitari possint et nulli praelato iam subsint ». Ex contextu liquet agi tantum de sola exstinctiva praescriptione. I. e. iam ex c. 12 et 16, X, II, 26, excluditur praescriptio *exstinctiva* visitationis et oboedientiae, non autem *translativa*.

« 8° Solutio cathedratici ».

Itaque quattuor exceptiones, i. e. 1. 5. 7. 8. spectant ad praescriptionem liberativam, et quattuor, i. e. 2. 3. 4. 6. ad acquisitivam.

2. Quod ad *res sacras*, c. 1510 res distinguit quae in dominio privatorum sunt ab aliis. Priores acquiri possunt praescriptione a privatis personis, salva obligatione eas non profanandi si sint consecratae vel benedictae; et non adhibendi ad usus profanos sordidos, etiam si sint exsecratae. Res sacrae autem quae a privatis non possidentur, non possunt praescribi a persona privata, bene vero a persona morali ecclesiastica contra aliam personam moralem ecclesiasticam.

Personis privatis assimilantur personae morales non ecclesiasticae.

Plerique, nixi sensu litterali Codicis, contra Ferreres, *Instit. can.*, II, 483 et nos in prioribus editionibus, canonem intellegunt de solis rebus sacris quae re vera sunt acquisitae privatis, non autem de iis quae mere possideri possunt a privatis. Cf. Vromant, *o. c.*, n. 132, nota.

3. Quia Ecclesia catholica, societas perfecta et suprema, can. 100 § 1 ut distincta ab Apostolica Sede persona moralis exhibetur, et hic non nominatur, Blat, in c. 1511 existimat nulla Ecclesiae catholicae iura et bona praescriptione attingi posse. Obstare eius supremum locum.

831. - Specialia de tempore (c. 1511). « § 1. Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur. — § 2. Quae ad aliam personam moralem ecclesiasticam, spatio triginta annorum ».

Observes regulam specialem non esse de omnibus rebus pretiosis vel immobilibus, sed de iis tantum quae pertinent ad Sedem Apostolicam, neque extendi ad mobiles non pretiosas, etiam si pertineant ad Sedem Apostolicam.

Nec quod statuitur de persona morali ecclesiastica valet de omni causa pia: haec per se subiacet iuri communi, quod hic est ius civile.

Privilegia peculiaris praescriptionis (per 60 annos, immo forte per 100), quae competunt quibusdam religionibus, non sunt ulla Codicis dispositione suppressa. Sic etiam CAPPELLO, S. I., in *Ius Pontificium*, IV, 1924, 23.

De praescriptione actionum iudicialium, cf. librum IV, c. 1701. 1703, in tomo III.

Quaeres, quo iure regantur praescriptiones ante Codicem inchoatae et non completae ?

In prioribus editionibus adhaesimus sententiae R. P. CAPPELLO (*Ius Pontificium*, IV, 21) qui putat eas superiore iure regi. Sed, re melius perpensa, cum ex inchoata praescriptione nullum ius acquiratur, dicendum est eas ad novam legem aptandas esse, nisi lex positiva de re quaedam specialiter disponat, ut optandum est. Cf. dicta *Epit.* I, n. 71, et *Theol. mor.*, II, n. 406, 5.

832. - Peculiaris praescriptio acquisitiva beneficii. Ex c. 1446, possessio beneficii pacifica et bona fide per tres annos, cum titulo etiam invalido, dummodo absit simonia, beneficium clerico possidenti addicit. Titulus requiritur ex c. 1509, 6°.

833. - Requisita fides. « Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito » (c. 1512).

Ex ipso contextu, ubi sermo fit de possessione, canon is non agit nisi de usucapione, et repetit quod iam Conc. Lateranense definierat, ad effectum usucapionis non sufficere bonam fidem initio possessionis (qua bona fide contentum erat ius romanum), sed requiri bonam fidem per totum tempus lege requisitum. Atque haec regula, quatenus possessor qui actu est malae fidei non usucapit, etiam in rebus civilibus observanda est, cum sit declaratio iuris naturalis.

Solent in iure canonico canonem istum applicare etiam ad praescriptionem liberativam. Verum, cum agitur de usucapione, bona fides est persuasio iuris seu dominii ; cum agitur de praescriptione liberativa, in bona fide esse censetur qui nullam scienter praetermittit obligationem conscientiae : hic enim de possessione non agitur.

V. PIAE FIDELIUM VOLUNTATES

834. - I. Notiones. *Pia voluntas* dicitur omnis dispositio bonorum ad piam causam religionis vel virtutis christianae effecta. Dispositio contineri potest in actu qui, iam vivente eius auctore, effectus habebit, qui actus vocatur *inter vivos :* principalis eiusmodi actus est donatio ; vel in actu cuius effectus utiles differuntur post mortem auctoris : qui actus designantur nomine actuum *mortis causa.* Communi igitur *ultimarum voluntatum* vocabulo designantur omnes actus quibus quis heredem instituit aut disponit de universitate vel de quota parte

bonorum suorum vel de singulis bonis pro tempore quo ipse e vivis excesserit. Potissimus huiusmodi actus est testamentum, cui affinis est donatio mortis causa.

Testamentum, iure quo utimur, *est actus iuridicus, sollemnis, essentialiter ad mortem usque revocabilis, quo quis contestatur (pronuntiat) quid post suam mortem fieri velit de patrimonio suo sive universo, sive de parte eius, sive de quibusdam rebus suis.*

In iure romano testamentum supponebat necessario directam heredis institutionem ; dum vocabatur *codicillus*, actus minus sollemnis quo de bonis disponebatur sine directa heredis (seu continuatoris personae) institutione. Quia in iure canonico praesente uterque actus valet, ad ius istud hodie applicare possumus descriptionem supra datam de testamentis, si unam excipias *sollemnitatem*, quae in iure canonico non requiritur.

In iure enim canonico, *ad valorem* testamenti sufficit, « ut per duos vel tres testes aut per scripturam aut alium modum legitimum ultima voluntas testatoris vere perfecteque expressa certo probetur » (Wernz, n. 279).

Donatio mortis causa est *contractus, ad mortem usque revocabilis, qui tantum post mortem donatoris rem donatario addicit.* Quia est contractus, ut valeat, a donatario acceptari debet. Et sic etiam differt a legato, quae est liberalitas, in testamento contenta, ab heredibus vel a persona designata exsequenda, et immediatum dat ius legatario exigendi legati obiectum.

Wernz n. 286, putat dominium rei legatae immediate in legatarium ipsa legis dispositione transferri : hoc fortasse nimium est (1). Sed dum in donatione, donatarius, antequam acceptaverit, nullum ius habet, ita ut donator donationem revocare possit, legatum est irrevocabiliter saltem legatario oblatum.

835. - Principium de capacitate. Canone **1513**, § **1**, affirmatur libera facultas linquendi bona ad causas pias, quae, independenter a iure civili, competit omni personae cui ius naturae et ius ecclesiasticum liberam tribuunt dispositionem bonorum suorum ; idque per actum inter vivos vel per actum mortis causa.

Actus inter vivos erit donatio ; actus mortis causa esse potest testamentum vel donatio mortis causa, etsi haec posterior forma non ab omni iure civili admittatur.

Sentiunt tamen auctores licere filiis vel heredibus necessariis, ut sibi, neglectis etiam dispositionibus ad pias causas, vindicent suam portionem legitimam, cum haec ipsis iure competat.

Simul tamen § 2 commendatur ut in ultimis voluntatibus in bonum Ecclesiae serventur, si fieri potest, sollemnitates iuris civilis.

---

(1) Immo impossibile, si res genere tantum determinata legatur.

« Hae si omissae fuerint heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant » (c. 1513, § 2).

His verbis perspicue docemur, nullam excusationem ex omissis sollemnitatibus civilibus peti posse ad non implenda onera pia saltem ultimarum voluntatum. Heredes enim non sunt monendi, nisi quia causa pia ius habet ut pia voluntas impleatur. Id nunc authentice definitum est responso Pont. Commiss. I. C. 17 febr. 1930 ad V. (A.A.S., 7 april. 1930, XXII, 196). Prudenti tamen vocabulo utitur Codex, cum dicit « moneantur » heredes, ne nimia instantia bonam fidem inutiliter turbet, vel difficultates in foro civili suscitet. Ita etiam CLAEYS-SIMENON, 1001 ; COCCHI, 192 ; DE MEESTER, 1466 ; VROMANT, 156 (1).

Heredes tamen *necessarii* causae piae tradere non debent nisi partem civiliter disponibilem suae hereditatis. Ita communis sententia. Cf. COCCHI, 192.

Canon vero **1514** diligentissimam piarum voluntatum exsecutionem praecipit, etiam circa modum administrationis et erogationis, salvo tamen praescripto **c. 1515**. § 3.

836. - Cautelae de fideli impletione voluntatum piarum. Cautelae sunt.

I. *Constitutio exsecutoris nati* piarum voluntatum : i. e. Ordinarii. Munus eius sancitur iure et officio vigilandi, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur. — Dein *obligatio exsecutorum delegatorum*, reddendi, expleto mandato, rationem Ordinariis, atque ita ut clausulae huic Ordinariorum iuri contrariae tamquam non appositae habeantur, si ultimis voluntatibus adiungantur (c. 1515).

Ordinarii sunt, pro variis casibus, Ordinarii loci vel Superiores maiores religionis clericalis exemptae. — Propter huiusmodi legata pia fit ut Ordinarius visitare possit etiam institutum de se exemptum a visitatione : ut si opus per se profanum (puta mutuam assecurationem) pia voluntate iuvetur (ut puta si, quia assecurati sunt pauperes, aliquis benefactor augeat singulis praemium obtinendum pro soluta ab ipsis pecunia).

Exsecutores delegati sunt ii quos donator, testator vel ipse Ordinarius designaverit. Si testator nullum designaverit, ipse heres est ex iure exsecutor, qui proin Ordinario rationem reddere debet.

II. *Obligatio fiduciarii monendi Ordinarium de sua fiducia* **c. 1516**. *Fiducia* seu *fideicommissum* habetur in iure, quotiescumque aliquid alienae fidei committitur. Et dicitur non solum de subiectiva fiducia, sed etiam de re quae sic alienae fidei committitur. Sic fiducia est res quae pignori datur ; quae alienatur vel venditur vel traditur cum

(1) Post NOLDIN, in ed. 1922, II, 555 ; VROMANT, *o. c.*, n. 156, obligationem istam coarctat ad legata facta *personae morali ecclesiasticae*, quia, sic NOLDIN, canon 1513, § 2 loquatur de ultimis voluntatibus *in bonum Ecclesiae* factis ; atque id admittit quoque GILLET, *Collectanea Mechliniensia*, 1927, p. 84. Sed § 1, can. 1513 maiorem extensionem postulat. Obligatio heredum consequitur valorem dispositionis. Valet autem omnis dispositio ad pias causas. Erat etiam qui obligationem conscientiae exsequendi legati pii, civiliter informis extenuare vellet. Cfr R. D. NASONI, in *Perfice munus*, 1928, p. 848 ss.

obligatione restitutionis. Maxime autem est res donata vel legata cum obligatione alicuius pii usus vel transmissionis ad institutum pium (*fidecommesso, fideicommis, trust*). Persona cui haec obligatio imponitur, dicitur hodie *fiduciarius.*

Itaque « clericus vel religiosus qui bona ad pias causas, sive per actum inter vivos sive ex testamento, fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Ordinarium certiorem reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare ; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet » (c. **1516**, § 1).

Notabile istud est obligationem non imponi nisi clericis et religiosis. Si laicus sic sit institutus, non aliam habet obligationem nisi reddendi rationem et permittendi visitationem Ordinarii.

Nixus BALLERINI-PALMIERI, qui, *Opus theol. mor.*,[a] II, 691 ss. institutionem *fiduciariam* tamquam factam *clam* distinguit a *fideicommissaria* qua *aperte* aliquid restituendum heredi imperaretur, R. P. BONDINI, O. M. Conv., de sola fiduciaria intellegit praescriptum can. 1516, propter vocem « fiduciarie » qua canon iste utitur. Sed distinctio BALLERINI non est iuridice fundata. Immo cum volunt accurate loqui, heres qui debet fideicommissum vocatur *fiduciarius*, dum *fideicommissarius* ille est cui debetur. (Cf. CALVINUM, *Lexicon iuridicum*, v. Fiduciarius.) BONDINI merito subiungit fiduciam, si non aliter nota sit, probari vel duorum testium testimonio, vel delatione iuramenti. (*Ius Pontif.* (1926), p. 87, ss.)

§ 3 definitur quisnam hic sit Ordinarius. Si bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Ordinarius est loci Ordinarius ; secus est Ordinarius proprius religiosi.

Si igitur religiosus est religionis clericalis exemptae, erit eius Superior maior ; secus erit Ordinarius loci, tamquam solus Ordinarius talis religiosi.

III. *Prudens collocatio bonorum fiduciariorum.* C. 1516 « § 2. Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro exsecutione piae voluntatis ad normam c. 1515 ».

IV. *Vetitum reducendi aut immutandi onera.* Canon **1517** proprius est ultimarum voluntatum ; quia, si agatur de pia viventis voluntate, omnia cum ipso componi possunt, cum possit iuri suo renuntiare. Itaque :

1. « Ultimarum voluntatum reductio, moderatio, commutatio, quae fieri ex iusta tantum et necessaria causa debent, Sedi Apostolicae reservantur, nisi fundator hanc potestatem etiam Ordinario loci expresse concesserit » (c. **1517**, § 1).

Causa, etiam pro Apostolica Sede, requiritur *iusta* et *necessaria*. Iusta i. e. proportionate gravis ; necessaria, quatenus non est alia via obtinendi bonum vel medendi malo, cui causa conectitur.

2. « Si tamen exsecutio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit,

tunc Ordinarius quoque, auditis iis quorum interest, et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aeque imminuere, excepta missarum reductione, quae semper Sedi Apostolicae unice competit » (c. 1517, § 2).

Ad exercendam suam potestatem, S. Sedes utitur, in foro interno, pro casibus occultis, S. Paenitentiaria; in foro externo, *S. C. Concilii* et *Fabrica S. Petri ;* pro locis missionum *S. C. Propagandae Fidei ;* pro religiosis. *S. C. de Religiosis ;* et, ni fallimur, post declarationem 7 dec. 1922 (Per. XII, 43 ss.) quae id de alienationibus decernit, *S. C. Consistoriali* pro mensa episcopali, et *S. C. de Seminariis et studiorum Universitatibus*, pro Seminariis.

Potestas autem Ordinarii est variis condicionibus circumscripta. Oportet ut exsecutio impossibilis sit facta, v. g. propter imminutos reditus, idque sine culpa administratoris : ut si propter rerum caritatem reditus qui duobus infirmis alendis destinabantur, non iam possint nisi uni sufficere (qui casus proponitur a Prümmer). Alia causa exsistere potest. V. g. testator iusserat ut post missas anniversarias, pauperibus loci distribuantur panes : atque in loco nullus iam est pauper qui panes postulet. Tunc videtur Ordinarius posse mutare onus quod, si necesse foret, reducere permitteretur, dummodo audiat eos quorum interest, ut erunt plerumque heredes defuncti, et voluntati fundatoris quam minime potest deroget. In casibus propositis possit Ordinarius uni aegroto applicare quod duobus destinabatur ; vel spirituali pauperum indigentiae destinare quod temporali deputabatur : v. g. dare subsidium scholae catholicae.

Si reditus ex toto defecerint, ipsum onus iam per se cessat. Nec constat de stricta obligatione quidpiam postea supplendi, si reditus renascantur abundantiores.

Missarum reductio semper reservatur soli S. Sedi, quae tamen generales facultates delegare solet, v. g. onera fundationum ad taxas hodiernas reducendi.

Poterit nihilominus Ordinarius, ob imminutos reditus etiam missarum onera ad normam c. 1517 et 1551 reducere, si id in tabulis fundationum expresse concessum sit. (*C. I. C.* 14 iul. 1922, AAS., XIV, 1922, 529 ; *Per.*, XI, 165.)

Ac si reditus ex toto defecerint, ipsum onus cessabit, ut modo supra dictum est. De his cf. Doheny, *o. c.*, p. 101-105.

837. - Conexa hic quaestio movetur de *divisione* vel *coniunctione* bonorum seu capitalium, utputa titulorum, quorum reditus oneribus piis gravantur. Saepe hodie capitalia ista consistunt in titulis frugiferis seu nominibus, quorum valor crescere et imminuere, immo perire potest. Duplex autem ratio constituendi patrimonium ex pecuniis relictis per se possibilis est. Vel enim sui cuique tituli distincti singulis fundationibus assignantur : quae dicitur « specializatio ». Et tunc inaequali fortunae variae fundationes obnoxiae sunt : nec quod una lucratur compensat ullo modo quod altera perdidit. Quare nulla fundatio est aliquo modo assecurata ; ac lucra non prosunt nisi iis qui onera explere debent. Cum autem res futurae sint valde incertae, ab initio nihil de ista inaequali fortuna definiri potest. Altero autem systemate, una massa conflatur patrimoniis quae unius ecclesiae oneribus explendis sunt destinata. Tunc, quasi mutua assecuratione damna lucris compensantur, et magis certa fit perpetua exsecutio omnium onerum.

Prior ratio, qua patrimonia distinguuntur magis usitata est; atque, si fundationes distincta habeant patrimonia, non licebit de uno detrahere ad succurrendum alteri. Altera ratio nobis videtur magis aequa, atque optamus ut fiat generalior.

TITULUS XXVIII

DE BONIS ECCLESIASTICIS ADMINISTRANDIS

(c. 1518-1528)

Scriptores : Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, n. 147-153. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, t. VI, in hos canones. — Badii, II, n. 652-656 — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 1005-1016. — Cocchi, *Commentarium*, L. III, nn. 197-208. — De Meester, *Compendium*, n. 1471-1480. — Ferreres, S. I., *Institutiones*, II, n. 489-499. — Prümmer, O. P., *Manuale*, Q. 449. 450. — Vromant, C. I. C. M., *De bonis Ecclesiae temporalibus*, nn. 172-212.

Ordo dicendi is erit ut, cum Codice, prius singulos indicemus quibus potestas administrandi competit, praemissa tamen ratione ipsius administrationis; dein regulas in administratione servandas proponamus.

838. - Notio. Quod gubernatio personis, id administratio est rebus : per gubernationem et administrationem ambo conservantur et ad fines suos perducuntur. Cum autem res sint propter personas, administratio huc spectat ut fructus gignantur, percipiantur et quibus competit tribuantur. Administratio igitur omnes actus complectitur quibus res conservantur, meliores fiunt et utiliores vel fecundiores, et quibus fructus percipiuntur et applicantur.

Actus ad id regulariter necessarii dicuntur *ordinarii ;* graviores, qui rarius requiruntur, sunt *extraordinarii*. *Ordinarii* erunt acceptationes solutionum a debitoribus vel conductoribus agrorum ; perceptiones annuae summae ex titulis crediti ; *extraordinarii* : nova collocatio pecuniarum vel commutationes titulorum ; locatio novis condicionibus facta.

I. QUINAM BONA ADMINISTRENT

839. - « Romanus Pontifex est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator » (**c. 1518**).

Indubia est ipsa potestas Ecclesiae libere administrandi quae sua sunt bona : ius istud sequitur ipsum perfectum dominium. Iam vero omnis Ecclesiae potestas est penes S. Pontificem, qui non solum est pastor supremus, sed etiam immediatus omnium fidelium. Ergo eius potestati nulla persona baptizata, nulla res ecclesiastica subtrahitur.

840. - **C. 1519.** « § 1. Loci Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio

sint nec ex eius iurisdictione fuerint subducta, salvis legitimis praescriptionibus quae eidem potiora iura tribuant.

« § 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, opportune editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris communis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium ordinandum curent ».

Codex consulto abstinet modo dicendi quo egregii quoque canonistae, v. g. WERNZ, III, 151, DE MEESTER, *o. c.*, n. 1473, efferebant episcopum tamquam supremum administratorem bonorum ecclesiasticorum in sua dioecesi exstantium et non pertinentium ad exemptos. Sane, ante divisionem bonorum, massa communis erat ab Antistite administrata ; sed ex quo distincta beneficia constituta sunt, a lege alienum est ut episcopus ad se omnem administrationem revocet ; id non solum illicite, sed etiam invalide, exceptis casibus iure praevisis, tentaret, quando non agitur de bonis quae spectant ad ipsum, ut bona mensae suae et bona quae toti dioecesi communia sunt. Verum eius munus est *advigilantis* et *ordinantis*. Quocirca c. 1519, § 2 vult ut, intra fines iuris communis, de bonis quae sunt in sua dioecesi, nec sunt eius iurisdictioni subducta, episcopus opportunis instructionibus universum administrationis negotium ordinet. In qua tamen re non debet arbitrarie procedere, sed attendere ad iura quaesita, et rationem habere consuetudinum legitimarum et circumstantiarum.

De hac potestate episcopi, cf. CLAEYS-SIMENON, *o. c.*, n. 1006 ; COCCHI, *o. c.*, n. 200 ; VROMANT, *o. c.* n. 182. Is, quamvis sicut nos munus generale episcopi intellegat, adhaeret tamen sententiae OIETTI (*Synopsis*, n. 656) qua permittit Ordinario ut libere eroget « reditus bonorum ecclesiae vel eleemosynas quae *non ad peculiarem usum* in loco suae iurisdictionis fuerunt a benefactoribus destinatae ; — vel etiam illud quod, expleto onere a testatoribus iniuncto, de iisdem reditibus superest. Haec enim, prius quam de facto erogentur, videntur potius pertinere ad *massam communem* dioeceseos vel vicariatus Apostolici, quam Ordinarius loci ipse administrat. » (VROMANT, l. c.) (Cf. normam *S. C. P. F.*, 13 ian. 1794 (*Coll. P. F.* n. 617).

841. - Dioecesanum administrationis Consilium est ab Ordinario, in sua civitate episcopali, instituendum. Ipso praeside, constat duobus vel pluribus viris idoneis, iuris etiam civilis, quantum fieri potest, peritis, ab ipso Ordinario, audito Capitulo, eligendis, nisi « iure vel consuetudine peculiari, iam alio aequivalenti modo legitime fuerit provisum » (c. 1520, § 1).

Itaque Codex normae quam statuit admittit exceptionem iuris vel consuetudinis peculiaris. Haec ergo non debebit esse centenaria, ut servetur. Opus tamen est ut consuetudo ipsa quidquam aequivalens instituerit.

« Citra apostolicum indultum, ii a munere administratoris excluduntur qui cum Ordinario loci primo vel secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu coniuncti sint » (c. 1520, § 2).

In actibus administrativis maioris momenti, Ordinarius Consilium istud audire debet ; votum tamen consultorum est mere « consultivum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis fundationis eorum consensus exigatur » (c. 1520, § 3).

Atque, exceptis his posterioribus casibus, interventus Consilii non est ad valorem necessarius, cum Codex mere moneat episcopum « ne praetermittat audire Consilium ». Sic etiam VROMANT, *o. c.* n. 187.

« § 4. Sodales huius Consilii iusiurandum de munere bene ac fideliter adimplendo coram Ordinario emittant » (c. 1520, § 4).

842. - Singuli beneficiati, ut ex c. 1476 Codicis constat, sunt, per se, administratores suorum beneficiorum.

Alii administratores designantur quoque c. 1182 et 1183. Cf. CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, n. 1008 ; DE MEESTER, *Compendium*, n. 1474.

843. - Administratores particulares. **C. 1521.** Si bona cuiuspiam ecclesiae vel loci pii neque ex iure neque ex tabulis fundationis suum habent administratorem, ad Ordinarium spectat constituere administratores particulares, viros providos, idoneos et boni testimonii, « quibus, elapso triennio, alios sufficiat, nisi locorum circumstantiae aliud suadeant » (c. 1521, § 1).

Illa renovatio suadetur ne videantur esse quasi beneficiarii.

« § 2. Quod si laicis partes quaedam in administratione bonorum ecclesiasticorum vel ex legitimo fundationis seu erectionis titulo vel ex Ordinarii loci voluntate competant, nihilo minus universa administratio nomine Ecclesiae fiat, ac salvo iure Ordinarii visitandi, exigendi rationes et praescribendi modum administrationis » (c. 1521, § 2).

Duobus ergo modis laici vocari possunt in partem administrationis : voluntate fundatoris seu erigentis, et voluntate episcopi sic ordinantis regimen administrationis. Idem poterit legitima consuetudo. Sic Consilia, fabricae Ecclesiae, de quibus c. 1183 et 1184, laicos asciscere solent.

Id tamen semper cavendum est, ut administratio fiat nomine Ecclesiae et intactum maneat ius Ordinarii visitandi, exigendi rationes et praescribendi modum administrationis.

II. NORMAE PRO ADMINISTRATORIBUS

844. - **I. De administratoribus particularibus.** Hi, ante quam munus ineant, debent coram Ordinario loci vel Vicario foraneo bonam et fidelem administrationem *iureiurando* promittere (1). Praeterea debent omnes subscribere accuratum ac distinctum *inventarium* rerum

(1) VROMANT, *o. c.*, p. 211 nota, monet obligatione ista non teneri procuratores missionum, sive agant pro Ordinariis locorum, sive pro Institutis religiosis, quia non sunt administratores *dioecesani*, nec administratores *particulares* ecclesiarum de quibus agunt n. 1521 et 1522, 1°.

immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earundem ; vel si iam antea factum erat inventarium, debent illud acceptare, annotando res quae interim amissae vel acquisitae fuerint. — Huius inventarii alterum exemplar conservari debet in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae ; et in utroque annotanda est quaelibet immutatio quam patrimonium subire contingat (c. **1522**).

845. - II. Normae omnibus administratoribus communes (c. **1523**). Cum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur. Hinc debent : « 1° vigilare ne bona ecclesiastica suae curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant ; — 2° praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint : — 3° reditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque loco tuto servare et secundum fundatoris mentem aut statutas leges vel normas impendere ; — 4° pecuniam ecclesiae, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in emolumentum ipsius ecclesiae occupare ; — 5° accepti et expensi libros bene ordinatos habere ;— 6° documenta et instrumenta, quibus iura ecclesiae in bona nituntur, rite ordinare et in ecclesiae archivo vel armario convenienti et apto custodire ; authentica vero exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivo vel armario Curiae deponere ».

Praescripta legis civilis observanda sunt, ne ipsa bona alicui periculo exponantur ob istas neglectas leges. — Observes quoque necessitatem consensus Ordinarii pro collocatione pecuniae. — *Occupare* pecuniam est eam fructuose collocare. Bifariam autem possunt, pro adiunctis, pecuniam quae superest collocare : vel precaria ratione, ita ut libera servetur facultas eam utiliter expendendi ; vel magis stabili ratione, ita ut fiat capitale obnoxium normis de alienatione bonorum ecclesiasticorum. Nobiscum De Meester, *o. c.* n. 1476, nota 4 ; Vromant, *o. c.*, n. 204.

Praeterea, ex c. **1528**, intempestiva muneris abdicatione quoque prohibentur ob tacitam promissionem contentam in ipsa expressa vel tacita muneris acceptatione. Quare damnum quod inde ecclesiae obveniat ipsi sarcire debent, ex stricta iustitia.

846. - **Sollicitudo de operariis.** Canon **1524** socialis dici possit. Plurimam enim tam temporalem quam spiritualem curam opificum commendat ; idque praesertim clericis, religiosis et rerum ecclesiasticarum administratoribus, propter maius scandalum quod eorum neglegentia in hac re gignit, et graviorem culpam quam ipsi, pro clara conscientiae obligatione, committere possunt. Ac tempora postulant, ne clerici et religiosi, sua agendi ratione se aliquo modo reddant

odiosos. Sic autem habet : « Omnes, et praesertim clerici, religiosi ac rerum ecclesiasticarum administratores in operum locatione debent assignare operariis honestam iustamque mercedem ; curare ut iidem pietati, idoneo temporis spatio, vacent ; nullo pacto eos abducere a domestica cura parsimoniaeque studio, neque plus eisdem imponere operis quam vires ferre queant, neque id genus quod cum aetate sexuque dissideat ». — Domestica cura designare videtur varia officia quibus sive coniuges sive parentes astringantur.

847. - Redditio rationis (c. 1525, § 1). 1. Administratores tam ecclesiastici quam laici cuiusvis ecclesiae etiam cathedralis aut loci pii canonice erecti aut confraternitatis, debent singulis annis Ordinario loci rationem reddere administrationis. Ac reprobatur contraria consuetudo, quae proin, in praesentibus adiunctis, nequit praevalere, cum iudicetur irrationabilis. (Cf. c. 27, § 2.)

Etsi verba ista valde generalia sint, liquet tamen regulae isti non esse obnoxias ecclesias exemptas religiosorum. Praeterea confraternitates intellegendae sunt quae sint in primis sodalicia ac proin personae morales.

« Si ex peculiari iure aliis ad id designatis ratio reddenda sit, tunc etiam Ordinarius loci vel eius delegatus cum his admittatur, ea lege ut aliter factae liberationes ipsis administratoribus minime suffragentur » (c. 1515, § 2).

Peculiare istud ius intellegitur quod legitime, v. g. ex fundatione vigeat. Cui iuri Codex non refragatur. Postulat tantum ne excludatur ratio Ordinario reddenda.

Verum interdum etiam leges civiles exigunt ut rationes reddantur, v. g. administrationi municipali. Tunc distincta redditio erit praestanda Ordinario.

848. - III. De litibus et actibus non ordinariae administrationis. 1. Ut nomine Ecclesiae litem vel ipsi inchoent vel ut iudicium accipiant (quod est litem contestari), administratores opus habent scripta licentia Ordinarii loci, vel saltem, si res urgeat, Vicarii foranei, qui statim Ordinarium de concessa licentia certiorem reddere debet (c. 1526).

Gravitas negotii postulat istum interventum Ordinarii. Ecclesiae nomine venit hic persona moralis pro qua se sistant in iudicio.

2. Actus qui ordinariae administrationis fines et modum excedant, ab administratoribus invalide ponuntur, nisi prius facultatem ab Ordinario loci impetraverint (c. 1527, § 1).

Praevia igitur licentia est condicio valoris. Ad valorem autem non requiritur ut scripto sit data : hoc ipse modus sententiae demonstrat, quae simpliciter praecipit ut scripto detur. Ab ipso autem Ordinario facultas dari nequit nisi intra fines suae potestatis. Cfr canones sequentes.

Sanctio istius dispositionis haec est : « § 2. Ecclesia non tenetur

respondere de contractibus ab administratoribus sine licentia competentis Superioris initis, nisi quando et quatenus in rem suam versum sit » (c. **1527**, § 2).

In iure dicitur *in rem verti* quod utile est, prodest, causa est lucri.

De damnosa officii dimissione (c. **1528**), cf. supra n. 845.

TITULUS XXIX

DE CONTRACTIBUS

(c. 1529-1543)

Scriptores : Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, nn. 154-173; 227-272. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, T. VI, in hos canones. — Badii, *Institutiones*, II, 656-658. — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 1017-1034. — Cocchi, *Commentarium*, L. III, nn. 111, 209-226. — De Meester, *Compendium*, nn. 1481-1497. — Ferreres, S. I., *Institutiones*, II, n. 500-514. — Prümmer O. P., *Manuale*, Q. 451-455. — Vromant, C. I. C. M. *De bonis Ecclesiae temporalibus*, nn. 269-344.

Ordo dicendi. Praemissa notione de contractibus, quae Codice supponitur, ordinem Codicis sequemur. Codex autem primo ponit c. 1529 principium de lege quae applicanda est ; dein, c. 1530-1534 agit de alienatione in genere et de contractibus periculosis ; tum, c. 1535. 1536, de donatione ; postea, c. 1537, de commodato ; c. 1538, de pignore et hypotheca ; c. 1539 et 1540, de venditione et permutatione ; c. 1540. 1541, de locatione ; c. 1542, de emphyteusi ; postremo, c. 1543, de mutuo.

849. - Notiones. Contractus definitur *duorum vel plurium in idem placitum iuris consensus.* Eius essentia componitur consensu externe manifestato a personis habilibus, et obiecto iuridico. *Effectum* autem communem habent contractus gignendi obligationem, vel etiam conferendi iura. Qui solo consensu perficiuntur, dicuntur *consensuales ;* qui praeterea, vel ab unius exsecutione, vel a rei traditione initium ducunt sunt *reales.* Plures contractus nomen speciale habent : qualis emptio-venditio ; alii nomine carent. Celebres autem sunt quattuor contractus reales qui dicuntur *innominati :* do ut facias ; facio ut facias; facio ut des ; do ut des.

Solutiones sunt modi quibus exstinguitur obligatio suscepta, potissimum per idoneam praestationem legitime factam.

850. - I. Principium de lege applicanda. « Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur » (c. **1529**).

Valde magni momenti est iste canon, et refertus est gravibus consectariis. Antequam ipso usu et variis declarationibus significatio eius et propria vis

magis certo innotescant, plura privati interpretis responsa facile authenticis explicationibus cedere debebunt. Interea tamen sic dicendum existimamus.

1. Quod dicitur de contractu, valetne de habilitate personarum ad contrahendum? Id ambigi potest. Sane, cum agitur de dispositione gratuita ad pias causas, etiam per donationem, sola capacitas naturalis et canonica attendenda est, ex c. 1513, § 1. Et si aliter dixeris, persona moralis contractus facere non poterit, nisi civiliter fuerit agnita. Applicatio legis civilis admittitur a VROMANT, *o. c.*, n. 275, III.

2. Quae autem sive de forma contractuum, sive de effectibus, sive de clausulis subintellectis vel prohibitis ferunt leges civiles, etiam in materia canonica per se valebunt.

Atque hic memoranda est notabilis ista dispositio plurium legum civilium, qua omnia pacta de futura successione hereditaria, omnes praeviae renuntiationes, vitio nullitatis laborant.

3. Quia tamen, ex ipso canone 1529, non solum ius divinum, sed omne expressum ius canonicum contrarium iuri civili in materia ecclesiastica praevalet, quotiescumque dispositio canonica generalis vel particularis (Cfr COCCHI, o. c., n. 111 β) sive praesens sive futura, cum iure civili componi nequit, erit, in foro conscientiae, applicanda lex canonica. Ita, ex iure naturali et canonico aestimanda est capacitas dandi ad pias causas et validitas ultimarum voluntatum (c. 1513) ; observandum regimen exsecutorum piarum voluntatum et fiduciarum (c. 1515. 1516); servandi sunt de alienationibus et contractibus c. 1530 et ss. Sic subsistere arbitramur dispositiones peculiares Constitutionum religiosarum quae sinunt ut, ante sollemnem professionem, religiosus vel renuntiet hereditati futurae vel de ea aliquo modo disponat, indicando quisnam usus faciendus sit bonorum quae, nisi esset religiosus, ipsi obvenirent. Neque, contra atque existimat DE MEESTER, o. c. n. 1481, 3, excludimus ius consuetudinarium, cum istud etiam pars sit iuris canonici.

Etiam de *solutionibus* applicari debet ius civile. Ergo, de moneta qua solvi possit vel debeat, de die a quo vel ad quem, de loco ubi solutio fieri potest vel debet, de compensatione debitorum, de exstinctione debitorum per confusionem, ius civile, etiam in rebus ecclesiasticis observandum est. Sic, quia partitio hereditatis inter heredes et legatarios est genus quoddam solutionis debitae ab eo qui ultimis voluntatibus exsequendis lege vel testamento praefectus est, etiam in re ecclesiastica frui poterit beneficio intervalli quod lex concedit seu dilationis lege permissae. Civilis modus quo, quando debitor non est solvendo, creditores concurrunt ut ratam partem obtineant, etiam pro summis quae operibus piis debentur observari poterit.

In materia ecclesiastica applicabimus quoque leges civiles quibus res empta sed nondum emptori tradita addicitur alteri, posteriori emptori qui, priorem contractum ignorans, eam re vera accepit, vel res immobilis duobus successive venumdata, ei tribuitur qui perscriptionem in tabulis prior curaverit; vel quibus fructus ipsa perceptione possessori bonae fidei acquiruntur. Haec enim tamquam secundaria et accessoria haberi possunt contractus vel quasi contractus qui iis occasionem dedit; applicatio ista c. 1529 etiam postulatur analogia cuius canon 20 usum admittit, atque accedit haec ratio boni communis minuendi conflictus legis canonicae et civilis, et sic consulendi securitati conscientiarum.

4. Attamen, dum can. 100 § 3, personae morales minoribus aequiperantur, non putamus iis prodesse privilegia quae lex civilis solis personis physicis concedit nec iure naturali aut canonico firmantur. Quod enim ex solo iure civili manat non aliam extensionem habet quam quae lege civili demonstratur. Hic contradicimus R. P. VROMANT, o. c. n. 277 de contractibus loquenti et allegantl in nota CAPPELLO pro praescriptione (ex *Ius Pontificium*, 1925, p. 22).

851. - II. De alienationibus. Notio *alienationis.* Nomine alienationis venit hoc loco omnis translatio *iuris in re*, facta, sive gratuito sive titulo etiam oneroso, de re ecclesiastica, excepta quadantenus pecunia numerata. Alienatio igitur erit donatio, venditio, permutatio, concessio ususfructus, emphyteusis, pignoris, hypothecae, redemptionis census vel canonis; non autem, contra atque existimat R. P. Prümmer, Q. 451, ipsa emptio, si fiat pecunia quae non est stabile iam capitale; nec solutio debiti, ope talis pecuniae facta, contra ac dicere videtur Wernz, III, n. 154; nec mutuo accepta vel fructuose et secure data pecunia. Ante Codicem alienationi aequiperabatur locatio diuturna, i. e. ultra triennium fructiferum (1). Nunc autem, cum c. 1541 distincte agat de locationibus, easque distinctis a communibus alienationum normis subiciat, assimilatio ista videtur iam non esse urgenda. (Eam adhuc urgent Vromant, *o. c.*, n. 279; Cocchi, *o. c.*, n. 212.)

Nomine alienationis autem non comprehenditur *furtum*, cum actus iste sit iuridice iam secundum se inefficax; nec *damnificatio*, quae vel non est directe voluntaria vel speciem moralem iniustitiae furti participat (Prümmer, *l. c.*); nec *repudiatio lucri* : est mera non acquisitio.

Regulae autem de alienationibus observandae sunt, secundum communiorem sententiam et praxim Curiae Romanae, etiam inter duo instituta ecclesiastica, quae sint distincta iurium subiecta. (Cf. Wernz, III, 156.)

852. - Cautelae communiter praescriptae. 1. Reservata peculiari 1281 dispositione, qua reliquiae insignes, imagines pretiosae, atque omnes reliquiae vel imagines quae magna populi veneratione honorantur, valide nequeunt sine beneplacito apostolico vel alienari vel in aliam ecclesiam perpetuo transferri, « ad alienandas res ecclesiasticas immobiles aut mobiles, quae servando servari possunt, requiritur : 1° aestimatio rei a probis peritis scripto facta ; — 2° iusta causa, id est urgens necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiae, vel pietas ; — 3° licentia legitimi Superioris, sine qua alienatio invalida est » (**c. 1530**, § 1).

2. « Aliae quoque opportunae cautelae, ab ipsomet Superiore pro diversis adiunctis praescribendae, ne omittantur, ut Ecclesiae damnum vitetur » (c. 1530, § 2).

Itaque, obiectum canonis sunt res *ecclesiasticae*, i. e. quae possidentur a persona morali ecclesiastica, exclusis etiam rebus quae pio fini addicuntur, sed

(1) Locationi tamen non diuturnae assimulabant locationem factam ad novem annos, si post tertium quemque annum facultas habebatur dissolvendi contractum.

pertinent vel ad associationem non ecclesiasticam vel ad associationem simpliciter approbatam.

Non omnes tamen res ecclesiasticae canone attinguntur, sed eae solae, sive immobiles sive mobiles, quae servando servari possunt, quae proin non consumuntur primo usu. Non attinguntur res quae consumendae vel alienandae sunt ne pereant, vel quae nullum usum habent nisi alienentur : sic per se pecuniae, et esse etiam possunt fundi (cf. DE MEESTER, *o. c.*, n. 1484).

De rebus istis quae canone attinguntur subsistit principium : per se non debent perpetuo transferri vel alienari. Huic regulae opponitur triplex iustae causae exceptio : *necessitatis*, vel *evidentis utilitatis* Ecclesiae, i. e. sive Ecclesiae universalis, sive personae moralis ad quam pertinent, vel *pietatis*. Haec causa nunc expresse adiungitur duabus quae ante Codicem indicari consueverant. Nomine autem pietatis venit omne opus pium sive religionis sive misericordiae, tam corporalis quam spiritualis.

Praeterea, ut condicio valoris, accedere debet licentia legitimi Superioris. Et, ne Ecclesia damnum patiatur non necessarium, praescribitur scripto facta aestimatio a peritis viris, praeter alias cautelas, quas Superior iudicaverit opportunas.

Ex dictis constat primam pecuniae collocationem non esse alienationem ; immo haec c. 1531, § 3, praecipitur utiliter et prudenter facienda.

Quaeres autem *utrum necne alienet qui mutet istam collocationem*. Hic distinguendum videtur hoc modo. Alienat qui ipsum genus collocationis mutat, ut si in re immobili collocata pecunia iam nominibus publicis vel privatis emendis destinetur. Si autem genus idem maneat, aberit alienatio, ex ipso sensus communis iudicio, quando ipse collocationis modus variationem istam secum ferat. Sic, consueta et prudens administratio titulorum « bancariorum seu schedarum crediti », praecipue nulli nomini proprio inscriptorum, varias commutationes postulat : hae commutationes non sunt alienatio. Et si pecunia destinata aedificationi ecclesiae interim fructuose collocetur, non putabitur esse alienatio, simplex venditio istorum titulorum ut obtenta pecunia aedificationi inservire possit.

Res interdum dubiae esse poterunt. Licebitne v. g. simplici fenori dare pecuniam quae in titulis ad latorem erat collocata ? Genus nobis videtur satis idem esse, ut commutationi titulorum assimiletur. Nescio an diversus sit S. Congregationis stilus.

853. - 3. Alienationis modus. « Res alienari minore pretio non debet quam quod in aestimatione indicatur (c. 1531, § 1).

Si autem, ut saepe fit, aestimatio limitem inferiorem et superiorem designet, hac paragrapho exigitur tantum ut saltem limes inferior attingatur. Nec aliquid obstare videtur quin, si prior aestimatio demonstretur male facta, melior iteretur.

« Alienatio fiat per publicam licitationem aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant ; et res ei concedatur qui, omnibus perpensis, plus obtulerit » (c. 1531, §).

Publica licitatio idem est quod venditio publica seu auctio. Ipsa prudentia hodie non raro suadebit potius occultam venditionem. Et securitas solutionis efficere potest ut plus re vera offerat qui minus pretium solvere voluerit.

« Pecunia ex alienatione percepta, caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur » (c. 1531, § 3).

Caute collocanda est respectu legum civilium, ne obnoxia sit cuidam usurpationi ; *tuto* collocanda est, ne periculo serio sit exposita ; *utiliter* collocanda est, ac proin per se fructuose.

Per se praeferenda est collocatio in bonis stabilibus frugiferis, utpote quae det maiorem securitatem et magis aliena sit ab omni specie negotiationis clericis vetitae. Non raro tamen hodie prudentia coget ad collocandas pecunias in censibus aut titulis bancariis.

« Superior lex, omnibus attentis circumstantiis, est ipsa conservatio bonorum ecclesiasticorum et legitima sufficientium redituum perceptio » (Wernz, III, n. 153).

854. - Superior competens ad dandam licentiam (c. 1532).

« § 1. Legitimus Superior de quo in can. 1530, § 1, n. 3, est *Sedes Apostolica*, si agatur : 1° de rebus pretiosis ; 2° de rebus quae valorem excedunt triginta millium libellarum seu francorum.

« § 2. Si vero agatur de rebus quae valorem non excedunt mille libellarum seu francorum, est *loci Ordinarius*, audito administrationis Consilio, nisi res minimi momenti sit, et cum eorum consensu quorum interest.

« § 3. Si denique de rebus quarum pretium continetur intra mille libellas et triginta millia libellarum seu francorum, est *loci Ordinarius*, dummodo accesserit consensus tum Capituli cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest.

« § 4. Si agatur de re divisibili, in petenda licentia aut consensu pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae ; secus licentia irrita est ». Itaque :

Cum debitis cautelis, loci Ordinarius videtur posse licentiam generalem dare, saltem cum res non est peculiaris momenti (Vromant, *o. c.*, n. 292).

Alii *quorum interest* sunt v. g. possessor beneficii, patronus. Et quando plurium consensus requiritur, nullus ab Ordinario suppleri potest. Duplex directa assignatur mensura valoris : francus (seu moneta belgica, gallica, helvetica) et libella (italica). Ad has monetas reliquae referendae sunt, tempore normali, secundum valorem nominalem ; nunc vero redit quaestio de qua bis iam egimus et sententiam nostram diximus, quae sola, ni fallimur, permittat aliquam constantiam in dicendo et veritati rerum consentanea est (Cf. n. 819).

Sedes Apostolica intellegitur *S. C. Concilii* pro saecularibus ; *S. C. de Religiosis*, pro institutis religiosis et Tertiis Ordinibus ; *S. C. de Propaganda Fide*, pro regionibus eidem subiectis vel etiam pro religionibus et associationibus quae

sub eius plena iurisdictione ponuntur; *S. C. pro Ecclesia Orientali*, si bona spectent ad personas morales istius ritus, quatenus his legibus teneantur; *S. C. Consistorialis*, si bona sint dioecesium; *S. C. de Seminariis et Universitatibus studiorum*, si bona ad Seminarium pertineant.

Ex responso 24 nov. 1920, Praesidis Commissionis Pontificiae de Interpretatione Codicis, pretium, de quo in hoc canone, est valor rei secundum aestimationem a probis peritis scripto factam, non autem maius pretium forte re vera oblatum (Cf. *Per.*, X, p. 252).

Cum agitur de re cuius valor superat mille francos vel libellas, requisito consensui apponitur particula *dummodo*, quae significat condicionem valoris. Haec non adiungitur, quando agitur de audiendo administrationis Consilio, cum res haeret infra illam summam.

In observanda § 4, attendendum erit, bona fide, ad physicam vel moralem unitatem rei cuius partes sint alienatae vel alienandae. Physica unitas erit cuiuspiam praedii; moralis unitas erit gregis vel bibliothecae vel collectionis, qualis hodie esse potest etiam sigillorum postalium. Immo, vi resp. *Comm. I. C.*, 20 iul. 1929 ad 5, licentia S. Sedis requiritur ad alienandas per modum unius plures res ecclesiasticas eiusdem personae, quae simul sumptae valorem excedunt triginta milium libellarum seu francorum (AAS., XXI, 573.)

Nec praetermittenda est distinctio facta in § 1 rerum pretiosarum, pro quibus semper necessarium est beneplacitum apostolicum ut valide alienentur, et rerum secundum se non pretiosarum, de quibus maior vel minor valor attendendus est. Observandum tamen est, nullam rem esse pretiosam nisi *notabilis* valor insit vel artis, vel historiae, vel materiae.

Quaeres quomodo aestimandus sit valor concessae redemptionis census (nondum ex lege vel facto redimibilis)? Considerandum dicimus ex quonam capitali rediret solvenda summa annua seu census. Capitale enim istud habetur quasi pro fonte unde reditus scaturit. Supponatur ergo temperata feneris ratio, ea v. g. quam argentariae pro anticipata solutione reducere solent (*sconto escompte*). Sit 5. p. c. Tunc census 3000 lib. referetur ad capitale 60000 lib. unde valorem alienationis et necessitatem beneplaciti apostolici aestimabis. Hoc *per se*; namque attendenda etiam est spes fortasse incerta solutionis.

855. - III. **Extensio sollemnitatum ad contractus alienationis similes** (c. **1533**). « Sollemnitates ad normam c. 1530-1532 requiruntur non solum in alienatione proprie dicta, sed etiam in quolibet contractu quo condicio Ecclesiae peior fieri possit ». Talis contractus erit cessio iuris, vel litis vel actionis, abdicatio servitutis activae, admissio servitutis passivae; erit quoque compromissum et transactio. Ita etiam rerum alienarum gestio suscepto periculo. Contractus hic attendendi sunt de quibus in canonibus sequentibus non ponuntur regulae peculiares: « Ne bis in idem ».

856. - **Sanctio actionis** (c. **1534**). « § 1. Ecclesiae competit actio personalis contra eum qui sine debitis sollemnitatibus bona ecclesiastica alienaverit et contra eius heredes; realis vero, si alienatio invalida fuerit, contra quemlibet possessorem, salvo iure emptoris contra male alienantem.

« § 2. Contra invalidam rerum ecclesiasticarum alienationem agere possunt qui rem alienavit, eius Superior, utriusque successor in officio, tandem quilibet clericus illi ecclesiae ascriptus quae damnum passa sit ».

Personalis seu *condictio* dicitur actio iudicialis quae, ob facta propria personae, huic tantum et heredibus intentari potest; dum *realis* est qua quis ius in re contra quemlibet detentorem persequitur.

De invalida autem alienatione agere potest ipse auctor alienationis, quasi facti paenitens, et qui eum qua Superior vel successores repraesentant; potest quoque clericus cuius ecclesia damnum passa est, quia ad istos clericos spectat iura suae ecclesiae tueri.

De *sanatione* actus invalidi observes actum nullum sanari non posse nisi a Summo Principe, qui a forma ad valorem necessaria dispensare potest et potest etiam effectus convalidationis *ex nunc* ad tempus facti actus, sine praeiudicio tamen tertii retrotrahere. Cf. resolutionem *S. C. Conc.*, 17 maii 1919, AAS., XI, 383 ss. *Per.*, X, 160 et COCCHI, *o. c.*, n. 218.

857. - IV. De donationibus. 1. Notio. *Donatio* est *contractus gratuitus quo alter, donator, ex intentione liberalitatis, alteri, donatario, rem suam quod ad dominium, sine ulla restitutionis obligatione concedit.*

2. *Quaenam de bonis ecclesiasticis donari possint.* « Praelati et rectores de bonis mobilibus suarum ecclesiarum donationes, praeterquam parvas et modicas secundum legitimam loci consuetudinem, facere ne praesumant, nisi iusta interveniente causa remunerationis aut pietatis aut christianae caritatis; secus donatio a successoribus revocari poterit » (c. 1535).

Agitur hic non de reditibus quae ipsi beneficiario obtingunt, sed de reditibus vel aliis rebus mobilibus quae ab ipsa persona morali possidentur: v. g. a monasterio, a seminario. Permittuntur donationes parvae et modicae *consuetae*; ac praeterea, *quae iusta causa postulantur*. Iusta autem causa est vel gratitudo erga benefactorem, vel pietas erga Superiorem aut patriam, vel christiana caritas erga indigentes. Dixeris sub legislatoris oculis obversata esse praeclare gesta sanctorum qui ipsa vasa sacra ad alendos pauperes in calamitate publica vendiderunt, vel episcoporum qui, ad iustum bellum tuendum vel inopiam publicam levandam, fisco partem redituum ecclesiasticorum cesserunt. Hodie tamen cavendum ipsis est ne limites suae competentiae excedant; et curandum ut sollemnitates iure requisitas observent. Verum inde colligi potest non esse parce agendum, quando communes sunt angustiae. Si monasterium quoddam reditibus abundet, iusta erit causa erogandi *pie* etiam magnas pecunias.

Per verba « ne praesumant », legislator videtur solum prohibere velle ne scienter in his rebus excedant. Nec donationes (intra limites competentiae factae) sunt ipso iure irritae: statuuntur tantum revocabiles a successore. Observes huic non imponi obligationem positivam revocandi. Cf. COCCHI, *o. c.*, n. 219.

3. *Quaenam donationes censeantur factae ecclesiis et quomodo.* « Nisi contrarium probetur, praesumendum ea quae donantur rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum, esse ecclesiae donata » (c. 1536, § 1). Ratio est, quia pia donantis intentio potius rem sacram seu publicam

utilitatem quam commodum personae quae rem sacram curat respicit.

Quod in C. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881, Leo XIII applicat ad istas quasi-paroecias quae in Anglia veniunt nomine *missionum*. Et recte quidem, cum plerique benefactores de istis missionibus qua talibus sint solliciti. Verum, quamvis Constitutio ista sit extensa ad missiones longinquas, ibi multo frequentius praesumptio ista deficiet. Etenim benefactores potius religiosas congregationes, quas cognoscunt et quibus fidunt, quam ignotas sibi missiones qua tales fovere intendunt; seu, ut accuratius dicamus, nolunt, nisi mediante instituto cui dant, missioni favere.

« Donatio facta ecclesiae, ab eius rectore seu Superiore repudiari nequit sine licentia Ordinarii » (c. 1536, § 2).

Etsi, ante acceptationem, non sit ius ecclesiae acquisitum, nec rector alienet quod acceptare renuit, nihilo minus, ad tuendam utilitatem ecclesiae, canon ius aufert immediato rectori facultatem repudiandi donationem sine licentia Ordinarii.

Donationem tamen intellegas *factam*, non mere propositam, sed quae saltem in donante sit perfecta. Verum evidens ratio legis postulat ut canonem fortiore ratione statuas valere de *legato*, utpote quod iam ante acceptationem aliquod ius conferat. Canon rationabiliter restringi potest ad donationem alicuius momenti.

Et cum *nomine ecclesiae* veniat huc persona moralis ecclesiastica, qualis est communitas religiosa, non poterit ergo Superior localis donationem repudiare sine licentia sui Ordinarii, i. e. Superioris maioris, si agatur de religione clericali exempta, vel ipsius Ordinarii loci, si agatur de alia religione.

Nomine ecclesiae venit quoque universa missio vel dioecesis.

Quod autem intuitu universae missionis vel dioecesis datum est, per se ab Ordinario loci est administrandum. Diversa tamen esse potest voluntas fidelium offerentium bona. Iudicium enim de meliore applicatione bonorum vel pecuniarum suarum, quod quis sibi legitime reservare potest, etiam alii committere nullo iure prohibetur. Quare bona, intuitu missionis in genere oblata, praesumuntur quid in tradenda esse Ordinario loci ut ea administret, sed demonstrata contraria oblatorum voluntas servanda est. Cf. C. *Romanos Pontifices*, quae, n. 23-25, Regulares mere obligat ut de pecunia intuitu missionis oblata rationem reddant Ordinario loci. Sola autem clausula qua haec rationis redditio excluderetur, per Codicem improbatur. Cf. c. 1515. 1516. 1525. De his adeas plura, in opere R. P. Vromant, n. 57-69.

« Repudiata illegitime donatione, ob damna quae inde obvenerint, actio datur restitutionis in integrum vel indemnitatis » (c. 1536, § 3).

Damna inde orta suntne ipsa deminutio patrimonii quod ex re donata auctum esset ? Id non putamus. Sed, pro vario statu oeconomico et aliis adiunctis, donationis repudiatio dici potest innocua vel vere damnosa. In posteriore casu datur actio vel restitutionis in integrum qua nova optio datur acceptandi oblatam donationem, vel indemnitatis, qua male repudians, ad damna sarcienda condemnatur. Nobiscum Claeys-Simenon, *o. c.*, n. 1025.

« Donatio ecclesiae facta et ab eadem legitime acceptata, propter ingratum Praelati vel rectoris animum revocari nequit » (c. 1536, § 4).

Plures leges civiles causas statuunt propter quas donationes revocabiles fiunt. Inter istas reperitur ingratus animus donatarii certa ratione demonstratus. Cum donatio non sit facta Praelato sed ecclesiae, ius canonicum istam revocatio-

nem merito repellit. Non repellit autem alteram, quae legibus contineatur, si donatori nascantur liberi. Haec ergo causa revocationis poterit tuto, vi c. 1529, appellari etiam ad revocandam donationem ecclesiae factam. Ita quoque CLAEYS-SIMENON, n. 1025.

858. - De commodato. *Commodatum est contractus quo res aliqua quod ad solum usum gratuito conceditur, ad certum aliquod tempus, explicite vel implicite determinatum.*

De illo contractu, qui minus periculosus est et saepe ex aliqua benevolentia conceditur, Codex hoc unum specialiter cavet, ne res sacrae commodentur ad usum qui, secundum ea quae supra dicta sunt, earundem naturae repugnet (c. 1537).

859. - De pignore vel hypotheca. 1. *Notio. Pignus* est *res quaedam mobilis, corporalis vel non, quae, ex contractu, in manus creditoris a debitore vel ab alio traditur, ut creditor exinde ante alios creditores solutionem debiti obtineat.*

Hypotheca est *ius in re aliena immobili, quo haec, pro re credita, creditori specialiter obligatur, ut ante alios ipsi ex pretio rei satisfiat.*

2. *Dispositio canonis. a*) Ad constituendam hypothecam vel ad dandum pignus, licentia petenda est a Superiore secundum normam c. 1532. Itaque, si valor pignoris vel hypothecae excedat triginta millia libellarum seu francorum, requiretur beneplacitum S. Sedis. Quando agitur de hypotheca, id tamen intellegitur de hypotheca qua oneretur domus seu praedium quod antea sine onere a persona morali possidebatur. Nam si, in ipso actu emptionis, hypotheca constituatur ad securitatem dandam de solutione pretii, ecclesia minus acquirit, sed nihil alienat. — *b*) Omnes quorum interest sunt antea audiendi a Superiore. Audiendus erit v. g. Superior communitatis religiosae eiusque consilium. — *c*) Superior ad quem spectat licentiam dare, curare debet ut, cum primum fieri poterit, aes alienum solvatur. Quare annuae ratae ab eodem Ordinario praefiniantur quae exstinguendo debito sint destinatae (c. 1538).

Haec ultima praescripta observanda sunt, quatenus id ipsi ecclesiae utile sit. Ac per se, exstinguere debita est actus optimae administrationis. Non raro tamen fit hodie ut, cum agitur de personis moralibus ecclesiasticis, ipsa securitas possessionis et allevianda vectigalia postulent ut bona maneant hypothecis gravata. Quare tunc applicanda hac canonum dispositione abstinebimus, ne violemus reg. 61 iuris in 6° : « Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum ». Nobis consentiunt CLAEYS-SIMENON, *o. c.*, n. 1027 ; VROMANT, *o. c.*, n. 330, IV ; COCCHI, *o. c.*, 221.

860. - De aere alieno contrahendo. Per se nihil alienat qui aes

alienum contrahit sine speciali pignore vel hypotheca. Quare, ante Codicem, obligationes huiusmodi sine beneplacito apostolico contrahi poterant. Contractus tamen iste est periculosus et facile damnosus. Quare c. 1538, § 1, idem exigit pro aere alieno contrahendo quod pro hypotheca vel pignore.

Quaeres num peculiares licentiae et beneplacitum apostolicum postulanda sint, si persona moralis praesto habet pecuniam numeratam, sed, ad parcendum oneribus fiscalibus, debitum contrahit hypothecarium, et pecuniam suam tuto et fructuose collocat ? Respondemus petendas esse licentias ad normam c. 1532, quia persona moralis vere obligatur. Supponas perire pecuniam quam persona moralis suo periculo collocavit : sentiet totum onus debiti hypothecarii, quod non sensisset si pretium solvisset per pecuniam quae praesto erat. Sed opportunum fortasse fuerit ut, ad praecavendos nimis frequentes recursus ad S. Sedem (qui gubernia civilia non latent), generales facultates prudenter, in praesentibus adiunctis, impetrentur. Erit etiam, ni fallimur, qui benignius quaestionem solverit.

861. - De venditione et permutatione. 1. *Notiones. Venditio* est *contractus consensualis bilateralis, quo alter se obligat ad rem in alterius dominium transferendam pro determinato pretio quo alter tenetur.* Tria igitur continet : consensum, rem et pretium.

Permutatio est *contractus consensualis bilateralis, quo alter alteri rem pro re transferendam in dominium promittit.*

2. *Codicis dispositiones. a*) Ad cavendum utilitati ecclesiae. Codex exigit specialem Ordinarii loci licentiam ut immobilia ecclesiae bona vendi aut etiam locari licite possint propriis administratoribus eorumque coniunctis in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu (c. 1540). — *b*) Ad eliminandam simoniam, c. 1539, § 1, vetat « in venditione aut permutatione rerum sacrarum ne ulla ratio consecrationis vel benedictionis in pretii aestimatione habeatur » (1). — *c*) « § 2. Administratores possunt *titulos ad latorem*, quos vocant, commutare in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis aliorumque quorum intersit » (c. 1539, § 2).

Sic prudenter temperatur responsum *S. C. Concilii* in causa Romana et aliarum, 17 febr. 1906. Interrogata enim utrum necne requireretur beneplacitum Apostolicum ad permutandos titulos ad latorem in alios titulos vel valores, etiam immobiles, S. C. responderat « *Affirmative*, excepto casu urgentis necessitatis in quo periculum sit in mora, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adiunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis ». (Cf. *Per.*, II, p. 74.) In apposita lucubratione, in qua etiam rettulimus benigniorem solutionem *S. Paenitentiariae*,

---

(1) Antea, monet FERRERES, II, 507, res consecratae vel benedictae vendi non poterant sine simonia iuris ecclesiastici.

25 ian. 1888, ostendimus magnas difficultates istius severitatis (Cf. *Per.*, II, p. 89, ss.). Constat igitur nunc talem commutationem non esse habendam pro vera alienatione.

Eritne autem fas permutationes istas generali mandato permittere viro laico probo et magis perito? Id licere arbitramur, consentientibus personis quae canone 1532 § 2 indicantur, et dummodo peritus omni specie negotiationis prohibeatur.

Si agatur de prima collocatione pecuniae quae Ecclesiae sine onere data sit, Ordinarius ad mentem Codicis, contentam canone 1547, aget audiendo dioecesanum administrationis Consilium atque idem suadet prudentia. Stricta tamen obligatio non demonstratur.

Aliarum autem rerum venditio et permutatio sunt verae alienationes, quibus regulae c. 1530 et 1532 applicandae sunt.

Observes tamen alienationis nomine moraliter non venire venditionem boni quod ad Ecclesiae patrimonium vere non pertinuerit, ut si persona moralis ecclesiastica, ex suo peculiari iure, bona immobilia possidere nequeat; vel si bonum immobile, puta domum, datum sit *pro soluto*, in locum pecuniae cui solvendae debitor impar erat. Tunc domus ista debitam pecuniam repraesentat, et si prudenter iudicetur id expedire, satis erit, in venditione observare c. 1530 et normas de prima pecuniae collocatione, secundum ea quae modo dicebamus et quae c. 1539, § 2 et 1547, statuuntur. Sic saltem nobis dicendum videtur. Nobiscum VROMANT, *o. c.*, n. 281.

Religiosis in hac re servandus est c. 534, de quo in priore tomo egimus.

Observes, in hac administratione non solum commercium, sed etiam omnem commercii vel negotionis *speciem* esse declinandam. Quidquid igitur sapit ludos bursarum et aleatorias rationes emendi et vendendi (*giuochi di borsa, jeux de bourse*) cum lucro, sedulo vitandum est.

862. - De locatione (c. 1541). 1. *Notio. Locatio rerum* est, iure italico, *contractus consensualis, bilateralis, quo quis, pro certo pretio, alteri utilitatem rei per certum tempus promittit.*

2. *Regulae propriae locationis fundi ecclesiastici. a*) Locatio fieri debet per publicam auctionem, vel saltem nota reddi debet, nisi aliud circumstantiae suadeant; et res locanda est ei qui, omnibus perpensis, plus obtulerit. — *b*) Semper addantur « condiciones de limitibus custodiendis, de bona cultione, de rite solvendo canone, de opportuna cautela pro condicionibus implendis » (c. 1541, § 1).

Fundus hic intelligitur praedium rusticum seu ager excolendus. Nomine *canonis* venit praestatio annua periodica tamquam pretium locationis solvenda.

3. *Regulae propriae locationis bonorum ecclesiasticorum. a*) Praeservatur c. 1479 quo, sine licentia Ordinarii, in locatione bonorum beneficiariorum prohibentur anticipatae solutiones ultra sex menses. — *b*) *Si valor* locationis *excedat triginta millia libellarum* seu francorum *et simul locatio sit ultra novennium,* requiritur beneplacitum Apostolicum; *si* locatio *non sit ultra novennium,* fieri potest cum licentia Ordinarii loci, accedente *consensu* tum Capituli cathedralis tum Consilii administrationis dioecesanae, tum eorum quorum interest. — *c*) *Si valor* contineatur *intra mille libellas* et *triginta millia libellarum*

seu francorum *et locatio sit ultra novennium*, requiritur iterum licentia Ordinarii loci, consensus Capituli cathedralis, Consilii administrationis et eorum quorum interest. *Si* locatio *non sit ultra novennium*, sufficit licentia Ordinarii loci, *audito* administrationis Consilio et cum consensu eorum quorum interest.—*d*) *Si valor non excedat mille libellas* seu francos *et locatio* sit *ultra novennium*, opus est licentia Ordinarii loci, audito administrationis Consilio et cum consensu eorum quorum interest. *Si* locatio *non sit ultra novennium*, fieri potest a legitimis administratoribus, monito Ordinario (c. 1541, § 2, 3°).

In postremo casu evadit actus ordinariae administrationis.

De quibus sanctionibus haec observanda sunt. Valor locationis aestimatur non ex summa quae, cum dies ad quem contractus finiatur tunc vel debita sit vel sit percepta, sed ex summa quae post singulos terminos est a conducente solvenda : erit ergo pretium annuum, si agatur de domo vel de praedio quod ferat fructus quotannis ; duorum annorum, si reditus tantum post binos annos obtineantur. Ipsis vocabulariis haec significatio *valoris locationis* confirmatur.

Ante Codicem, omnis locatio ultra triennium fructiferum assimulabatur alienationi ; nunc ad solam locationem ultra novennium regulae alienationis stricte applicantur ; ac dein valor istius locationis nos docet quaenam sollemnitas consensus vel beneplaciti requiratur. Pro locatione quae non excedit novennium normae aliquanto minores statuuntur, quae ipsae variant secundum valorem locationis.

Cum temporalis bonorum administratio religiosis canone 534 ordinetur, religiosi canone 1541 indirecte tantum tenentur, quatenus per eum doceantur quaenam locatio hodie regulis alienationis obnoxia sit. Est autem locatio ultra novennium.

863. - De emphyteusi (c. 1542). 1. *Notio. Emphyteusis* est *ius in re quo quis re aliena plene frui potest ea lege ut aliquid* (nummos vel aliam speciem) *domino quotannis solvat saltem in agnitionem dominii.* Quod solvendum est *canon* appellatur. In iure italico etiam in perpetuum constitui potest, sed est essentialiter redimibilis, soluto capitali quod canoni respondeat.

2. *Dispositiones canonicae. a*) « In emphyteusi bonorum ecclesiasticorum emphyteuta (debitor canonis) nequit canonem redimere sine licentia legitimi Superioris ecclesiastici de quo in c. 1532 ; quod si redemerit, eam saltem pecuniae vim ecclesiae dare debet quae canoni respondeat » (c. **1542**, § 1).

Itaque comparatur pactum emphyteuticum locationi ultra novem annos. Pro vario dein valore, canon praecedens indicat quisnam Superior consentire debeat. Si res praestanda minimi momenti sit, videtur applicari posse c. 1532, § 2, qui tunc contentus est licentia Ordinarii loci et consensu eorum quorum interest.

b) « Ab emphyteuta congrua exigatur cautio pro solutione canonis et condicionibus implendis ; in ipso instrumento pacti emphyteutici forum ecclesiasticum arbiter statuatur ad dirimendas controversias inter partes forte exorituras, et expresse declaretur meliorationes solo cedere » (c. 1542, § 2).

His verbis cautelae quaedam sumuntur de prudenti conclusione pacti emphyteutici, ut ecclesia percipiat quod suum est, ut vitentur lites, et conventione de arbitrio ecclesiastico, Ecclesia servet suam iurisdictionem. Si meliorationes solo cedunt, non dant titulum emphyteutae ad exigendam compensationem. Ceterum, in nostris regionibus vix causa erit concedendi emphyteusim in bona ecclesiastica : pacto enim isto multo minoris fiunt valoris.

864. - **De mutuo.** 1. *Notio. Mutuum* est *contractus realis quo rei alicuius fungibilis dominium a mutuatore in mutuatarium transfertur cum obligatione restituendi eandem vel similem specie et bonitate.* Res autem fungibilis est res quae numero, pondere vel mensura constat, non autem individuo corpore servit. Mutuum fere fit de rebus quae primo usu consumuntur, inter quas est ipsa pecunia, quae quamvis non pereat in se, perit tamen eam expendenti, aliquando tamen fructuose.

2. *Sanctio canonica.* « Nihil lucri ratione ipsius contractus percipi potest ; sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro maiore, si iustus ac proportionatus titulus suffragetur » (c. 1543).

In hoc canone, servatur principium de quo tantum est disputatum, in mutuo *qua tali*, non inesse causam iustam lucrandi. Praeterea per se licita perhibetur pactio de lucro *legali*, quae praesumitur iusta, nisi constet lucrum esse immoderatum ; immo lucrum maius percipi potest si suffragetur iustus titulus.

Abstinet Codex formali explicatione istius liceitatis. Estne titulus legis civilis distinctus a titulis extrinsecis propter quos, iam ante aetatem nostram, permittebatur lucrum, an tantum fundat praesumptionem tituli extrinseci seu causae accedentis ad mutuum et dantis iustam causam compensationi : quale dicebatur periculum sortis, damnum emergens et lucrum cessans ? Estne hodie universalis licentia percipiendi, salva iustitia, auctarium seu fenus, explicanda mere per praesumptionem tituli extrinseci, an contra dicendum est, in praesentibus adiunctis ipsi possessioni pecuniae inesse valorem qui fenere compensetur, ita ut non propter mutuum qua tale, sed propter mutuum factum in hodiernis circumstantiis, fenus petere liceat : haec omnia disputantur et, sine contrarietate cum Codice, defendi possunt. Quaestionem fuse versavimus in *Quaestiones de iustitia* (1). — Quod per se licet, per accidens vetari potest, propter officia caritatis, etc. (2)

---

(1) Operis istius iam a plurlbus annis iterum exhausti nova editio paranda est.

(2) Notabile est contractum Codice describi quidem sed suo *mutui* nomine non nominari.

TITULUS XXX

DE PIIS FUNDATIONIBUS

(c. 1544-1551)

Scriptores : Wernz, *Ius Decretalium*, III, n. 194-208. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, T. VI, in hos canones. — Badii, *Institutiones*, II, 648. — Claeys-Simenon, *Manuale*, nn. 1032-1035. — Cocchi, *Commentarium*, nn. 227-232. — De Meester, *Compendium*, nn. 1498-1503. — Ferreres, S. I., *Institutiones*, II, n. 515-520. — Prümmer, O. P., *Manuale*, Q. 456. — Vromant, *De bonis Ecclesiae temporalibus*, nn. 345-358.

Ordo dicendi. Praestituta notione c. 1544, Codex, c. 1545 et 1546, agit de piarum fundationum constitutione, c. 1547, de earum administratione ; c. 1548 et 1549, de cautelis fidelis onerum adimpletionis ; c. 1550, de fundationibus in ecclesiis religiosorum exemptorum, demum, c. 1551, de onerum reductione.

865. - I. Notiones. *Pia voluntas* est cuiuslibet hominis qui finem quempiam religionis vel caritatis christianae apto medio, v. g. pecuniaria contributione, consectatur. Pia ista voluntas potest mere transeunter quosdam actus religionis vel caritatis imperare. Quod si fecerit per actum mortis causa, habebitur *legatum pium*.

Potest etiam a competente auctoritate ecclesiastica, iustis condicionibus, obtinere erectionem ecclesiae vel fundationem beneficii. Denique, sine nova quadam erectione sive ecclesiae sive consociationis, potest *stabili modo* bona quaedam deputare operibus religiosis vel christianae pietatis. Habetur tunc, ampliore sensu, *pia fundatio*.

Bona autem quae istis finibus inserviunt possunt esse ipsum patrimonium, quale pervenit ad heredes; possunt quoque tradi alicui honestae vel mere approbatae consociationi, v. g. Societati a S. Vincentio a Paulo ; et possunt dari personae morali ecclesiasticae. *In hoc postremo casu, sunt piae fundationes*, de quibus *solis* agitur in isto titulo ; tunc, sed tunc tantum, bona fiunt ecclesiastica, subiecta normis generalibus de bonis ecclesiasticis et his canonibus. Alias regentur communibus honestatis normis, salvo c. 1515 de iure Ordinarii vigilandi ut piae voluntates impleantur et exigendi redditionem rationis.

Hinc intellegitur descriptio piae fundationis, sensu magis restricto, **c. 1544** : « § 1. Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia *alicui personae morali* in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex reditibus annuis aliquas missas celebrandi, vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut non nulla pietatis et caritatis opera peragendi ».

Diuturnum tempus erit spatium quinquaginta annorum vel etiam decem annorum, quod, ante Codicem, auctores existimabant longum tempus pro praescriptione. Sic etiam CLAEYS-SIMENON, *o. c.*, n. 1032. Immo contenti esse possumus tempore minus diuturno quod sufficiat legi civili (Arg. c. 1529). Cf. VROMANT, *o. c.*, n. 346.

Quia onus simul cum donatione imponitur, fundatio non fit sine contractu synallagmatico, i. e. bilaterali. Inde, c. 1544, § 2 : « Fundatio, legitime acceptata, naturam induit contractus synallagmatici : *do ut facias* ».

Estne tamen appellatio ista contractus synallagmatici ita urgenda ut inde cum BLAT, *Commentar.* in h. c. n. 461, personae morali negligenti imponamus, propter onera non impleta, restitutionem proportionatam redituum, quia in contractibus bi-lateralibus subintellegatur condicio resolutoria, si alterutra pars pactioni non stet ?

Id non putamus. Fundatio enim dicit donationem sub onere. Igitur, si onus non impleatur, *ex iure naturae* consulenda erit voluntas fundatoris qui potuit oneris impletionem voluisse ut condicionem sine qua non (1), vel mere imperasse onus ut annexum voluntati donandi absolutae. Observandae autem sunt sanctiones iuris positivi. Et attendi possunt leges civiles, propter c. 1544, § 2, qui fundationi naturam agnoscit contractus synallagmatici.

866. - II. Constitutio. 1. *Quantitas dotis vel capitalis.* « Loci Ordinarii est normas praescribere de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat et de eius fructibus rite distribuendis » (c. 1545).

2. *Acceptationis modus.* « § 1. Ut huiusmodi fundationes a persona morali acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii loci, in scriptis datus, qui eum ne praebeat, antequam legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum antiquis iam susceptis satisfacere posse ; maximeque caveat ut reditus omnino respondeant oneribus adiunctis secundum cuiusque dioecesis morem. — § 2. In acceptatione, constitutione et administratione fundationis, patronus ecclesiae nullum ius habet » (c. 1546).

867. - III. Administratio. « Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto, ab eodem Ordinario designando, deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur, et quam primum caute et utiliter, secundum prudens eiusdem Ordinarii arbitrium, auditis et iis quorum interest et dioecesano administrationis Consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris » (c. 1547).

Supponitur igitur « specializatio » non tantum onerum, sed bonorum. Quod onera debeant speciatim exprimi et adimpleri, id per se liquet. Non putamus autem isto canone prohiberi melior collocatio quae sit communis pluribus fundationibus, de qua supra, n. 837, egimus.

(1) Tunc autem, non impleto onere, donatio omnis rueret

868. - Cautelae de conservatione et adimpletione onerum (c. **1548** et **1549**). 1. Fundationes, etiam viva voce factae, sunt scripto consignandae. — 2. Duo tabularum exemplaria tuto asservanda sunt, alterum in archivo Curiae, alterum in archivo personae moralis ad quam fundatio spectat. — 3. Urgentur canones 1514-1517 et c. 1525, quibus etiam per iura data Ordinario, cavetur fideli adimpletioni piarum voluntatum (Cf. dicta n. 836 et 847). — 4. In qualibet ecclesia, i. e. hic apud quamlibet personam moralem ecclesiasticam, rector in loco tuto conservare debet tabellam onerum ex piis fundationibus incumbentium isti personae morali. — 5. Praeter librum de missis manualibus, de quo in c. 843, § 1, alter liber retineri et apud rectorem servari debet « in quo singula onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynae adnotentur, ut de iis omnibus exacta ratio Ordinario loci reddatur » (c. 1549, § 2).

Iam non requiritur, quamvis id valde utile sit, ut in ipsa sacristia tabella onerum affigatur.

869. - Quid apud religiosos? « Si agatur de piis fundationibus in ecclesiis, etiam paroecialibus, religiosorum exemptorum, iura et officia Ordinarii loci, de quibus in can. 1545-1549, exclusive competunt Superiori maiori » (c. **1550**).

Itaque, quamvis, pro missis manualibus, religiosi exempti stare debeant definitionibus Ordinarii loci, cum agitur de exigenda dote fundationis, haec libere definitur ab Ordinario seu Superiore maiore religionis exemptae, sive haec sit clericalis, sive laicalis. Dummodo tamen agatur de ecclesia quae vere sit religiosorum, qualis non est ecclesia saecularis *quovis modo* religiosis concredita.

870. - De reductione onerum. « Reductio onerum quae pias fundationes gravant, uni Sedi Apostolicae reservatur, nisi in tabulis fundationis aliud expresse caveatur, et salvo praescripto can. 1517, § 2 » (c. **1551**, § 1).

Canone 1517 confertur Ordinario, circa alia onera ac missarum, quaedam potestas reductionis, quando, ob imminutionem inculpatam redituum, exsecutio facta sit impossibilis. Cfr. dicta n. 836, IV.

« Indultum reducendi missas fundatas non protenditur nec ad alias missas ex contractu debitas nec ad alia onera piae fundationis » (c. 1551, § 2).

Applicatur hic regula generalis de stricta interpretatione dispensationum. Ac facilius iusta causa est reducendi missas fundatas quam alias.

Contractus autem nomine hic intellegi debet quivis alius ac fundatio titulus quo applicatio missae debetur.

« Indultum vero generale reducendi onera piarum fundationum ita intellegendum est, nisi aliud constet, ut indultarius potius alia onera quam missas reducat » (c. 1551, § 3).

Haec est constans legislatoris sollicitudo, ut peculiari modo sancta sit fidelis adimpletio onerum missarum.

871. - Generalis commendatio. Quamvis in rebus temporalibus versemur, accurata observatio canonum de bonorum ecclesiasticorum administratione non satis urgeri potest. Summam curam postulat utilitas Ecclesiae cuius bona ad fines spirituales, immo apostolicos ordinantur; postulat etiam intima pax et tranquillitas administratorum, ne etiam in fine vitae propter res minus bene gestas et compositas lamentabilibus anxietatibus torqueantur.

Incommoda administrationum libenter feramus, ut fructum afferamus in patientia (1), et reportemus finem fidei nostrae salutem animarum (2).

ADDENDA

872. - P. 142, *addas* in titulo, et in l. 36, can. 959.

P. 142, in titulo et linea 10, *addas* can. 962.

P. 144, *addas* in titulo et lin. 4, can. 961.

P. 144, *addas* in titulo, can. 963.

Atque in fine n. 241, *addas* : Semel concessae litterae dimissoriae non exstinguuntur resoluto iure dantis, possunt tamen ab ipso concedente vel ab eius successore limitari aut revocari (c. **963**).

P. 146, in titulo *addas*, can. 968 et 970.

P. 147, linea 9, *addas* (c. **970**).

P. 194, linea 6 ab ima, addas (c. **1046**)).

P. 251. *De can. 1099 § 2.* Responso Pont. Comm. 17 febr. 1930, ad IV, sub verbis « *ab acatholicis nati* » in can. 1099 § 2, comprehenduntur etiam nati ab apostatis (A.A.S., 7 ap. 1930, XXII, 195). Apostatae autem sunt hic ii qui a fide christiana totaliter defecerunt (c. 1325 § 2), atque etiam ii catholici qui ad sectam haereticam vel schismaticam transierunt.

Itaque eorum filii qui extra Ecclesiam catholicam ab infantili aetate adoleverunt (etsi in Ecclesia catholica fuerint baptizati) ad catholicam matrimonii formam servandam non tenentur quotiescumque cum parte acatholica contrahant.

---

(1) Ev. Luc., 8, 15. — (2) I Pet. I, 9.

CONCORDANTIA NUMERORUM PRIMAE ET ALIARUM EDITIONUM

EDIT. 1.	ED. 2-4	EDIT. 1.	ED. 2-4	EDIT. 1.	ED. 2-4	EDIT. 1.	ED. 2-4
1-300	1-300	317	341	334	358	351	309
301	325	318	342	335	359	352	310
302	326	319	343	336	360	353	311
303	327	320	344	337	361	354	312
304	328	321	345	338	262	355	313
305	329	322	346	339	363	356	314
306	330	323	347	340	364	357	315
307	331	324	348	341	365	358	316
308	332	325	349	342	366	359	317
309	333	326	350	343	301	360	318
310	334	327	351	344	302	361	319
311	335	328	352	345	303	362	320
312	336	329	353	346	304	363	321
313	337	330	354	347	305	364	322
314	338	331	355	348	306	365	323
315	339	332	356	349	307	366	324
316	340	333	357	350	308	367-816	367-816

ED. 1 ET 2.	EDIT. 3 ET 4
817	817. 818
818	821
819-870	819-870
871	novum argum. (ed. 3 et 4)
872	novum arg. (ed. 4)

INDEX CANONUM

N. B. 1. Numeri indicantur marginales.
2. Quando Codex in uno canone alios *explicite* allegat, numerus commentarii istorum non datur, quippe qui ex reliquo indice statim inveniri possit.

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
841	II 106	875	II 145 s.	909	II 197	943	II 227
842	110	876	145	910	197	944	228
843	109 868	877	146 s., 675	911	200	945	230
844	106 109	878	148	912	203	946	232
845	111 112	879	149	913	203	947	231
846	111	880	150	914	209	948	234
847	114	881	151	915	209	949	235
848	114	882	152 ss.	916	211	950	236
849	114	883	153	917	211	951	237
850	114	884	152 158 ss.	918	211	952	238
851	18, 115	885	161	919	207	953	238
852	115	886	162	920	205	954	238
853	116	887	163	921	212 213	955	238
854	118 129 418	888	158 164 ss.	922	212	956	239 241
855	117	889	167	923	213 557	957	237
856	120	890	168 s.	924	208	958	241
857	132	891	170 694 719	925	214	959	239
858	121 ss. 132	892	171	926	201	960	263
859	126 ss.	893	172, s.	927	214	961	241
860	129	894	176	928	206	962	238
861	128	895	177	929	218	963	241.872
862	130	896	177	930	201 214	964	237 ss.
863	132	897	178	931	216 s.	965	241
864	123 133	898	178	932	215	966	241
865	133	899	180	933	215	967	241
866	18 135	900	179	934	219 s.	968	243 s.
867	111 136	901	182	935	221	969	244
868	138	902	182	936	219	970	244
869	111 137	903	182	937	222	971	243 418
870	139	904	186 ss.	938	223	972	247 704
871	143	905	185	939	224	973	244
872	143	906	182	940	5 22 9	974	244
873	144	907	182	941	225	975	245 s.
874	145	908	197	942	226	976	245 s. 263

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
1111	II 416 439	1145	II 464	1178	II 491	1212	II 522 549
1112	417	1146	465	1179	491	1213	523
1113	418 710 s.	1147	465 490	1180	491	1214	524 549 569
1114	419	1148	466	1181	491	1215	526
1115	419 s.	1149	467	1182	492 s. 842	1216	528 s.
1116	256 421	1150	468	1183	493 842	1217	528 s.
1117	421	1151	469	1184	493	1218	529 531 537
1118	424	1152	469	1185	494	1219	530
1119	425 s.	1153	469	1186	495 793 s.	1220	530
1120	427 ss.	1154	470	1187	486 496	1221	530
1121	430 ss.	1155	471 487 500 506 514	1188	218 497 s.	1222	529 530 s.
1122	432	1156	471 481 487 490 500 514	1189	499	1223	532
1123	433			1190	499 502 563	1224	533
1124	433	1157	471	1191	500	1225	534
1125	430 s. 435	1158	472	1192	501 s.	1226	534
1126	427	1159	472 s.	1193	501	1227	534
1127	279 437	1160	474	1194	502	1228	534 538
1128	439	1161	475	1195	502	1229	528 535
1129	440	1162	477 s. 500	1196	98 100 s. 501 s.	1230	537
1130	441	1163	481	1197	504	1131	538
1131	443	1164	480	1198	505	1132	538
1132	444 s.	1165	482 500	1199	506	1233	539
1133	446 ss.	1166	483	1200	507	1234	540 827
1134	450	1167	484	1201	508	1235	540
1135	451	1168	485	1202	509	1236	537 541 ss.
1136	452	1169	487	1203	509 511	1237	544
1137	453	1170	486	1204	512	1238	545
1138	455 s.	1171	488	1205	514	1239	547
1139	457	1172	489	1206	515 s.	1240	549
1140	457	1173	489	1207	517	1241	550
1141	458	1174	490	1208	518	1242	549
1142	459	1175	490	1209	519 s.	1243	551
1143	460	1176	490	1210	521	1244	552
1144	462 s.	1177	490	1211	521	1245	553 ss.

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
1382	II 718	1416	II 748	1450	II 780	1484	II 808
1383	719	1417	749	1451	781	1485	808
1384	721 ss.	1418	750	1452	782	1486	809
1385	725 s. 733	1419	751 s.	1453	782 796	1487	810 s.
1386	728	1420	753	1454	783	1488	811
1387	725	1421	751	1455	777	1489	813 s.
1388	207 726	1422	754 756	1456	784	1490	813
1389	725	1423	754 s.	1457	785 791	1491	813 815
1390	725	1424	754	1458	785	1492	814 s.
1391	725 733 735	1425	753 757	1459	786	1493	815
1392	725	1426	755	1460	786 ss.	1494	816
1393	727 739	1427	757	1461	789	1495	817 s.
1394	729 s.	1428	758	1462	789	1496	818
1395	731	1429	759 771 826	1463	789	1497	818 s.
1396	732	1430	760	1464	790	1498	820
1397	731 734	1431	763	1465	791	1499	821
1398	732	1432	763 ss.	1466	792	1500	757 822
1399	733	1433	765	1467	792	1501	822
1400	735	1434	766	1468	792	1502	824
1401	735	1435	766 s.	1469	782 793 s.	1503	823
1402	736	1436	768	1470	782 795 s.	1504	825
1403	736	1437	768	1471	779 s.	1505	826
1404	732	1438	769	1472	797	1506	826
1405	736	1439	770	1473	798	1507	20 825 827
1406	739	1440	771	1474	799	1508	828 s.
1407	739	1441	772	1475	800	1509	830
1408	739	1442	768	1476	801 842	1510	830
1309	742	1443	773	1477	802	1511	831
1410	743 748	1444	391 773	1478	803	1512	833
1411	744	1445	773	1479	803 852	1513	835
1412	745	1446	774	1480	804	1514	835 836
1413	746	1447	774	1481	805	1515	835 836
1414	747	1448	776	1482	806	1516	836
1415	748	1449	778	1483	807	1517	836 870

INDEX

RESPONSORUM PONTIF. COMMISSIONIS INTERPR. DE ARGUMENTIS HUIUS VOLUMINIS

Canon	Responsum	AAS (1)	Per. (2)	Epitome II (3)
310 § 2	20 iul. 1929	XXI (1929), 573	XVIII 249	n. 241
756	16 (29) oct. 1919	XI (1919), 476 ss	X, 101, 11	40
768	2-3 iun. 1918	X (1918), 344	IX, 150	51
774, § 1	12 nov. 1922	XIV (1922), 662	XI, 182	53
777, § 2	14 iul. 1922	XIV (1922), 528	XI, 164	55
806 et 824, § 2	13 dec. 1923	XVI (1924), 116	XIII, 81	78
822, § 4	16-29 oct. 1919	XI (1919), 478	X, 101	99
882	28 dec. 1927	XX (1928), 61	XVII, 41	152
883	20 maii 1923	XVI (1924), 114	XIII, 79	153
893, § 1 et 2	24 nov. 1920	XII (1920), 575	X, 251	172
909, § 2	24 nov. 1920	XII (1920), 575	X, 251	197
958, § 1, n. 4	20 iul. 1929	XXI (1929), 573	XVIII, 249	241
987, 1	29 oct. 1919	XI (1919), 478	X, 101	259
987, 1	14 iul. 1922	XIV (1922), 528	XI, 164	259
987, 5	2-3 iun. 1918	X (1918), 344	IX, 149	259
996, § 2 et 3	24 nov. 1920	XII (1920), 574	X, 250	246
1017, § 3	2-3 iun. 1918	X (1918). 345	IX, 149	282
1020, § 2	2-3 iun. 1918	X (1918), 345	IX, 150	287
1023, § 2	2-3 iun. 1918	X (1918), 345	IX, 150	289
1044 et 1045, § 3	12 nov. 1922	XIV (1922), 662	XI, 183	311
1045, § 1	1 mart. 1921	XIII (1921), 178	X, 326	308
1045, § 3	28 dec. 1927	XX (1928), 61	XVII, 38	297, 312
1077	2-3 iun. 1918	X (1918), 346	IX, 150	354 et 358
1079	2-3 iun. 1918	X (1918), 346	IX, 150	363
1096, § 1	20 maii 1923	XVI (1924), 114 et 115	XIII, 80	396
1096, § 1	28 dec. 1927	XX (1928), 61	XVII, 38	396
1098	10 mart. 1928	XX (1928), 120	XVII. 77	404, 405
1099, § 2	20 iul. 1929	XXI (1929), 573	XVIII, 249	407
1099, § 2	17 feb. 1930	XXII (1930) 195	XIX	872
1102, § 1	10 mart. 1928	XX, (1928), 120	XVII, 76	408

(1) Damus sola responsa quae, in AAS inserta, sic promulgata sunt.
(2) A. Vermeersch, S. I., *Periodica de re canonica et morali.*
(3) Sive ibi allegetur, sive saltem de argumento ibi tractetur.

Canon	Responsum	AAS	Per.	Epitome II
1166, § 2	20 iul. 1929	XXI (1929), 573	XVIII,249	n. 483
1205, § 2	16 (29) oct. 1919	XI (1919), 478	X, 101	514
1215	16 (29) oct. 1919	XI (1919), 479	X, 102	526
1221	20 iul. 1929	XXI (1929), 573	XVIII,249	530, 8
1234	6 mart. 1927	XIX (1927), 161	XVI, 56	540
1237, § 2	24 nov. 1920	XII (1920), 576	X, 251	544
1245, § 2	12 mart. 1929	XXI (1929), 170	XVIII,172	554
1247, § 1	17 feb. 1918	X (1918), 170	IX, 82	559
1251, § 1	29 oct. 1919	XI (1919), 480	X, 102	566
1252, § 4	24 nov. 1920	XII (1920), 576	X, 251	567
1265	20 maii 1923	XVI (1924), 115	XIII, 81	588
1267	2-3 iun. 1918	X (1918), 346	IX, 151	592
1274	14 iul. 1922	XIV (1922), 529	XI, 165	599
1355				689
1356	16 (29) oct. 1919	XI (1919), 479	X, 102	690
1441				772
1391	20 maii 1923	XVI (1924), 115	XIII, 81	726
1406, § 1, 9	25 iul. 1926	XVIII (1926), 393	XV, 169	739
1429	20 maii 1923	XVI (1924), 116	XIII, 81	759
1486				
1432, § 3	24 nov. 1920	XII (1920), 577	X, 252	764
1451, § 1	12 nov. 1922	XIV (1922), 663	XI, 183	781
1462	12 nov. 1922	XIV (1922), 663	XI, 183	789
1513 § 2	17 feb. 1930	XXII (1930) 196	XIX	835
1517	14 iul. 1922	XIV (1922), 529	XI. 165	836
1532, § 1, n. 2	20 iul. 1929	XXI (1929), 573	XVIII,249	854
1532, § 3	24 nov. 1920	XII (1920), 577	X, 252	854
1551	14 iul. 1922	XIV (1922), 529	XI, 165	870

Epitome iuris canonici, Tomus I, 4 ed.

p. 301, post n. 472, 3, 4° ante 1° *adde :*

4. Ita *excusantur a choro* ut percipiant fructus *praebendae* et distributiones cotidianas *simplices*, praesertim :

1° Dum proprio...

DATE DUE

DEC 18 1995
OCT 03 1999

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

BX
1935
C66
V523
1929
v.2

12099

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709


GTU Library
BX1935.C66 V523 1929 v.2 G
Vermeersch, A./Epitome iuris canonici :
3 2400 00181 4429

